Google

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

UC-NRLF
B 3 745 041

GIFT OF
JANE K. SATHER



DECIMI JUNII

JUVENALIS

SATIRAE.

UNIV. OF CALIFORNIA

DECIMI JUNII
JUVENALIS
SATIRAE

AD CODICES PARISINOS RECENSITAE

LECTIONUM VARIETATE ET COMMENTARIO PERPETUO

ILLUSTRATAE

A NIC. LUD. ACHAINTRE.

ACCEDUNT

HADR. ET C. VALESIORUM NOTAE ADHUC INEDITAE.

PARS ALTERA.

PARISIIS

SUMPTIBUS ET TYPIS FIRMINI DIDOT.

MDCCCX.

PA6446
A2
1810
v.2

UNIV. OF CALIFORNIA

D. JUN. JUVENALIS

VITA,

Quæ vulgo tribuitur SUETONIO(*), ex cod. Alexandrino fideliter expressa.

JUNIUS JUVENALIS, libertini (1) locupletis, incertum filius, an alumnus (2), ad mediam fere ætatem decla-

(*) Hanc Juvenalis vitam omnes fere critici Suetonio tribuunt: et, reipsa, Suetonium librum scripsisse de vitis poëtarum constat ex Isidor. Origg. VIII, 7: attamen aliqui merito in dubium adduxerunt, num vitæ Juvenalis auctor esset idem. Qui illud opus Suetonio assignant, ex stylo et tempore auctoritatem sumunt, inter quos præcipue Salmasius in commentario, qui legitur in ejus exercitt. Plinianis ad Solini cap. 32 (vid. infr. p. 6). Sed leve est istiusmodi argumentum ex stylo et tempore ductum, præsertim in comparatione tam brevis scripti, nec infirmare valet rationes eorum, qui idem opus a Probo, vel ab antiquo alio grammatico profectum esse contendunt. Vix enim credendum est Suetonium Juvenali coævum, tam pauca, tamque incerta traditurum fuisse. Ne compertum quidem habuit, num poëta libertini locupletis filius fuerit, an alumnus. Exilii Juvenalis causa, tempus, et mortis annus ambiguis verbis et parum lucidis notantur; quæ certe Suetonius neque ignorare poterat, neque lectorem celare in animo habebat. Quisquis vero auctor fuit hujus vitæ, ea saltem cæteris omnibus antiquior est, et fide dignior. In multis codicibus, non integra quidem, sed vel plenior, vel contractior invenitur. Hujus vero versionem ex cod. Alexandr. n° 2029, antiquissimo et optimo inter nostros, recepimus. In cod. autem Puteano non reperitur.

(1) *Libertini.*] Quidam codd. habent *liberti.* Mendose.

(2) *Alumnus.*] Post hanc vocem, in codice Vossii hæc sunt addita: *ex Aquino Volscorum oppido oriundus, temporibus Claudii Neronis.*

526126

mavit, animi magis causa, quàm quòd scholæ se aut foro præpararet. Dehinc (3), paucorum versuum satirâ non absurde compositâ in Paridem pantomimum, poëtamque (4) ejus semenstribus militiolis tumentem, genus scripturæ industriose (5) excoluit. Et tamen bene diu ne modico quidem auditorio quidquam committere est ausus. Mox magna frequentia tantoque successu bis aut ter auditus est, ut eâ quoque, quæ prima fecerat, novis inferciret scriptis:

> Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos,
> Et Bareas, tu nobilium magna atria curas!
> Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos (6).

Erat tum in deliciis aulæ histrio: multique fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora præsentia figurate notâsset, ac statim, per honorem militiæ, quanquam octogenarius esset, Urbe submotus est, missusque ad præfecturam cohortis, extrema Aegypti parte tendentis (7). Id sup-

(3) *Dehinc.*] Post hanc vocem, in cod. Vossii, hæc leguntur: *ad poëtices* (poëticen) *se applicavit, et postquam diu tacuit, uberiori vitiorum jam glisconte contagione, ab indignatione incepit.* Semper ego auditor tantum? *dehinc paucorum, etc.* Ea videntur, inquit Al. Rup. lascivise ab aliquo interpolatore assuta.

(4) *Poëtamque.*] In codd. quibusdam rectius forte legitur, *poëtamque P. Statium;* in aliis, *poëtamque Claudii Neronis* (Calvi Neronis, hoc est, Domitiani). In cod. Voss. *Paridem Domitiani pantomimum et aulæ histrionem semestribus tumentem vibratâ* (satirâ), *poëtamque P. Statium compositâ, hoc genus scripturæ industriose excoluit.*

(5) *Industriose.*] Henninius emendat *indastrie*, quæ vox frequens est Suetonio in vitis.

(6) Hi versus sunt 90, 91, 92, sat. VII.

(7) *In extrema Aegypti parte tendentis.*] Ita cod. Alexandrinus. Vet. schol. legit: *in extrema parte tendentis Aegypti*, quem ordinem ingratum ex Divæi et Vallæ codd. mutavit quoque Alex. Ruperti.

plicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Verum, intra brevissimum tempus, angore et tædio periit (8).

(8) Ita, in nostro codice Alexandrino, item, in codd. Fauchetii, Mazar. desinit vita Juvenalis. At in codice Vossii extrema hæc verba leguntur: *Verum intra brevissimum tempus* Θεὸς αὐτὸς *adscribitur Divorum choro, revertiturque Romam Juvenalis, qui tandem ad Nervæ et Trajani principatum supervivens, senio et tædio vitæ confectus properantem spiritum cum tussi exspuit.* Henninius, qui hanc lectionem recepit, interpretatur Θεὸς αὐτὸς de Domitiano, qui *Dominus Deusque* appellari voluit. At, si Juvenalis octogenarius fuit cùm Urbe submoveretur, quomodo ætatem ad Nervæ et Trajani principatum extendere potuit? unde videntur illa librariorum incuria in textu intrusa. Eadem autem verba servari possent, si delerentur *ad Nervæ et Trajani principatum supervivens*, tunc pro Θεὸς αὐτὸς, legerem Θεὸς Ἀντίνοος, cujus causa forte Juvenalis in exilium pulsus fuerat. Sed hæc meræ sunt conjecturæ.

VITA JUVENALIS,

Ex codice Omniboni, e Monast. Sancti-Salvatoris de Bononia, n° 110—40ᵉ.

Cum ex Aquino municipio Romam se contulisset, et venisset sua virtute ad equestris dignitatem; ad mediam ferme ætatem declamavit. In Paridem panthonimimum (*pantomimum*), qui in delicis apud Trajanum (*mendose, et contra rationem historicam, lege igitur* Domitianum) Imperatorem habebatur, primo carmina edidit, quæ postea inseruit in eam satiram, *et spes et ratio, etc.* sunt autem hæc:

> Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos,
> Et Bareas, tu nobilium magna atria curas!
> Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Quibus Trajanus (*lege*, TRAIANVS (1) HADRIANVS), intelli-

(1) Qui sic, initio sui imperii, passim in nummis et marmoribus inscribebatur, propter Trajanum patrem suum adoptivum.

gens (2) vitia carpi sui temporis, irâ percitus, prætextu honoris, hoc modo poëtæ mortis instruendæ opportunitatem invenit. Fecit eum præfectum militum contra Scotos, qui bellum Romanis moverant, ibi ut Juvenalis interficeretur. Ex quo effectum est, ut poëta animo consternatus, ex mentis ægritudine simul obiit.

(2) Hæc verba usque ad finem aliter leguntur in altero ex Mediolanensibus nostris codd. n° 112 — 353: « Quæ cùm ad aures Trajani (Hadriani) « venissent, sui temporis vitia carpi intellexit, qua ex re commotus, « nulla alia occasione reperta struendæ mortis in Juvenalem, sub honoris « prætextu, fecit eum tribunum militum contra Scotos, qui bellum contra « Romanos moverant, ut ibi Juvenalis interficeretur : sed tamen, paulo « post, ut sciret iratum sibi esse principem, in codicillis suis ad eum in « exercitum mittendis inseruit, *et te Philomela promovit.* Unde effectum « est, ut ipse consternatus, ex mentis ægritudine diem suum obiret. »

VITA JUVENALIS

INCERTO AUCTORE.

JUNIUS JUVENALIS quibus parentibus natus fuerit, pro comperto non habetur. Ex Aquino oppido Volscorum oriundum fuisse docet ipse in fine tertiæ satiræ :

. . . . Ergo vale, nostri memor, et quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino.

Temporibus Trajani satiras suas scripsisse nemo nisi parum peritus diffitetur. Nec audiendi sunt, qui existimârunt eum regnante Domitiano floruisse, cùm is poëtâ scribente jam defunctus fuisset : quod abunde satis ipse multis in locis indicat, ut illic, in secunda satira :

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter.

Nam, cùm ait, *erat nuper*, planissime ostendit, eum mortuum fuisse : præterea, in tam apertam ejus reprehensionem viventis non insurrexisset; et alibi, in eadem satira,

Cùm tot abortivis fecundam Julia vulvam
Solveret, et patruo similes effunderet offas.

ubi intrepide demonstrat ab eo violatam fuisse fratris filiam,

quod neutiquam fecisset, si tunc temporis vixisset; et alibi decessisse apertissime docet:

> Cùm jam semianimum laceraret Flavius orbem
> Ultimus, et Calvo serviret Roma Neroni.

et alibi:

> . . . . . Sed olim
> Prodigio par est in nobilitate senectus:
> Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantùm.

Quibus omnibus, satis constat post mortem Domitiani poëtam scripsisse. Quâ vero ætate, quove loco mortuus fuerit, cùm certi nihil habeatur, aliis inquirendum relinquimus. Nec aliis assentimur, qui eum a Paride histrione et delitiolo Domitiani in exilium actum fuisse autumant, et ibi mortuum, deque eo intellexisse Sidonium Apollinarem, cùm ait:

> Nec, qui consimili deinde casu,
> Ad vulgi tenuem strepentis auram,
> Irati fuit histrionis exul.

Neque enim fieri potuit, ut a Paride histrione et delitiolo Domitiani in exilium missus fuerit, cùm satiras suas, ut diximus, scripserit sub Trajano, et Paris gratiâ et auctoritate tantum valuerit apud Domitianum: unde, cùm Sidonius nec Juvenalem, nec alium quemquam nominavit, de quovis alio intelligere potuit.

Præter has, quas commemoravimus vitas Juvenalis, nonnullæ ab aliis descriptæ fuerunt, præsertim a Petro Crinito: at illæ parum a nostris differunt, nec alioquin memoriâ dignæ sunt. Attamen, cùm nihil tum apud veteres criticos, tùm apud recentiores, controversum magis, aut dubium fuerit, quàm vita Juvenalis, ad eam dilucidandam, quæ prior huic editioni accessit, quæque antiquior atque ideo fide dignior habetur (vid. p. 1); hoc loco, Salmasii et Dodwelli observationes integras subjungendas judicavimus, e quibus attenter consideratis, prout in re adhuc incerta fieri poterit, judicium quodcumque ferre licebit.

CLAUDII SALMASII

in Juvenalis vitam a Suetonio scriptam Commentarius. (Exercit. Plinian. in Solin. cap. 32).

SATIRAS Juvenalem in loco exilii scripsisse, hoc est, in Aegypto, atque ibi decessisse placet plerisque veterum: missum autem per speciem honoris in Aegyptum ad præfecturam cohortis sub Domitiano, quòd Paridem pantomimum in aula tunc gratiosùm scripto satirico læsisset, tradunt Dio, Suidas, et vet. schol. ad sat. IV, 38. Hoc ultimum si veritati consentaneum est, oportet eum rediisse post Domitiani excessum: nam et Romæ vixisse post Domitianum, et scripsisse, multa sunt, quæ faciant fidem. Martialis lib. XII epigrammatum, quæ sub Trajano composita et collecta sunt, Romæ eum tunc fuisse aperte ostendit epigramm. 18. *Dum tu forsitan inquietus erras clamosa Juvenalis in Suburra, et collem dominæ teris Dianæ, etc.* Ergo Romæ erat, non in Aegypto, cùm satiram XV, de superstitionibus Aegypti ludebat, et falsum dicit vetus interpres, qui scriptam in Aegypto asserit. Hadriani temporibus elaboratam arguunt ista ex eadem sat. v. 27.

> Nos miranda quidem, sed nuper consule Junio
> Gesta.

Ita libri omnes, non *Vinco* vel *Junco*. Dissyllabum est *Junio*, ut *vindemiator* tetrasyllabum Horatio, et *Nasidienus*; ut *tenuia* trisyllabum Lucretio, Virgilio, Martiali. *Q. Junium Rusticum* intelligit, qui consul fuit cum Hadriano tertio ejus imperii anno, Urbis autem conditæ DCCCLXXII: itaque paulo post consulatum Junii scripta illa satira. Vir doctus errat, qui ad consulatum Appii Junii Sabini hæc referre malebat, anno *V. C.* DCCCXXXVII, quo is collega fuit Domitiani. Etenim exstincto jam Domitiano omnes has satiras scriptas fuisse, ipsæ de se clare clamant, et alii jam probârunt. Tredecimam quoque sub idem ferme tempus compositam ipsa dicet. Ad Calvinum directa est, quem *Fonteio* consule natum sexaginta jam annos

post se reliquisse disertim scribit. Duo tantum sunt *Fonteii* consules, qui hîc locum habere possint. Prior *C. Fonteius Capito*, qui collega Vipsanii fuit ad annum *V. C.* DCCCXII, a cujus consulatu ei sexaginta annos numeres, in annum incides, qui præcessit Junii consulatum. Sed dicit jam eum *reliquisse post tergum* sexaginta annos: ergo uno plus anno habuerit; quod tempus incidit in ipsum Junii consulatum, quo et scriptam fuisse constat sat. XIII, et illa in Aegypto accidisse inter Tentyritas et Ombitas, quæ sat. XV, narrantur tanquam *nuper gesta*, *consule* scil. *Junio;* ut hinc liqueat XIII compositam sub consulatum Junii, XV autem paulo post ejusdem consulatum. De priore igitur hoc Fonteio Juvenalem interpretamur. Alter fuit *L. Fonteius Capito*, qui collegam habuit in consulatu C. Julium Rufum octavo anno post C. Fonteii consulatum. Ex his nos certum et compertum habemus, quatuor postremas Juvenalis satiras initio imperii Hadriani contextas fuisse, reliquas fortean sub Trajano, certe post mortem Domitiani. Nec dubium habeo quin Trajanum designet sat. VII, v. 1.

Et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum.

Neronem hoc versu palpari notat vetus interpres. Inepte, nec aptius est, quod in eadem satira versum hunc:

Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos

de Nerone accipit, et propter hunc versum in exilium a Nerone missum poëtam scribit. Atqui tradunt eædem glossæ ad sat. IV, 38, a Domitiano relegatum eum fuisse sub specie honoris in Aegyptum ad cohortis curam, ut hinc clarescat, non ejusdem auctoris esse glossularum illarum compilationem. Male etiam, quantum equidem judico, scriptum in vita Juvenalis, auctore veteri scriptore, quem Suetonium videri suadet stylus, illum *Paridem*, propter quem pulsus est Juvenalis, *Claudii Neronis pantomimum* fuisse. Sic enim ibi scribitur: *deinde paucorum versuum satira non absurde composita in Paridem pantomimum poëtamque Claudii Neronis, ejus semestribus militiolis tumentem, genus scripturæ industriose excoluit.* Hæc verba innuunt, Paridem pantomimum et poëtam fuisse Claudii Neronis, quod falsum et absurdum: nec tempora congruunt: sed recte in ve-

teribus quibusdam desunt illa *Claudii Neronis*, quæ adtexta sunt ab aliquo sciolo, qui Paridem pantomimum temporibus Neronis legerat. Scribe igitur: *paucorum versuum satira non absurde composita in Paridem pantomimum, poëtamque ejus semestribus militiolis tumentem.* Confirmatur hæc lectio a Juvenale ipso, sat. VII, his versibus, 88, 89, quos alludit auctor ille;

Ille et militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.

De Paride loquitur, nec de pantomimo Neronis, sed Domitiani, cui et hoc nomen fuit, accipiendum esse arguunt præcedentia de Statio, v. 86, 87.

. . . . . sed cùm fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

De Thebaïde Statii sermo est, quam elaboravit ille sub Domitiano, ut et reliqua poëmata. Carmine etiam certavit in Agone Capitolino, quem Domitianus instituit, nec vicit, quod eum tunc totum sibi vindicaret sua Thebaïs. *Poëtam Paridis* eum vocat Suetonius, quòd Agaven Paridi vendidisset. De eodem Juvenalis ibidem, v. 93.

Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt:

vates enim pantomimi, qui carmina scriberet histrionibus desaltanda, et scenicis ea venderet. *Semestribus militiolis tumentem* dicit, qui favore et suffragio Paridis semestrem tribunatum emeruerat. Legisse ergo videtur apud Juvenalem:

Ille et militiæ multis largitur honorem
Semestris, vatum digitos circumligat auro.

Per *militiam semestrem* intelligit tribunatum semestrem, cujus mentio apud Plinium, epist. IV, 4, quâ rogat Sossium, ut Calvisium Nepotem *tribunatu semestri* splendidiorem faciat: per *digitorum aurum* annulos aureos et dignitatem equestrem. Sed quod Juvenalis separavit, in unum jungit auctor ille, ut fortasse legerit:

Ille et militiæ multis largitus honorem
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Nam vatem *semestri militiâ tumidum* dicit, non equestri dignitate. Fuere *Tribuni laticlavii*, qui in spem senatorii ordinis

tribunatum gerebant. Horum mentio frequens apud veteres: nam senatorii ordinis insigne latus clavus. Fuere ergo et *angusticlavii*, quasi secundi ordinis tribuni. Angustus clavus equitum nota, ut et annuli aurei. Ex eo genere et nota fuisse constat tribunatus semestres, qui equitibus tantum aut equestri dignitate donatis conferebantur. Ita poëtis suis Paris pantomimus semestres tribunatus et jus annulorum simul donabat. Ideo hujus generis tribunorum *semestre aurum* vocat, quia ut dignitas eorum semestris, ita et insigne. Ridiculus porro vir magnus est, qui *semestre aurum* idem esse docet, quod ab eodem poëta *æstivum aurum* dicitur sat. I, 28. Multum sane inter utrumque est. Delicatus et mollis, quia vix *ferre* poterat paulo *majoris ponderis gemmam*, annulos faciendos curabat ex auro leviore, per æstatem præsertim gestandos, ne digitos in sudorem darent graviores. Hoc in Crispino satiricus notat, et carpit, quasi inauditæ et inusitatæ mollitiei argumentum, non quod moris esset, alios per æstatem annulos, per hyemem alios gestari. *Aestivum aurum* de levibus annulis, ut vestes sericæ *levitate æstivâ* Plinio, et *æstive viaticatus* Plauto, qui levi viatico instructus est. Præterea non *semestre* æstivum illud aurum diceretur, sed *trimestre*: nec enim sex totos menses durat æstas, ut nec semestris est hyems. At *semestre aurum* annuli sunt, quos gerebant tribuni semestres, pro insigni suæ dignitatis. Diximus Suetonium videri auctorem vitæ Juvenalis, quam alii Probo adscribunt. Stylus id plane evincit, nec repugnat ætas. Adolescentulum se fuisse testatur Suetonius sub Domitiani imperii finem, cùm exhaustus operum ac munerum impensis ille princeps omnium bona confiscaret, et præter ceteros Judaïcum fiscum acerbissime exigeret, quo tempore Juvenalis mediam ætatem jam excesserat. Vitam illam hîc paucis examinabimus, ut quantum discrepent, quæ ibi de Juvenale traduntur ab his, quæ alii tradunt, constare possit. Dicit Juvenalem *ad mediam fere ætatem declamasse, animi tantum causa*. Cùm *octogenario* major obierit, media ætas quadraginta circiter annis definienda est. Tantumdem erit, etiamsi triginta vel minus etiam ponas. *Deinde*, inquit, *paucorum versuum in satira non absurde composita in Paridem pantomimum poëtamque ejus semestribus*:

militiolis tumentem, hoc genus scripturæ industriose excoluit. Post mediam itaque ætatem ad scribendam satiram animum appulit. Paris ille sub Domitiano floruit. Poëta ejus Statius est, quem Paridi Agaven tragœdiam a se compositam, ne esuriret, vendidisse ea satira VII, 86 seq. dicebat Juvenalis. Tota ergo illa satira Juvenalis, quam primam omnium scripsit, in Paridem pantomimum vibrata est, quam et paucis versibus constitisse dicit auctor. Hîc notandum est, non dicere illum, propter eam satiram Juvenalem in exilium actum fuisse, quod tamen alii omnes scriptum reliquerunt, Dio, Suidas, Sidonius Apollinaris (carm. IX, 270), hoc versu, qui Juvenalem designat:

Irati fuit histrionis exul.

Atque id erat hoc loco non omittendum, cùm altum de ea re silentium sit, eo maxime loco, quo taceri non debuit, inde colligere licet, non tunc temporis, nec propter id Urbe submotum fuisse. Sequentibus hoc magis probabitur. Cùm satiræ faciendæ auspicium duxisset a Paride pantomimo, *genus hoc scripti* postea *studiose excoluisse* memorat. Quod facturus non fuit, si pœnam potius quàm gloriam in auspicio scriptionis nactus esset. Nemo sanus quod semel nocuit, tantâ industriâ excolit. Sequitur: *et tamen diu ne modico quidem auditorio quidquam committere est ausus.* Ergo Romæ diu vixit post illam primam satiram, multumque temporis dedit procudendo ingenio in illo scripti genere, priusquam quidquam auditorio committeret, hoc est, priusquam publice recitaret. *Mox*, inquit, *magna frequentia, magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quæ prima fecerat, inferciret novis scriptis.* Scripta sua tum recitavit publice, hoc est, satiras illas, quæ hodie exstant, quibus etiam ea inseruisse dicit, quæ prima fecerat: et subjicit auctor hos versus:

Quod non dant proceres, dabit histrio: tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas!
Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.

Hæc igitur de illis sunt, quæ in prima satira posuerat, adversus Paridem composita, cum aliis, quæ de Poëtis et Statio Agaven suam Paridi vendente leguntur, nunc satira VII, cui infulta

sunt ab auctore, quo tempore scripta sua recitavit et edidit. Positis his versibus, adnectit Suetonius hæc verba: *Erat tum in deliciis aulæ histrio, multique fautorum ejus quotidie provehebantur: venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora figurate notasset: ac statim per honorem militiæ, quanquam octogenarius, Urbe submotus, missusque ad præfecturam cohortis in extrema parte tendentis Aegypti.* In his cardo rei vertitur, quia ex his verbis hallucinandi ansam arripuerunt omnes, qui scripserunt, Juvenalem sub Domitiano in exilium pulsum, quod offendisset Paridem, et in Paride Domitianum. Nam et hos versus de Paride primum factos esse constat, et propter hos versus hoc loco diserte scribit auctor, Urbe submotum fuisse Juvenalem, qui in suspicionem venerat, quasi figurate tempora taxasset. Sed nec ordinem vitæ et scriptorum Juvenalis, nec mentem Suetonii attendisse videntur, qui in hunc lapidem impegerunt. Hic disertim tradit, octogenarium tam fuisse poëtam, cùm Urbe submotus est. Quadragenarius erat, aut etiam natu minor, certe mediæ ætatis, cùm primam illam satiram composuit, quâ Paridem læsit. Demus circa initia imperii Domitiani scriptam esse, et quadraginta annorum tum fuisse Juvenalem, si id quod illi superfuit ævi usque ad octogenarium computes, in sextum Hadriani annum devenies: non igitur sub Domitiano, sed sub Hadriano in exilium actus est. Hoc enim necessario concluditur, quandoquidem octogenarius et mediæ ætatis Domitiano imperante simul esse non potuit. Certe octogesimum ætatis annum Domitiani ævo attigisse non est verisimile, cùm verum sit penultimam satiram ab eo scriptam fuisse post Junii Rustici consulatum, id est post tertium Hadriani annum. Quare si octogenarius Urbe pulsus est, nec a Domitiano pulsum, nec in gratiam Paridis, constanter asseverare possumus. Præterea clarissime testatur Suetonius, Urbe exactum eum propter illos quidem versus, quos superius attulimus, sed cùm jam eos infulsisset novis scriptis, ex prima nempe satira, quâ Paridem tetigerat, translatos. At satira illa septima, cui inferti sunt et inserti, quæque hodie legitur, sicut ab eo recitata postremum est atque vulgata, Domitiano jam pridem exstincto prodiit.

Nempe et quarta similiter eo mortuo emanavit, ut ex his constat (sat. IV, 37, 38):

> Cùm jam semianimum laceraret Flavius orbem
> Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni.

Rem ibi narrat, quæ longe ante, ut apparet, acciderat, Domitiano nimirum imperante. Eamdem satiram ita clausit:

> Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
> Cœperat.

quod de Domitiano dictum est. Ex his omnibus colligi non absurde, immo verissime potest, corpus satirarum, quale hodie exstat, sub Hadriano frequenti auditorio recitatum a poëta publicatumque fuisse, cùm satis utique constet, tredecimam et decimam quintam, quæ penultima est, initio Hadriani scriptas esse, ad tertium regni ejus annum. Tum *in suspicionem venit, quasi tempora figurate notasset,* propter illa verba, quæ leguntur satirâ septimâ (v. 90):

> Quod non dant proceres, dabit histrio.

Singulæ hæ voces Suetonii ponderandæ sunt, *in suspicionem venit*, et *quasi figurate tempora notasset.* Cùm enim tota illa satira res et homines anterioris temporis carpere videatur, et nominatim Paridem arripiat, qui sub Domitiano floruit, et potuit multum in provehendis suis fautoribus, *figurate* tamen etiam præsens tempus notare tum visus est, quo similiter et histrio quidam potens, et scenicæ gratiosæ militias, tribunatus et præfecturas, fautoribus suis conciliabat. Hoc nec abludit a moribus Hadriani, qui varius in omnibus fuit: nam et psallendi canendique studio tenebatur, et comœdias tragœdiasque semper in convivio exhibebat. Licet autem nihil tale scripserint auctores vitæ Hadriani, qui hodie exstant, non dubitanter tamen id possumus affirmare, tot certis argumentis et testimonio Suetonii, quod omnia superat, inducti. Finge vero, verba illa, *quod non dant proceres, dabit histrio,* de temporibus Domitiani dici, et in Paridem pantomimum illius ævi, nulla tunc erit figura, nullum σχῆμα, nullum oblique dictum: nam districte ac directe tempora Domitiani taxant, et Paridem aperte nominant, et nimiam ejus potentiam notant. Nihil ergo istic *figu-*

ratum, si temporibus Domitiani, quod dictum est, sicut recte convenit, et expressum est, accomodemus. Sed si in personam Paridis dicta, et in Domitiani imperium directa, tacite in historiam Hadriani, et ad tempora ejus culpanda torqueantur, tum figuratæ orationis et notationis instar id obtinebit. Etenim figura est, cùm sub alterius persona, quem nominamus, alterum æque vitiosum, qui ita designatur, ut auditori relinquatur inveniendus, fatigamus. Sic Juvenalis sub nomine Paridis Domitiani pantomimi carpere ac notare figurate voluit Hadriani imperium; sub quo et potens æque histrio exstitit. Si non hoc voluit, certe in suspicionem hanc venit. Quintilianus: *Schema vocatur, in quo per quamdam suspicionem quod non dicimus accipi volumus*: inde *figurate dicere* et *figuratæ controversiæ*. Atque ideo *per speciem honoris ad præfecturam cohortis in Aegyptum missus*, atque Urbe submotus: non relegatus in *Oasa*, ut quidam volunt, nec *Pentapolim*, ut alii, sed *Syenen*, quæ urbs Aegypti ultima, in qua tres cohortes prætendebant. *Id supplicium genus*, inquit Suetonius, *placuit ut levi atque joculari delicto par esset*. Sed, inquiet aliquis, si Urbe relegatus est sub moderato principe, qualis erat Hadrianus, eo tantum nomine, quòd figurate tempora ejus taxare visus esset, cur Domitianus adeo inhumanus et immanis princeps sine noxa pœnaque dimisit eum, a quo adeo aperto rectoque telo per latus Paridis petitus fuisset? Præter alia multa, unum hoc præcipue respondere est, satiram illam, quam primam omnium in Paridem Domitiani fecit Juvenalis, *paucorum versuum* fuisse, nec auditam publice: nec editam, sed paucis si forte scholasticis hominibus et doctis visam. Ita hoc verisimile est, ut nihil sit verius. Nam post hoc experimentum, cùm diu multumque se in eo scribendi genere exercuisset, senex admodum sub Hadriano scripta sua auditorio frequenti bis terque commisit, atque in vulgus emisit, satiras, nempe has omnes, quæ hodie exstant, in corpus unum digestas, quibus etiam *inseruit ea quæ prima fecerat*, ut illa in Paridem. Sic pars earum sub Domitiano composita, pars sub Trajano, quædam sub Hadriano factæ, omnes autem Hadriani ævo recitatæ et publicatæ, quo tempore *in suspicionem venit*, *quasi*

quod longe verisimilius est *a modicis* illis *facultatibus*, quas memorat Plinius, ad *divitias* nostrum (quarum meminit Juvenalis) ascendisse, quàm vice versa illum a divitiis ad modicas facultates recidisse. Ita certe cùm nullo prorsus insigni infortunio notatum observarunt veteres.

Sed miri sunt in hac universa causa tam recentiorum quàm etiam veterum errores. *Paridem* illum *seniorem* intelligunt vitæ Juvenalis auctor anonymus, et vetus ille, quem habemus, Juvenalis interpres, Claudii nimirum Neronis libertum, a patrono ipso, ut Dio, lib. L, et Suetonius Ner. c. 54, testantur, interfectum. Proinde ad Neroniana tempora illa refert scholiastes (ad sat. VII, 92) in quibus Paridis mentionem fecit Juvenalis. Ita *Domitiani* tempora pertingere Juvenalis non potuerit, qui paulo *post exilium* obierit, quod tamen, vel ex ipso satirarum opere, constat esse falsissimum. Atqui *juniorem* illum fuisse *Paridem* a Domitiano cæsum, quem perstrinxit Juvenalis, vel inde constat, quod *Statium* poëtam dicat, post recitatam cum laude Thebaïdem, Agaven suam tragœdiam Paridi illi vendidisse. Hic sane Statius ab eo, quem habemus, alius esse non potuit. Ediderat ille Thebaïdem suam paulo antea quàm primum ederet Silvarum librum, probatam nimirum antea recitationibus. Ita post initium Domitiani, et tamen ante Paridis cædem et repudium Domitiæ, Agaven vendiderit oportet Statius. Adeo præterea certum est, *post cædem Domitiani* satiras scripsisse Juvenalem, ut mirum sit profecto, monitos a Lipsio (lib. IV, epist. Quæst. ep. 20), et Salmasio de eo amplius dubitare posse viros eruditos. Non repeto hîc argumenta, jam ab illis olim observata. Novum addo, quod illos fugerat, sed vero longe certissimum. *Marium* ille *Priscum* dicit (sat. I, 47 seqq. et VIII, 120), *ditior Afros discinxisse*, proinde *exulem* factum damnatum [illegible]etundarum; sic tamen ut *Diis* ipse *iratis frueretur*, *provincia* autem *victrix ploraret*. Hanc ipsam Afrorum causam coram Trajano tertium consule Plinius egit mense Januario anni C, et quidem eo eventu, ut rapta *fisco* addicerentur, quæ causa erat *provinciæ plorandi*, reliquis ipse *in exilio frueretur* (v. Plin. epist II, 11, 12, et Paneg. c. 76). Sunt et illa Juvenalis de Domitiano verba: (sat. IV, 57, 8).

Cùm jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni.

Hæc verba ad *exilium* poëtæ retulit vetus scholiastes. *Propter quod*, inquit, *sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto, Hoasa, ubi mortuus est.* Sed mitius fingitur *Domitiani*, quàm fuit, ingenium, cùm verba illa *exilio* expiata credunt, et quidem *tali exilio*, quod *speciem* haberet *honoris*, quod *præfectura* potius quàm *exilium* appellaretur. Fuit quidem Juvenalis in *exilio*, etiam in *Aegypto*, ut e satira ejus colligitur XV, v. 45 : non tamen certe sub *Domitiano*. Immo Juvenalem in ipsa *Suburra* memorat Martialis (epig. XII, 18), anno postquam in patriam rediisset (quod Trajani tertio consulatu factum), ad minimum æræ nostræ Christianæ CIII, post cædem *Domitiani VIII :* cùm tamen *tædio et angore* (exilii scilicet) *mortuum* testetur vitæ auctor anonymus. Nunquam redierit oportet, qui *tædio exilii et angore sit mortuus*. Fieri tamen vix potuit quin *redierit*, *Nerva* exules *revocante*, qui a *Domitiano* fuisset relegatus, si quidem *Domitiano* fuisset *superstes*. Præsertim ille, qui *per speciem honoris* exulaverat. Ita pugnant omnia, quo minus vera esse possit recepta illa sententia.

Sed vero a *Sidonii* illo testimonio pendent recepti illi errores, *irati histrionis exulem Juvenalem* appellantis. Addit præterea manifestum, ut putat, Suidæ auctorisque veteris, qui *vitam Juvenalis* conscripsit, Ryckius. Atqui non idem dicunt illi, ut mox videbimus, quod putat ille dicere Sidonium. Ego potius vicissim ex *illis* explicandum existimo *Sidonium*. Sic autem se rem illam totam habuisse censeo. *Exul* erat, uti jam dixi, *Juvenalis*, cùm satiram scriberet XV. Hoc confirmat etiam in v. 27. Scholiastes : *De se*, inquit, *Juvenalis dicit, quia in Aegypto militem tenuit, et ea promittit se relaturum quæ ipse vidit*. Proinde rixæ illi ipse adfuit, quam describit inter Ombitas et Tentyritas. Tempus autem ipse designavit rixæ illius, cùm et *nuper* illam contigisse dicit, et quidem *Consule Junio*, sat. XV, 27. Scio quidem, *Vincum* nonnullos, *Juncum* alios in loco illo legere. Id quoque scio, in inscriptionibus, non tamen horum temporum, occurrere *Aemilium Juncum*. Sed, qui-

cumque demum is fuerit Consul, *ordinarium* certe fuisse verisimillimum est. *Designatis* enim *Consulibus* res extra Italiam gestas signare non solebant, teste Dione lib. L. *Juncum* autem aut *Vincum* nullum prorsus agnoscunt horum temporum fasti inter consules ordinarios. Rectius ergo *Junium* reponunt *codices* et *fide* pariter et *numero* potiores, ne quidem *metri* ratione refragante, ut jam olim observavit Salmasius. Et quidem *Junium* duplicem habent fasti coævi Juvenali, alium Domitiani in X. Consulatu collegam, *Appium Junium Sabinum*, anno Domini LXXXIV, alium Hadriani in suo itidem Consulatu III, collegam *Q. Junium Rusticum*. Quo minus prior intelligi possit, obstant illa omnia, quæ in his ipsis satiris occurrunt *Domitiani* temporibus recentiora. Posteriorem ergo intellexerit oportet anno æræ receptæ CXIX. Hoc ergo anno erat in *exilio Juvenalis* testis earum, quas deridet, rixarum. Sed vero *Roma* illum ejicere non potuit *Trajanus*, qui ab anno usque CXII Romæ ipse non adfuit, nec etiam ante annum CXVIII, quo Romam venit imperator, *Hadrianus*. Romæ enim nata est *exilii occasio*, quòd *Romæ satiras* recitaverit, quòd *Romæ* secundis omnium suffragiis exceptus fuerit, quòd *Romæ* princeps ille, quicumque fuerit, *ingeniis faverit*, *præfecturisque* poëtas remunerari solitus fuerit, et quidem interpellantibus (qui Paridis in loco videri possent) seu *amicis*, seu *libertis*. Inde enim factum, ut quæ in *Paridis* olim *defuncti* opprobrium scripsisset Juvenalis, ea princeps in suam amicorumve aut etiam temporum suorum contumeliam acceperit. Inde nimirum, ut *levi* atque *joculari* delicto, ut observavit vitæ auctor, par etiam pœna decerneretur. *Semestres Paridis militias*, *tribunatus* scilicet, *poëtis* venditas exprobrat Juvenalis sat. VII, 88, 89, 92. Ita nimirum, ut *præfectos Pelopea*, *tribunos Philomela* fecerit. Proinde ipse *cohortis præfectura* donatus est, quasi satirarum præmio. Plane hoc pro indole *Hadriani* satis *jocularis*, et *pœnæ* loco, et in *speciem honoris*. Objectat ille *venalia* illa poëmata emptorum nomine edita, captatosque adeo ab illis alienorum operum honores. Nescio an proinde *ingenii* sui fetus sub *libertorum* nomine ediderit Hadrianus (hoc enim de eo testatur Spartianus), quo se adeo alienum ostenderet a convitio illo captandi debitos

alienis operibus honores, ut contra sua alienis nominibus supposuerit, et quidem, qualis *Paris* fuerat, *libertorum*. Itaque et *Romæ* fuerit oportet, et suæ indolis experimenta dederit in litteratos munificentissimæ, cùm Juvenalis illa in se dicta suspicari posset Hadrianus. Sic ante anni CXVIII finem, aut CXIX initium, mitti vix potuit in exilium Juvenalis. Erat autem, cùm relegaretur, *octogenarius*. Proinde *natus* fuerit vel anni XXXVIII fine, vel XXXIX, initio. Inde reliqua Juvenalis tempora erunt arcessenda.

Ait vitæ auctor, *ad mediam* fere *ætatem declamâsse, animi magis causâ, quàm quòd scholæ se aut foro præpararet.* Suffragatur et ipse, cùm ait *se consilium dedisse Sullæ, privatus ut altum dormiret.* (Sat. I, 16). Plane *declamatorium* illud erat argumentum. Inde *facundiæ* nomine illum celebrat Martialis (epig. VII, 91, 1). Recte nimirum ille, satisque, pro temporum ratione, congrue. *Media* enim *ætas Juvenalis* incurret in annum, pro nostris hisce calculis, LXXVIII vel LXXIX, multis ante annis, quàm scriberet illa Martialis? Sed nulla adhuc memoratur ejus celebritas a re poëtica, ne quidem a *Quintiliano*, ubi agit de scriptoribus satirarum. Non equidem, ut suspicatur Rigaltius, quasi illum læsisset hoc ipso satirarum opere Juvenalis. Tantum abest, ut id moleste ferre posset noster, ut sane contra nuspiam illius, nisi cum honore, meminerit. Sed monet noster lectorem aliquoties (v. Quintil. III, 1, et X, 1), se dedita opera a *nominibus viventium* abstinere. Et multis postea annis scripsit Juvenalis illas, quas habemus, satiras. Addit enim vitæ auctor, posteaquàm *declamationibus* inclaruisset: *deinde paucorum versuum satira non absurde composita in Paridem pantomimum poëtamque Claudii Neronis, ejus semestribus militiolis tumentem, genus scripturæ industriose excoluit.* Proinde *unicam* illam fuisse *paucorumque versuum satiram* innuit, quam *primam* scripsit Juvenalis: eam cùm *non absurde compositam* ipse judicâsset, inde animos sumpsisse *ad genus scripturæ industriose excolendum*. Mansit tamen intra privata auctoris scrinia prima ejus illa in hoc genere scribendi exercitatio. Adeo nimirum ab eo nondum edita, ut ne quidem amicorum auditoriis recitanda crederetur. Sic enim subjungit

auctor: *et tamen diu ne modico quidem auditorio quidquam committere est ausus.* Id quod etiam primis *primæ satiræ* verbis satis aperte significat ipse Juvenalis. Nec enim alio spectare videntur illa, in quibus queritur, tamdiu se fuisse poëtarum recitantium *auditorem*, semper *clamâsse Frontonis platanos*, et *convulsa marmora*, *ruptasque assiduo lectore columnas*: cùm ipse scilicet nondum in eo scripti genere aliorum patientiam exercuisset. Tam longe aberant illa a *Paridis* ira concitanda, si vel superstite Paride fuissent scripta, eum irritare non possent, cùm nondum emanâssent *in publicum*. Nec tamen verisimile est *ante cædem Paridis* vel illam *paucorum versuum satiram* scripsisse Juvenalem. Nihil, fateor, de scriptionis *tempore* accuratum tradidit, quem unicum habemus de his rebus testem, vitæ auctor anonymus. Id unum indicat, *post mediam ætatem* ad illa Juvenalem studia deflexisse. Sed nihil plane de studiis ejus poëticis poëta Martialis (epig. VII, 24). Is tamen se ita Juvenali familiarem fuisse gloriatur, ut non magis Pyladi amicus fuerit Orestes, aut Theseus Pirithoo, ne vel arcana Juvenalis studia Martialem latuisse suspicemur. Immo a mortuis ille (sat. I, extr.) prudenter abstinendum esse censet. Tantum abest ut *vivum Paridem* vel in *prima* illa *satira* laceraret. Juniorum ergo auctorum ista sunt tantummodo *ratiocinia*, non autem e veterum monimentorum coæva fide deprompta testimonia. Cùm vero *genus scripturæ industriose excoleret*, tum et *reliquum satirarum corpus* scripsit, inque illam, quam retinent hodieque, formam redegit, et *ea quoque, quæ prima fecerat, novis scriptis infercivit.* Sunt enim illa auctoris anonymi verba: *mox magna frequentia magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quæ prima fecerat, inferciret novis scriptis.* Recitavit, ni fallor, omnia, emisitque in publicum, anno CXVIII, postquam Romam venisset Hadrianus, quem ille principem a benevolo ejus in hæc studia animo in hac ipsa satira (VII, 1) in qua occurrunt verba illa de Paride, commendat. Inde, ni fallor, animos sumpsit scripta sua in publicum emittendi. Inde tantus ille recitantium numerus, de quo in prima satira, cùm spes illa lucri appareret, ditante professores, uti vidimus, Hadriano. Omnes ergo satiras sub Hadriano editas existimamus, non postremas tantummodo,

ut voluit Salmasius. Paratas enim ad editionem uno eodemque tempore fuisse vel illud arguit, quod *bis* illas *terque recitaret.* Non scilicet seorsim, sed unis continuisque recitationibus, quas quidem ante exilium scripserat, universas. Cùmque diu se a recitatione continuerit, proinde anni CXVIII fine, feriis fortasse, quas recitationibus plerumque dabant, vindemialibus, non autem æstivis, recitavit. Ultimas satiras a XIII, tum certe scriptas nota illa sexagesimi a Fonteii consulatu anni docet, etiam observante Salmasio. Ad Trajani etiam tempora exeuntia spectabant *terræ motus* illi, quorum mentio occurrit in sat. VI, 409, 410, observante Lipsio. Erat enim terræ motus ille anno pro nostris calculis CXIV exeunte, pro receptis autem CXV, itidem exeunte. Et *Frontonem* illum, cujus platani et marmora perpetuis poëtarum recitationibus sonabant, ut nos docet Juvenalis ipso sat. I, initio, non alium existimo a celeberrimo oratore *M. Cornelio Frontone*, Marci Luciique Antoninorum magistro, qui sub Hadriano præcipue et Pio et Marco floruit, ne ad tempora Hadriano antiquiora possit commode referri. Vidit illum certe audivitque sub Pio Gellius (Noct. Att. XIII, 28, XIX, 8, 10, 13). Consulatum autem sub discipulo gessit, ut videtur, Marco. Erant, fateor, alii quoque illis temporibus *Frontones*, ut observavit olim ad locum junioris Plinii Catanæus. In illis etiam Fronto Catius sub Trajano orator et ipse et senator Plinio ipsi coævus et ab eo non uno in loco memoratus (epist. II, 11, IV, 9, VI, 13). Illum grandævum admodum fuisse oportet, si Marci tempora attigerit, si Plinii tempore ætate fuerit senatoria. Eumdemque sane credidit Catanæus. Nescio an recte. Sed temporum ratio, et favor in illum Hadriani, et par adeo illius in litteratos studium id efficiunt, ut non alium illum fuisse verisimillimum sit a Marci præceptore, de quo loquitur Juvenalis. Id tamen præcipue suadet, uti dixi, tantus *ille recitantium numerus*, temporibus Hadriani convenientior quàm Trajani. Trajano certe imperante Romam ita reliquit Martialis, ut in patriam discesserit, nec inde unquam postea redierit. Non alia, ut videtur, causa, quàm quod lucri e studio poëtices quærendi spes omnis deinceps penitus decollaverit. Proinde verisimilius existimo, qui anno CXVIII Hadrianum offenderit, missum

proinde in exilium initio anni CXIX. *Erat tum*, inquit vitæ auctor, *in deliciis aulæ histrio, multique fautores ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora figurate notasset.* Nempe illa in *Paridem* dicteria *histrionem*, in *suum* (cujus nomen non prodidit auctor) histrionem dicta interpretabatur Hadrianus, et *se* magis in illo quàm *histrionem* ipsum, in histrionis *sui* persona notatum, quòd honores suos viris litteratis concessisset interpellante histrione. Ad principes enim ipsos pertinebant laudes illæ temporum, aut convitia. Idque frequentissime illis objectum si quid personis vilioribus in reipublicæ administratione tribuissent. Servorum libertorumque gratia nihil fere contumeliosius. Sexto Pompeio hoc objectum legimus, et Imperatori Claudio. Et multa istiusmodi exempla, si opus esset, adduci possent. Nec tamen *libertorum* dignitas minori erat in pretio quàm *histrionum*. Inde Juvenali exilii causa. Scripsit ergo in exilio satiram XV et XVI, si tamen vere et illa Juvenalis fuerit, quòd negatum a plerisque testatur vetus scholiastes. Sed cùm *nuper Consulem Junium* fuisse dicat, jam sane cùm satiram illam scriberet XV, *elapsum* illum *Consulatum* innnit. Is ergo cùm Consul fuerit anno CXIX, proinde ante annum ad minimum CXX scribere illa non potuit Juvenalis. Nec vero postea scripsisse, exinde colligimus, quod *intra brevissimum* exilii *tempus angore ille et tædio perierit.*

VITA JUVENALIS

E maxime probabilibus conjecturis digesta ab Editore.

Ex his colligere licet, Juvenalem circa annum *V. C.* DCCXCV, Christi XLII, Tib. Claudio Druso Imper. natum esse: nam, si ab hoc anno, usque ad tertium principatûs Hadriani numeraveris, octogenarius Juvenalis in exilium actus erit, quod satis Salmasii conjecturis stabilitum fuit. Frustra Alex. Ruperti objicit, vix credendum esse, octogenarium satiras ætate tam provecta publice

recitâsse. Jam vidimus centenarios homines absque baculo ambulantes, aut sine conspicillo legentes; nec mirum, si octogenarius satiras ante absolutas in lucem edidit, atque bis terve publice recitavit.

Fuisse autem filium libertini Juvenalem, non alumnum conjicio, ex nomine *Junius:* nam is non erat, ut videtur, e *Junia* gente oriundus: sed fieri potuit, ut ex majoribus ejus unus (avus aut abavus) illustri cuidam e Juniorum gente servus sorte datus, (forte D. Junio Albino Bruto prætori, qui fuit inter Cæsaris interfectores præcipuus) aut domi verna natus, ab hero suo manumissus et ditatus, nomen patroni, sicuti mos ferebat, acceperit, atque posteris suis transmiserit. Juvenalis in rempublicam amore suo constanti, in improbos acri odio, in Brutos, Curios et Decios veneratione suâ, simul ac morum severitate, eam, quam ipsi dedimus, originem comprobare potest: opiniones enim et sensus eorum, a quibus beneficia accepimus, suscipere, servare in animo, et liberis nostris mandare ingenitum nobis est. Prænomen Juvenalis in multis codd. inscribitur D, quod significat *Decimus*, non *Decius:* nam *Decius* nomen gentis erat, non prænomen; et *Decimus* prænomen fuit multis viris clarissimis usitatum; et certe *Juniæ* genti. *Juvenalis* cognomen ei, vel uni ex ejus avitis inditum, propter *juventutem* suam: cognomina enim ob corporis aut animi dotem aliquam, vel ob vitium quodlibet dabantur olim, et nunc quoque dantur. Præter hæc nomina, illi ab antiquis librariis cognomen *Ethici* tributum est, quod ipsa, quam tractavit, materia probat. Simili fere ratione, iidem librarii vocaverunt Ovidium *Getam*, Propertium *Nautam*, Statium *Aquilinum*, Martialem *Coquum*, Prudentium *Amœnum*.

Patria poëtæ nostri fuit *Aquinum* Volscorum oppidum, quod πόλις μεγάλη Straboni dicitur, nunc quoque *Aquino*, patria *Sancti Thomæ de Aquino*, celebris scholasticorum parentis. Vid. Sat. III, v. 319. Hinc, in codd. multis pro titulo satirarum, legimus: IVVENALIS AQVINAS, vel IVVENALIS AQVINATIS SATIRICI LIBER INCIPIT. In vetustissimo cod. Pithoei ad initium sat. I, hæc verba leguntur: « Juvenalem « aliqui Gallum, propter corporis magnitudinem, aliqui « Aquinatem dicunt. »

Quisquis autem fuerit Juvenalis pater vel nutritor, is optime, ut videtur, patris munere functus est: nam et eum heredem reliquit, et diligentissime erudiendum curavit. Quo autem præceptore usus sit, incertum. Quidam censent Frontonem, cujus meminit sat. I, v. 12, quemque docuisse illis temporibus magna cum celebritate testatur Gellius; alii Quintilianum. Sed neutrum crediderim: namque vir jam esse debuit Juvenalis, cùm Fronto et Quintilianus ad juventutem publice instituendam accessere: et necesse non est ei præceptorem adeo celebrem quærere; cùm multi illustres doctrina viri vel prorsus disciplina prima caruerunt, vel longe post se institutores suos reliquerunt, et fama sua nomen eorum silentio presserunt.

Juvenalem non omnino locupletem, nec omnino pauperem fuisse; sed in eo felici fortunæ statu, qui sapienti solus est exoptandus, vitam egisse constat ex sat. undecima, et ex his auctoris vitæ suæ: scil. eum *declamâsse animi magis causâ, quàm quòd se scholæ aut foro præpararet*: nam, si pauper et egens fuisset, non animi, sed quæstûs causâ, rhetoricam artem professus esset. Eum autem *declamâsse* tradit Suetonius, vel vitæ suæ auctor pervetustus.

Ipse quoque poëta eadem de se innuit, sat. I, v. 15, et Martialis, lib. VII, epig. 91, ubi amicum suum *facundum* dicit: et, reipsa, satiræ Juvenalis passim oratorium ingenium redolent.

Circa an. *V. C.* DCCCXXXIII, Christi LXXX, T. Flavio Sabino Domitiano Imper. satirâ paucorum versuum non absurde compositâ in Paridem et Statium (sat. VII, 87), hoc genus scripturæ industriose coluit; sed diu ne modico quidem auditorio, quidquam committere ausus est, propter tyrannidem Domitiani; et quidem sapienter: eæ sunt enim hujus satiræ, quæ sub principe vel moderato, difficile a regibus et aulicis, multo minus a tyrannis, deprædatoribus et corruptis hominibus concoqui possint. Hodie quoque, nil nisi magnum nomen Juvenalis jamdudum umbrâ mortis oppressi, sed in animis proborum virorum semper mansuri, eas tolerabiles efficit.

Domitiano interempto, et impp. Nerva, et post eum Trajano, satiras plerasque suas conscripsit: sed eas tunc videtur paucissimis familiarium suorum recitâsse: nam Martialis, quem nostro poëtæ amicum fuisse intelligitur ex aliquot epigrammatibus, quique decessit e vita, circa annum quartum imperii Trajani, Juvenalis meminit (lib. VII, epig. 91, et XII, epig. 88), ut rhetoris sibi carissimi, non ut poëtæ satirici.

An. *V. C.* DCCCLXX, Christi CXVII, et Juvenalis prope LXXVII, P. Aelius Hadrianus Imperator salutatur et Augustus, ad quem inscripta forte fuit satira Juvenalis septima: nam et ille princeps erat omnibus litteris perpolitus, doctorumque hominum amantissimus; sed varius, levis, inconstans, et inter virtutem ac vitium iter medium

tenens. Unde, nec bonus omnino nec malus princeps dici potuit. Primum, magnam de se Romanis spem dedit, quam reipsa magna ex parte præstitit, per aliquot annos; nihilominus plus concessit libertinis, pantomimis, voluptatibusque quàm quod deceret principem: demum, sub vitæ suæ finem, suspiciosus, avarus, acerbus, crudelitatis notam non effugit; ut jam ante, ridícula Antinoi sui apotheosi, insanientis doloris maculam nomini suo inusserant Romani. Sed hæc ad historiam pertinent. Ad prima igitur tempora Hadriani spectant Suetonii verba de Juvenale: *mox magna frequentia, tantoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quæ prima fecerat, inferciret novis scriptis.*

Eodem anno, quo supra, vel sequenti, forte compositæ sunt XIII, XIV, XV et XVI satiræ; et anno Hadriani Imperii tertio vel quarto satiras suas Juvenalis antea compositas *bis terve* publice, magno cum successu et frequenti auditorio, recitavit. At, cùm esset tum in aula principis histrio gratiâ pollens (Antinoïus ipse, ut opinor, quem servum fuisse constat, quique forte antequam principis eatamitus in tanto apud eum honore versaretur, histrioniam exercuit), *venit Juvenalis in suspicionem, quasi præsentia tempora figurate notasset.* Propter hos versus: *Quod non dant procéres, dabit histrio, etc.* sat. VII, v. 70—92. Urbe ergo submotus sub prætextu honoris, missus est ad præfecturam cohortis *Syenen*, ut Salmasius existimat, *Pentapolim* Libyæ, ut Suidas, vel *Oasa* seu *Oases*, ut alii conjiciunt. In quemcumque locum relegatus fuerit, non inde reversus est; sed brevi angore et tædio periit, quod certe eâ ætate, quâ tunc erat, mirum non debet videri.

TESTIMONIA VETERUM,

ET RECENTIORUM NONNULLORUM JUDICIA

DE JUVENALE.

Partim ex Henninio, Proleg. sect. II, edit. 1685, collecta.

VETERES.

M. Fabius Quintilianus. Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius. Quosdam ita deditos sibi adhuc habet, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et esse aliquid, quod tollere possis, putat: nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius: et ad notandos hominum mores, præcipuus. Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro Persius meruit. Sunt clari hodie quoque, et qui olim nominabuntur. *Instit. Orat.* X, 1. N. B. *Putatur ultimis verbis Juvenalem innuere, quem forte ideo nomine non expressit, quòd morosus omnium censor aulæ et vulgo esset exosus.* H.

M. Valerius Martialis, *lib. VII, epig.* 24:

Cum Juvenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes,
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, et majus nomen Atridas,
Et Ledæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis et talibus imprecor ausis,
Ut facias illud, quod, puto, lingua, facis.

Idem, *lib. VII, epig.* 91:

De nostro, facunde, tibi, Juvenalis, agello
Saturnalitias mittimus, ecce, nuces.
Cætera lascivis donavit poma puellis,
Mentula custodis luxuriosa Dei.

IDEM, *lib. XII, epig.* 18 :

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Juvenalis, in Suburra,
Aut collem Dominæ teris Dianæ ;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cælius et minor fatigant ;
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit,
Auro Bilbilis et superba ferro.

RUTILIUS CLAUDIUS NUMANTIANUS GALLUS, *Itiner. lib. I, sub finem :*

Hujus vulnificis, satira ludente, camœnis
Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Instituit veterem censoria lima pudorem :
Dumque malos carpit, præcipit esse bonos.

AMM. MARCELLINUS, *Histor. lib. XXVIII :* Quidam detestantes, ut venena, doctrinas, Juvenalem et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina, præter hæc, in profundo otio contrectantes.

C. SOLLIUS SIDONIUS APOLLINARIS, *ad Magnum Felicem Consulem, carm. IX, v.* 270 :

Non qui tempore Cæsaris secundi
Aeterno incoluit Tomos reatu :
Nec qui consimili deinde casu,
Ad vulgi tenuem strepentis auram,
Irati fuit histrionis exul.

N. B. *Confer schol. vett. ad Juven. sat. IV,* 38, *VII,* 92, *XV,* 27. *Savaron. ad hunc locum Sidonii et Salmas. in Solin. p.* 449. H.

PORPHYRIO, (seu, quisquis est, vetus grammaticus) *comm. in Horat. satiras.* Satira Horatii inter Lucilii satiram et Juvenalis est media, nam et asperitatem habet, qualem Lucilius, et suavitatem, qualem Juvenalis.

SUIDAS, *in Lexico sub hac voce :* ΙΟΥΒΕΝΑΛΙΟΣ ποιητὴς Ῥωμαῖος. οὗτος ἦν ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως Ῥωμαίων. Ὁ δὲ Δομετιανὸς

ἐφίλει τὸν ὀρχηςὴν πρασίνου μέρους, τὸν λεγόμενον Πάριν, περὶ οὗ καὶ ἐλοιδορεῖτο ὑπὸ τῆς Συγκλήτου, καὶ Ἰουβεναλίου τοῦ ποιητοῦ. Ὅςις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν Ἰουβενάλιον ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην, τὸν δὲ ὀρχηςὴν πλουτίσας, ἔπεμψεν εἰς Ἀντιόχειαν, ὃς κτίσας ὄικον καὶ λουτρὸν ἔξω τῆς πόλεως, ἐκεῖ τελευτᾷ. N. B. *Sed fallitur, quoad* Pentapolin, *quæ exilii locus Juvenali fuerit, nec non aberrat in Paridis loco emortuali. Hactenus autem fuere* veteres, *inter quos* Servius, Acro, Sarisberiensis (qui nostrum fere *Ethicum* ἁπλῶς vocat), *aliique Juvenalis loca sæpe laudant, sed illa in* notis *afferuntur, quare omittenda duximus.* H.

RECENTIORES.

Jul. Caes. Scaliger, *Poëtic. VI*, 6: Juvenalis autem candidus, ac satirorum facile princeps: nam ejus versus longe meliores, quàm Horatiani, sententiæ acriores: phrasis apertior.

Idem, *Poëtic. VI*, 7: Non est a satiris excludendus temere Juvenalis: sed eum tanto anteponere decet Horatio, quanto melior Horatius Lucilio judicatur. Si neque argumentorum varietate par est illi Horatius, neque dexteritate tractandi, neque ubertate inventionis, neque crebritate sententiarum, neque acrimonia reprehensionis, neque acumine dicendi, neque facetiis, aut urbanitate: istorum criticorum vel ineptum, vel malignum, vel factiosum judicium deprehendetur.

Idem, *Poëtic. III*, 98: Juvenalis ardet, instat, jugulat, Persius insultat, Horatius irridet.

Justus Lipsius, *Epist. Quæst. IV*, 9: Juvenalem poëtam a Scaligero patre in satira præpositum Horatio, vidi, qui indignarentur. At ille, me judice, inter multa certi et elegantis judicii, nihil verius protulit.... *Paulo post:* De Juvenale vere judicat. Ardore, altitudine, libertate, id est, suo quodam genere supra Horatium est: quòd ipsum maxime satiræ proprium videtur. Tangit vitia, objurgat, inclamat: raro jocos, sæpius acerbos sales miscet, quæ omnia in Horatio contra, qui placidus, lenis, quietus, monet sæpius, quàm castigat. Sed ita præclare tamen hoc ipsum: ut in ea parte et arte nihil possit supra eum.

Idem, *Epist. Quæst. IV*, 15: Quòd Juvenalem doces,

M. Antonî, recte et ordine facere te puto, ut in sacramenti formulis est. Certe si ulla tempora, hæc satiram desiderant: et, in satira, nemo idoneor ad mores corrigendos Juvenale.

M. Antonius Muretus, *vid. plura Orat. III, tomi II:* Et jucunda autem, et utilis illius evolutio futura est: continet enim multas graves, et utiles sententias, optimis verbis, et genere quodam dicendi salso, festîvo, hilari, et, ut ita dicam, vivido, quod huic poëtæ proprium et perpetuum est, explicatas.

Isaacus Casaubonus, *Proleg. in Pers.* Probavit Persii consilium Juvenalis, qui non per *saturam*, quod aiunt, varia argumenta eodem carmine complectitur; sed Persiano more cuique satiræ ἓν καὶ ἁπλοῦν ὑποκείμενον γένος, ut plurimum addicit... *Et paulo post:* Longe salibus ab Horatio superatur, et a Juvenale Persius; quorum uterque feliciter est assecutus, quod voluit noster, nec potuit. Excellunt igitur in eo Horatius et Juvenalis, etsi ratione diversa: nam illius sales τὴν ὀχλικὴν ἀναγωγίαν, et, ut ita dicam, plebeium aliquid fere sapiunt: hujus omnes joci, quibus abundat, sic sunt urbani, et salsi, ut acumen sæpe atque eruditionem præ se ferant, et ingenium longo declamandi usu probe subactum... *Et iterum nonnullis interjectis:* Ubertate inventionis, copia exemplorum, tractandi dexteritate, τῷ περὶ τὰς νοήσεις ἀδρεπηβόλῳ, denique τῇ πομπικῇ καὶ ἀξιωματικῇ λέξει præstat Juvenalis.

Franciscus Vavassor, *e Soc. Jes.* Ab omni se vitio istorum (*loquitur de ludicra ridiculariorum dictione, quæ vulgo* burlesque *audit*) longius etiam Juvenalis removit. Nam et ejus scribendi ratio, non illa quidem purior aut latina magis quàm Horatii; plurimum enim abest: sed haud paulo, quàm ejus et Persii, elatior ac sonantior; et graviores ponderosioresque sententiæ; et joci amariores; stomachus in insolentium hominum indignitate fastidiosior. Cujus non oculi, non aures ferre perditos civitatis mores queant, meditetur ipse et adornet fugam in ultimas terrarum oras, ubi ne Romanum quidem nomen exaudiat: interim incurrat in quemvis obvium, et prosternat, et conculcet: non modo figat aculeis, aut morsu frangat. Qui si dixit non esse, quod diutius Romæ commoretur, ibique,

quod agat, se nihil habere; propterea quod nesciat mentiri, atque assentari non possit, librum, si malus est, laudando, ac, tanquam si optimus esset, poscendo: quid erat, Superi! dicturus, si incidisset in ridiculi sermonis homines, aut si delati retro ad illius ævum isti essent? quomodo exagitaturus hos litteratos illitteratos, et salsos insulsos, qui tam fœde diducant rictus, et cachinnos tollant miserabilem potius, quàm hilarem in modum? Sed ne fiat longius non necessario, sic distinguemus: Horatium, placide et leniter influentem in animos, suadere ridendo: subsannantem Persium philosophari velle: Juvenalem, quasi crudum et nauseantem, indignari omnia, ut hic abunde faciat dicto suo fidem, et quem initio protulit versum, totis satiris comprobet: *Si natura negat, facit indignatio versum.* Hæc V. Cl. *de Ludicra Dict.* p. 241 et seqq. sic HENNINIUS.

BOILEAU, *Art Poétique, chant II, v.* 155 *et suivants:*

Juvénal, élevé dans les cris de l'école,
Poussa jusqu'à l'excès sa mordante hyperbole.
Ses ouvrages tout pleins d'affreuses vérités,
Etincellent pourtant de sublimes beautés:
Soit que sur un écrit arrivé de Caprée,
Il brise de Séjan la statue adorée;
Soit qu'il fasse au conseil courir les sénateurs,
D'un tyran soupçonneux pâles adulateurs;
Ou que poussant à bout la luxure latine,
Aux portefaix de Rome il vende Messaline,
Ses écrits pleins de feu partout brillent aux yeux.

DUSAULX, *Discours sur les Satiriques Latins, édition de Juvénal. Paris, Merlin,* 1803, *p. cxvj:* Au point où nous en sommes, on ne persuadera jamais à ceux qui vivent dans les cours ou dans les palais des grands que la force et la gravité de Juvénal sont plus importantes que la finesse et la gaieté d'Horace: quant à ceux qui chérissent les principes d'une morale invariable, car il en est encore, qui dans un écrivain ne cherchent qu'un vengeur, ceux-là ne sauraient balancer.

LE MÊME, *page cxc :* Juvénal serait le premier des satiriques, si la vérité était le premier besoin des hommes : mais, comme il l'a dit lui-même : *on vante la probité, tandis qu'elle se morfond.*

LE MÊME, *Note sur la sat. XV, p.* 450, *tome II :* Puisse la lecture de Juvénal devenir plus familiere à ceux qui cultivent les lettres ! leurs ouvrages s'en ressentiraient, et le caractere national y gagnerait. *Voyez le Discours entier sur la satire par le méme.*

Quanto autem in honore habitus fuerit Juvenalis apud majores nostros Gallos, Germanos, Anglos, Italos, etc. evincunt innumeri pæne hujus auctoris codices manuscripti, quorum centum prope memoravimus, nec eos omnes adhuc novimus : evincit quoque multitudo editionum, quæ a typographia inventa, in lucem prodierunt : unde colligere libet, nullum poëtam, inter Latinos, Virgilio, Ovidio et Horatio exceptis, de philosophia, virtute, moribus, simul atque de re litteraria et poëtica melius fuisse meritum.

ELENCHUS CODICUM MSS.

D. JUNII JUVENALIS,

QUI NUNC EXSTANT

IN BIBLIOTHECA (IMPERIALI) PARISIENSI,

QUIQUE A NOBIS FUERUNT COLLATI.

E CATALOGO IMPRESSO CODD. MSS.

I. *Codex Puteanus* (catalogi, n° 7900. A.).

Codex membranaceus, formæ quam vocamus *in folio*, exeunte nono sæculo, ut nobis visum est, exaratus, constans 155 foliis. Præter Juvenalis satiras in quinque libros dispertitas, continet Terentii comœdias, Horatii lyrica carmina et epistolas, Lucanum et Martianum Capellam cum scholiis, et quidem copiosissimis, sed parum utilibus. Hujus codicis scriptura non recta quidem, nec pulchra, sed levis et lectu facillima, etsi quibusdam in locis minutissima, pallida atque vetustate prope deleta. Inter cæteros memorandus idem est, propter antiquitatem, et propter varietatem lectionum, quarum notabiliores aliquot in præsentis editionis curriculo notavimus : non tamen mendis expers, sed a manu recentiori emendatus est. At quisquis ille fuerit intempestivus castigator, melius certe codicis auctoritati consuluisset, si eum integrum reliquisset. In quibusdam libri locis, reperiuntur majores litteræ et figuræ calamo delineatæ; sed rudes ac deformes, et plane sæculo, quo ille scriptus fuit, convenientes. Eo autem codice plurimum usi fuimus; quippe qui ex eodem atque vetus schol. Pithoei exemplari ductus, pervetustus item, nobis in hac editione recensenda maximi esse momenti visus est.

II. *Mazarineus I* (n° 3110.).

Cod. membr. in fol. X sæculo exaratus, constans 84 foliis.

Continet opus *de Regimine principum*, primas quinque Persii satiras, Priscianum *de Grammatica*, et alia opuscula poëtica: denique XIV satiras Juvenalis cum notis inter lineas scriptis. Eleganter quidem scriptus est ille codex; sed ubique mendis scatet, nec ullam fere memorandam lectionem præbet.

III. *Colbertinus I* (7906).

Cod. membr. in fol. X sæc. exaratus, et quidem a manu diversa. Optimæ tamen est notæ, etsi mutilus. In eo leguntur Juvenalis satira IV a v. 10, satiræ V, VI, VII, et octavæ tantum 24 primi versus. In eodem volumine exstant integer Terentius, sed XIII sæculi, Aeneidos lib. 4 et 5, IX sæc. Daretis Phrygii ejusd. sæc. historia. Gregorii Turonensis *Gesta Dei per Francos* ejusd. sæc. et carmen religiosum cui titulus: *Disputatio mundi et religionis*, XIV sæc.

IV. *Thuaneus I* (8071).

Cod. membr. in fol. X sæc. exaratus, constans 61 foliis. Scriptura ejus perspicua satis est, nec inelegans, et litterarum formâ duobus præcedentibus plane similis. Cæterum non adeo bonæ notæ codex iste est; quippe in eo multa reperiuntur menda: præterea, desiderantur tres satiræ Juvenalis priores, aliæ ita ordinantur: 4, 5, 13, 14, 15, 16, 10, 11, 12, 8, 9 (cujus pars media deest a v. 38, *Quod tamen ulterius monstrum quàm mollis avarus*), 7, 6. His adde Martialis libros tres tantum, aliquot Catulli epigrammata, Pervigilium Veneris, et alia quædam opuscula poëtica minimi pretii. Primo folio, quod dicimus *feuille de garde*, ultimâ lineâ, eâdem manu, sed majusculo charactere, hæc scripta sunt:

Iuuenalis ex orthographia Bedæ presbyteri.

V. *Cod. Fauchetii* (8070).

Membranaceus in fol. XI sæculo exaratus, constans 141 foliis, eleganti simul et docta manu scriptus, charactere quidem minutissimo, sed nitido et lectu facili; quiquidem e bono exemplari ductus videtur. Exhibet Juvenalis satiras cum commentario non integro (quinque tantum priores satiras com-

plectitur), cumque scholiis ad marginem et inter lineas scriptis: præterea Persii satiras VI, sed X sæc. exaratas. Hunc codicem sæpe sæpius volvimus, veluti doctorum attentione dignissimum. Ita inscribitur : *Claudii Fauchetii regii consiliarii curiæ monetarum præsidis.*

VI. *Cod. Pithoei* (8072).

Membran. in fol. XI sæculo exaratus, constans 113 foliis, nitide et accurate scriptus, atque propter emendationem inter optimos recensendus; quem non attente minus quàm præcedentem perscrutati sumus. In eo reperiuntur XIII priores satiræ Juvenalis absque scholiis, Horatii Lyricorum libri III, Persii satiræ VI, in parvo codice separato 12 foliis constante; denique ejusdem Juvenalis satiræ 1, 2, 3, 5, 6, repetuntur cum fragmentis aliorum recentiori manu scriptæ ac mendis refertæ. Primo autem folio legitur hoc nomen, *P. Pithoeus*, manu ipsius possessoris scriptum. Idem codex exinde transiit in bibliothecam Jac. Aug. Thuani, postea Colberti, demum, post mortem hujus, inter Regios fuit relatus.

VII. *Colbertinus II* (8285).

Cod. membranaceus in 4° min. constans 60 foliis, XII sæc. exaratus, charactere Gothico, neque eleganti, neque nitido, quin etiam ita pallido, ut vix legi queat : attamen non infimæ notæ videtur ille codex, sed e bono ductus exemplo. Satiras tantum nostri poëtæ, et integras refert.

VIII. *Cod. Memmii* (8287).

Membran. in 4°, constans 48 foliis, XIII sæc. exaratus, mendosus æque, ac ineleganter scriptus, cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis. Juvenalem integrum refert. Is primo fuit præsidis in summa curia Memmii (*du président de Mesmes*), postea Colberti, demum Regiæ bibliothecæ.

IX. *Cod. Silvestri de Florentia* (8292).

Membranaceus in 4°, constans 74 foliis, XIII exeunte sæc. vel XIV ineunte exaratus, eleganter quidem, sed non adeo diligenter, nec accurate: memorabiles tamen reperiuntur lectiones,

quibus interdum usi sumus. XVI Juvenalis satiras continet cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis. Ad calcem codicis hæc leguntur :

SATIRICI IVNII IVVENALIS AQVINATIS liber explicit. Deo gratiaſ, amen.

Qui ſcripsit, scribat, semper cum Domino uiuat :
Non aliter ın scribere docta manus.

Iuuenalis Bartholomei serui dominici Siluestri de Florentia. Amen.

Et infra, sed manu recentiori :

Ego Jo. de Reate emi hunc librum a Pieraccino feneratore, Florentiæ, die vij julii 1421, cum pluribus aliis libris.

Hæc anni 1421 adscriptio, quæ libri emptionem solùm indicat, in errorem adduxit auctores catalogi impressi codd. MSS. Regg. qui eum codicem XV sæculo addixerunt, cùm antiquior sit centum et pluribus annis.

X. *Codex Senatorius* (8073).

Membranaceus in fol. parvo, constans 118 foliis, XIV sæc. exaratus, majoribus litteris auro pictis, caractere Gothico, elegantissime, et membrana nitidissima scriptus. Cum puritatem, tum exactam convenientiam in eo scribendo affectavit librarius; adeo ut liber iste editiones primas impressas superet, sed et rectitudine scripturæ pulcherrimas. Nec minor cura in contextu emendando fuit adhibita. Præter commentarium partim initio libri, partim in fine adscriptum, textui poëtæ subjuncta est paraphrasis, quæ tamen ut commentarius glossam redolet. Ille autem codex inter optimos et utilissimos nobis visus est recensendus. Hæc ad calcem leguntur :

Iste liber qui senatorius uocatur, fuit scriptus per me nicolaum olim de pusio, anno domini millo', ccc°, uıj°, indictiæ v. tempore domini clementis papæ v, anno ejus sx. mensis aprilis die xıx, et fuit compilatus quo ad lecturam, per

nobilem et illustrem uirum dominum gentilem de filiis ursi, tempore sui senatus sexti.

XII. *Thuaneus II* (7984).

Cod. membr. in fol. const. 212 foliis, exeunte XIV sæc. exaratus, eleganter scriptus, cum initialibus litteris auro et coloribus depictis, bene conservatus, satisque emendatus. Habet integros Horatium, Persium et Juvenalem. Primo folio inscribitur *Jac. Aug. Thuani* et *Colberti*, ad quem postea devenit. Ad calcem, exstat sancti Petri imago calamo delineata, satis bonæ notæ.

XIII. *Thuaneus III* (8290).

Cod. membran. in 4°, constans 109 foliis, XV sæc. exaratus, eleganti quidem, sed indoctâ manu, cum initialibus litteris depictis. Habet Juvenalem et Persium sine scholiis, et inscribitur: *Jac. Aug. Thuani* et *Colberti*. Cæterum, mendosissimus est ille codex.

XIV. *Mazarineus II* (8281).

Cod. membran. in 4° min. constans 104 foliis, XV sæc. exaratus, nitidus satis, bene scriptus et perfecte emendatus. Continet Statii Achilleid. et XVI satiras Juvenalis absque scholiis. In prima fronte inscribitur FEDERICI CERVTI VERON. Ille fuit Cerutus Veronensis, qui Juvenalem illustravit paraphrasi. Vid. elench. edd. Juven. ad ann. 1597.

XV. *Colbertinus III* (8293).

Cod. membran. in 4° min. constans 88 foliis, XV sæculo exaratus, satis perspicuus, quod ad scripturam spectat; sed mendosus admodum et infimæ notæ. Juvenalem exhibet et Persium sine notis.

XVI. *Codex Salmasii* (8469).

Membranaceus in 8°, constans 87 foliis, XV sæc. exaratus, nitide quidem et eleganter, sed parum docte, nec sine mendis. Humor præterea, et incuria hunc codicem pene dilaceravit, et usum ejus difficilem reddidit. Salmasius cujus erat, suâ

manu, ad marginem, plurimos emendavit locos, sed satiram VI in hoc labore non prætergressus est. Inscribitur : *Salmasii.*

XVII. *Codex Iardineus* (8289).

Chartaceus in 4°, constans 70 foliis, XV sæc. exaratus, satis nitide scriptus : cæterum, primis coævus videtur editionibus ; ideoque non magni pretii. Hæc ad calcem scripta sunt :

Explicit liber Iuuenalis, die xxviij augusti, M.CCCC.LXXXIII, *Florentiæ ;*

Et infra :

Iste liber Iuuenalis satirarum est mei iardini, quem scripsi mea manu propria, die xxviij *augusti*, M. CCCC. LXXXIII.

XVIII. *Mazarineus III* (8076).

Cod. chartaceus in fol. constans 109 foliis, XV sæc. exaratus, parum eleganter scriptus, et lecta admodum difficilis, tum propter pravam scripturam, tum propter vocum compendia innumera. Nihilominus egregie emendatus, et ex optimo ductus exemplo videtur. Glossas habet copiosissimas, sed parum utiles scriptas ad marginem et inter lineas.

XIX. *Codex absque possessoris nota I* (8470).

Membranaceus in 8°, constans 77 foliis, XV sæc. exaratus, satis nitide scriptus, et bonæ notæ, quippe qui videtur e bono ductus exemplo, sed adeo mutilus, atque humore detritus, ut ejus usus fere nullus sit. IV primæ Juvenalis satiræ desiderantur, quinta incipit ad versum 64, et liber explicit ad v. 13 decimæ sextæ satiræ. XV et XVI nullo modo legi queunt. In reliquis, inter se conglutinantur paginæ, quas si detrahere tentes, tecum scripturam tollas : quapropter, ne pejus malum eveniat, eum intactum pæne reliquimus.

XX. *Codex absque possessoris nota II* (8077).

Membranaceus in fol. parvo, constans 84 foliis, XV sæc. exarat. satis bene scriptus, nec admodum mendosus. Exhibet Juvenalem integrum, sine scholiis.

XXI. *Codex absque possessoris nota III* (8291).

Partim in membranis, partim in chartis (hujus enim duo folia prima, et totidem extrema cujusque manipuli sunt membranacea, reliqua chartacea), in 4°, XV sæc. exarat. constans 91 foliis, satis bene scriptus et emendatus. Exhibet Juvenalem et Persium sine scholiis.

XXII. *Codex absque possessoris nota IV* (8288).

Chartaceus in fol. XV sæc. exarat. constans 87 foliis, nitide scriptus, cum notis ad marginem et inter lineas scriptis. Idem videtur, quod spectat ad textum, e primis ductus editionibus. Adscribitur annus M.CCCC.LXXI. Cæterum parvi momenti est iste codex.

E BIBLIOTHECA VATICANA.

I. *Codex Alexandrinus, antea Sueçorum reginæ* (2029).

Membranaceus in fol. constans 61 foliis, X sæc. exaratus (in catal. codd. Vatic. fert notam sæc. IX). Excellentissimus codex, nitidissime et accurate scriptus, et ex optimo ductus exemplo. Eo frequenter in hoc opere recensendo usi sumus, ita ut nostra editio lectiones ejus fere integras referat. Juvenalem solum exhibet cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

CODICES ALII EX ITALIA ALLATI.

I. *Cod.* n° 111—451.

Membranaceus in 4°, constans 128 foliis, XV sæc. exaratus, charactere Gothico diligenter et accurate scriptus, sat bene conservatus, nec non emendatus. Exhibet Persium cum commentariis Cornuto attributis, et Juvenalem cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis. Hæc ultimo folio scribuntur:

Deo gratiaſ amen. 1451 die 2 Iunij.

II. *Cod.* nº 112—453.

Membranaceus in fol. parvo, oblongo, constans 72 foliis, XV sæc. exaratus, nitide et eleganter scriptus, diligenter conservatus et accurate emendatus. Juvenalem habet et Persium sine scholiis. Scripturam antiquam Romanorum servat, scil. *quom* pro *cùm*, *quoi* pro *cui*, *quoius* pro *cujus*, *optumus* pro *optimus* et alia id genus. In primo folio exstat vita Juvenalis, quæ fere eadem est ac vita in commentario Omniboni relata. Vid. sup. in vitis Juvenalis.

Hæc ultimo folio scripta sunt:

Epygrama Juuenaliſ

Ille ego ſum ſcelerum fulmen Juuenaliſ Aquinaſ;
Odi Criſpinoſ. ſanctoſ probo ſepe Catoneſ.

III. *Cod.* nº 113—454.

Membranaceus in 4°, constans 82 foliis, XV sæc. exaratus, charactere Gothico, satis nitide scriptus, sed mendosissimus. Exhibet Juvenalem integrum, et Horatii Artem Poëticam cum scholiis, sed rarissimis.

IV. *Cod.* nº 455.

Membranaceus in fol. oblongo, constans 77 foliis, XV sæc. exaratus, nitide et accurate scriptus, nec non emendatus. Juvenalem habet et Persium, absque scholiis et ulla possessoris nota et indicatione anni.

E BIBLIOTHECA MONASTERII SANCTI SALVATORIS BONONIAE.

I. *Cod.* nº 111—40°.

Membranaceus in 4°, constans 88 foliis, nitidissime scriptus

et accurate habitus, sed mendosissimus. Juvenalem solum exhibet. Ultimo folio hæc inscribuntur :

Die octaua octobris ıcccc lxxvıj hora
v. uel vı die ılo Mercurıj expletus
est hıc liber.

II. *Cod.* nº 112—4oᵉ.

Membranaceus in 4°, constans 69 foliis, XV sæc. exaratus, nitide et accurate scriptus, et satis bonæ notæ. Præter Juvenalem, continet Persium in uno codice chartaceo constante 12 foliis, XIV sæc. exaratum. Primo folio hæc est inscriptio :

MonZ. S. Saluatoris Bonon. n° 322.

III. *Cod.* nº 113—4oᵉ.

Membranaceus in 4° oblongo, constans 60 foliis, XV sæc. exaratus eleganter charactere Gothico : cæterum, parum lectu facilis, propter innumera vocum compendia. E bono tamen ductus videtur exemplo. Habet Juvenalem et Persium integros.

IV. *Cod.* nº 114—4oᵉ.

Omniboni comment. in Juvenalem, etc. Vid. infra, notitiam commentt. Juven.

E BIBLIOTHECA SANCTI GERMANI A PRATIS.

Codex olim Coislinianus, nº 1166.

Membranaceus in 8°, constans 56 foliis, XII sæc. exaratus, charactere minutissimo et parum nitido scriptus, nec adeo accurate emendatus, et parvi pretii. Juvenalem habet cum scholiis ad marginem et inter lineas scriptis.

E BELGIO.

Codex, nº 263.

Membranaceus in fol. constans 76 foliis, X sæc. exaratus, nitide et eleganter scriptus, et accurate e bono exemplari

ductus, nullas tamen varias lectiones memorabiles exhibet. XIII Juvenalis satiras priores offert cum parte magna XIV usque ad vers. *Dirue Maurorum attegias castella Brigantûm.* Scholia præterea habet ad marginem et inter lineas.

E BIBLIOTHECA SORBONAE.

I. *Codex*, nº 1589.

Membranaceus in 4°, constans 102 foliis, XV sæc. exaratus, elegantissime in Italia scriptus, cum initialibus litteris auro et coloribus variis optime depictis, satis bene emendatus. Quædam habet scholia ad quatuor priores satiras. Is præterea non contemnendæ notæ videtur.

II. *Codex*, nº 1590.

Chartaceus in 4°, constans 63 foliis, XIV sæc. exaratus, satis perspicue et eleganter. Cæterum, parvi pretii est iste codex. Hæc ultimo folio inscribuntur :

Finito libelli labore gr̄am crht°
Referar. honor.

III. *Codex*, nº 1767.

Chartaceus in 4°, XIV sæc. exaratus, habet Juvenalem et Persium cum commentario copiosissimo, ad finem cujus hæc leguntur :

Finit Conuentum Guarinj Supra Juuenalem.
τελως. Laus Deo.

Et, primo folio, hanc notam habet :

IVVENALIS ET PERSII SATIR.
ARMANDO RICHELIO CARDIN.
EXTRA SATIRAM POSITO
IO. IACOBVS BVCCARDVS D. D.
clↄ lↄ cxxxix.

ELENCHUS CODICUM

AB ALEX. RUPERTI COLLATORUM.

I. *Codex Schwarzianus, nunc Altorfinus.*

Codex membranaceus quartæ formæ, ineunte XIII sæc. exarat. cui scholia quædam tum in calce, tum sparsim in margine satiræ primæ addita sunt. Eumdem optime scriptum et conservatum docet auctor biblioth. Schwarz. vol. II, Altorf. 1769; bonæ autem notæ videtur ille codex.

II. *Schurzfleischianus, seu Vinariensis.*

Codex membranaceus quartæ formæ, caractere eleganti, non minus quàm pervetusto exaratus. Commentaria simul vetera exhibet sive Cornuti, ut Cujacio visum, sive Probi, ut plerisque placet, sive potius scholia sint diversorum neque unius ætatis, aut religionis grammaticorum, quæ eadem sunt ac illa veteris scholiastæ Pithoei. Hujus codicis variæ lectiones laudantur passim ab Al. Rup. et integræ reperiuntur in codice impresso, cui titulus: *Conr. Sam. Schurzfleischii spicilegium animadversionum in D. Junii Juvenalis satiras XVI, cura Henr. Leon. Schurzfleischii* (fratris). *Vinariæ*, 1717. 8° min.

III. *Erlangensis.*

Hunc codicem non ipse inspexit Al. Rup. nec aliter eum descripsit, nisi his verbis: « De externa ejus forma non certior « factus sum. Quod si tamen omnis illius varietas diligenter « notata est, videtur ex bono exemplo transcriptus esse. »

IV. *Ulmensis.*

Cod. Pergamena charta, forma octava majori, ante medium sæc. XV scriptus, constat LXV foliis, quorum XXIII Juvenalem exhibent, reliqua satiras et epistolas Horatii, et Prosperi Aquitanici poëmata. Cæterum, nimis verbose ab Al. Rup. descriptus: nam, et lacunas habet quam plurimas, disjectiones, diductiones, adjectiones satis insulse (ut apparet ex Al. Rup.

variis lectt.) ab imprudenti emendatore concinnatas; ita ut certe dignus esset, cujus vel a minima mentione abstineremus.

V. *Norimbergensis I.*

Codex membranaceus sæc. XII, perspicue, nec tamen elegânter exaratus, margini cujus adscriptæ sunt glossæ minutissimis litteris, et nonnunquam adeo pallidis, et maculatis, ut eæ vix legi queant. In eo desiderantur sat. VI 269—303. VIII, 1—63. X, 9—70. XI, 152—208. Multæ ejus lectiones sunt bonæ, vel memorabiles et singulares, plures tamen sive vulgares, sive vitiosæ.

VI. *Norimbergensis II.*

Codex chartaceus, formæ quartæ, nitide in Italia XV sæc. exaratus, cum scholiis inter lineas. Neque tamen ex optimo videtur ductus exemplo.

VII. *Norimbergensis III.*

Codex chartaceus in folio, XV sæc. vitiosissime scriptus cum scholiis inter lineas.

VIII. *Guelpherbytanus, seu Gudianus I* (nº 156 notatus).

Cod. membranaceus in 4º maj. e bono et vetusto libro sub finem sæc. XII, vel initio XIII descriptus. In altera primi folii pagina hæc leguntur: *Liber iste est fratris Reyneri de Capella. Orate pro eo.* Scholia leguntur breviora inter lineas, uberiora ad marginem, sed parum utilia, quæque scholasticorum acumen sapiunt.

IX. *Gudianus II* (nº 304).

Cod. membr. in 4°, recentissimus et mutilus. Desunt sat. I—VI, 168. XII, 125—130. XIII, 1—10. 23—40. 53—108. 226—249. XIV, 1—54. 66—83. 268.—XVI, 60.

X. *Gudianus III* (nº 303).

Cod. membr. in 8°, medio forte sæc. XIV scriptus. Inscriptio minio picta est: *Juuenalis Aquinatis liber primus incipit.*

In fine legitur : τελως, τελως, τελως, τελως, *Hic Juuenalis habet completos quinque libellos.*

XI. *Gudianus IV* (n° 53).

Cod. membr. in fol. exeunte XIV sæc. exaratus, cum scholiis brevissimis, quæ versibus inscripta sunt. Hæc ad calcem libri inscriptio reperitur : *Hoc opus Junii Juuenalis satyrici fuit Gregorii not' de Clericatis de Vinc. quod scribi fecit per dominum Andream rectorem ecclesiæ de marano. In millesimo trecentesimo octuagesimo quarto septimæ indictionis.* Scholiis quoque subjecta est hæc nota : *Expliciunt glosulæ Juuenalis excerptæ de cornuto parisiis regentibus scholas ibi M. petro I. et theodorico et guillelmo acensi. regnante ludouico rege francorum.*

XII. *Schonbornensis I.*

Cod. membr. in 4° oblongo, sæc. XII scriptus, foliis constans LIV, præclarus, qui memorabiles ac singulares passim suggerit lectiones; et marginem spatiumque inter lineas multæ occupant glossæ, quarum plurimæ sæc. XIII doctrinam redolent. Membrana magis flava est quàm alba, sed bene levigata. Scriptura prodit manum, quæ summa cura tam puritatem, quàm exactam convenientiam affectabat; admodum quoque perspicua est, etsi atramentum jam passim palluit. Litterarum forma majuscula, et ovata magis quàm rotunda.

XIII. *Schonbornensis II.*

Cod. membr. in 4° oblong. sine glossis, bene conservatus, et satis perspicue, medio forsan, vel exeunte sæc. XIII scriptus. Membrana est candida et mollis, scriptura autem plane congrua cum specimine illo, quod reperitur in Mabilloni tab. XIV, n. 2. sed paulo minor. Quatuor prioribus tantum satiris scholia reperiuntur.

XIV. *Gothanus I.*

Cod. exeunte XIV sæculo indocte, nec ex optimo exemplari exaratus; cæterum, non aliter ab Alex. Rup. descriptus.

XV. *Gothanus II.*

Cod. ineunte XV sæc. exaratus præcedenti haud melior, neque amplius descriptus. Persium habet Juvenali junctum, et glossas tum inter lineas, tum margini adscriptas, sed parum utiles.

XVI. *Lipsiensis.*

Cod. membr. et recentioris quoque ætatis, neque tamen nullius momenti. Eadem manus tum inter lineas tum in utroque margine multas adscripsit glossas, e quibus tacite quasdam ab Ant. Mancinello transcriptas et pro suis venditatas animadvertit Al. Ruperti.

XVII. *Hamburgensis.*

Cod. membr. in 8°, forsan sæc. XI exaratus, sed, inquit Alexander, neque studio librariorum, neque lectionum bonitate insignis.

XVIII. *Kulenkampianus.*

Cod. membr. in 8°, eleganter scriptus, sed recentior, neque magni pretii, etsi lectiones interdum exhibet in aliis codd. nondum repertas. Consentit plerumque cum Lipsiensi, et ex eodem forsan fonte fluxit.

ALII CODICES AB ALIIS MEMORATI.

Eos præter, quos nos ipsi et Al. Ruperti recensuimus codices, alios viri docti passim in commentariis scriptisque suis laudârunt, et varias ex iis lectiones, sed paucas retulerunt, quasquidem aliquando summa cum cura perpendimus; etsi ab iis memorandis abstinuimus, ne eadem molestia tædioque, quibus nosmetipsi, in tali labore lectorem afficeremus.

I. *Codex Domitii Calderini.*

Hunc codicem in suis commentariis nonnunquam memorat Calderinus et certissimæ dicit fidei esse et antiquitatis.

II. *Codex Vallæ.*

Antiquissimus codex ille Probi grammatici, ut putabat Valla, interpretamenta continebat, quæ postea Pithoeus scholiis veterum emendandis supplendisque adhibuit.

III. *Alii codices ejusdem.*

Hi nonnunquam in ejus commentario laudantur, sed obiter, et parum distincte.

IV. *Codices duo Mancinelli.*

Quorum is aliquoties mentionem facit in comment.

V. *Codex Rob. Stephani.*

Hujus variæ lectiones ad calcem editionis Stephani, Lut. 1544, in 8° deprehenduntur, quæ bonæ quidem plerumque sunt, et ab optimis editoribus receptæ. Sed Stephanus paucas tantum enotavit, neque ipsum codicem accurate descripsit.

VI. *Codices Theod. Pulmanni.*

1° *Noviomagensis.*
2° *Pulmanni.*
3° *Hadr. Junii.*
4° *Miggrodii.*

Hi a Pulmanno neque accuratius descripti sunt, neque diligenter collati. Illos tantum in sua edit. ann. 1565 his notavit signis N. P. M. I.

VII. *Codex Jac. Susii.*

Ab Henninio laudatus, nec aliunde notus.

VIII. *Codices Pithoei.*

1° *Antiquissimus Budensis.*

De eo vid. infra, notitiam commentt. Juvenalis.

2° *Latiniacensis.*

Nullam hujus codicis notitiam dedit Pithoeus. Forte idem ac ille inter nostros relatus, n° VI.

IX. *Codices Lubini.*

Alter membran. in commentario Lubini notatur his signis V. C. (vetustissimus codex). Non aliter descriptus. Alter minus etiam præcedentibus notus. Vid. infra, notitiam commentt. Juven.

X. *Codex vetustus Canteri.*

XI. *Alter ejusdem.*

XII. *Codex vetustus Carrionis.*

XIII. *Alter ejusdem.*.

Ex his quatuor codd. Lipsius Heinsiusque passim lectionis varietatem enotaverunt.

XIV. *Codex antiquissimus Casp. Barthii.*

XV. *Alter ejusdem.*

Quorum in Adversariis ejus subinde mentio fit.

XVI. *Codex antiquissimus Plathneri.*

XVII. *Alter ejusdem.*

De iis, ut et de Plathnero passim loquitur Al. Rup. tum in commentario suo, tum in variis lectionibus.

XVIII. *Codex Divæi antiquus.*

Ex eo aliquot lectiones protulit Lipsius in operibus suis.

XIX. *Codex antiquissimus Vossii.*

XX. *Codex ejusdem.*

Hi ab eo in comment. ad Catullum, et alias interdum citantur.

XXI. *Codex Leidensis.*

XXII. *Codex Perizonii.*

Ex iis aliquot lectiones attulere Nic. Heinsius et Jo. Schraderus, ille in comment. in Ovid. hic in emendationum libro, et in

obss. criticis, quas exemplo Juvenalis Henniniano adleverat, quibusque inde exscriptis usus est Alex. Ruperti.

XXIII. *Codex Basileensis.*

Ex eo varietatem lectionis excerptam dedit Westenius in edit. Amstel. 1684, in-8°, ubi ulterior ejus descriptio frustra quæritur.

XXIV. *Codex Amstelodamensis.*

Henninius, qui ipse neque eo codice usus est, neque editiones antiquas, præter priorem Stephani, contulit, ad calcem prolegomenorum notabiliores hujus cod. lectiones dedit, de cujus indole ne unum quidem verbum addidit.

XXV. *Fragmentum Erlangense.*

Vetustissimus ille codex satir. VI, 66 — 197, 264 — 661 tantum continet, et eo usus est Alexander Ruperti.

Aliis codd. mss. usi sunt Salmasius (Vid. ad elenchum nostrorum codd. n° XVI), Scaliger, Nic. Heinsius, Muretus, Schegkius, Mercerus, Brodæus, Flavius, Pontanus, Rittershusius, Claverius, Scioppius, et alii, eorumque passim in suis scriptis lectionum varietatem enotârunt.

N. B. Ii sunt codices, qui ad hunc diem innotuerunt tum nobis, tum Alexandro Ruperti, et aliis criticis. Inter regios codd. Biblioth. Imp. tres in manus nostras non venerunt; ideoque ab omni mentione eorum abstinuimus. Satis sit, ad contextum nostri auctoris denuo recensendum, XXXVI codd. quanta potuimus attentione, inter se, et cum editionibus aliquot optimis contulisse. Id autem in nostri laboris curriculo observavimus, scil. duas esse codd. familias, quarum prima est veteris scholiastæ codicis, quocum consentit inter nostros Puteanus codex, et interdum codex Fauchetii; altera codicis Alexandrini, ad quem accedunt omnes alii nostri codd. unde suspicamur, duo fuisse exemplaria ab ipsius auctoris manu profecta. Unum (fortasse primum) vet. schol. descripsit, alterum postea emendatum a Juvenale alii omnes secuti sunt. Hujus rei multa sunt quæ

facerent fidem; imprimis sat. I, v. 169, sat. II, v. 38, 92, sat. IV, v. 96, sat. VI, v. 614, sat. VII, v. 139, sat. VIII, v. 7, sat. IX, v. 37, sat. X, v. 81, sat. XIII, v. 131, sat. XV, v. 35, etc. Ex hac igitur nostra conjectura, lectionem cod. Alexandrini plerumque nostram, quippe quæ nobis multo majori probaretur auctoritate, fecimus, admissis tamen veteris schol. lectionibus, si quando nobis venustiores et aptiores visæ sunt. Utramque tamen lectionem, ad lectoris commodum, infra, cùm res posceret, notavimus.

ELENCHUS
EDITIONUM JUVENALIS,
Ab anno 1470 *ad annum* 1801.

N. B. Quæ asterisco notantur, a nobis fuerunt adjunctæ.

XV SAECULI 1470—1501.

JUNII JUVENALIS AQUINATIS Liber Primus, absque editoris, loci et anni nota, sed Romæ, ut putant, anno 1470. f°.
(vid. Maittaire, Annal. Typogr. T. I, p. 296.)

* D. Jun. Juvenalis et Auli Persii Flacci Satiræ, editio vetus, absque nota anni, loci et impressoris nomine, sed eodem caractere signata, quo liber, cui titulus est *Decor Puellarum*, per Nic. Janssonium. Continet Juvenalis 61 fol. et Persius 11 fol. .... 4°.
(Catalogue de La Valliere, T. II, p. 102.)

D. Jun. Juvenalis et Auli Persii Flacci Sat. Romæ, ap. Udalricum Gallum, anno 1470. f°.
(De ea vid. Maittaire, T. I, p. 297.)

Juvenalis Sat. per Simonem Bevilaquam Papiniensem, Venetiis, sine mentione anni, sed, ut putant, circa 1472. f°.

Juvenalis et Persii Sat. jubente presbytero Petro Villa, sine notis, Brixiæ, 1473. f°.

Juvenalis et Persii Sat. per Antonium Zarottum Parmensem, Mediolani, 1474. f°.

Angeli Sabini (M. Antonii Coccii Sabellici) Paradoxa in Juvenalem, sine textu, per Angelum Sachsel de Reichenhal et Barthol. Golsch de Hohenbart Clericos, Romæ, 1474. f°.

Domitii Calderini Veronensis (Dominici de Caldariis) commentaria in Juvenalis Satiras, sine textu, Romæ, 1474. f°.

—Recusa sine textu, typis Henrici de Colonia, Brixiæ, 1475. f°.

* D. Jun. Juvenalis et Auli Persii Flacci Sat. circa an. 1475. f°.
(Catalogue de La Valliere.)

Juvenalis cum comment. Dom. Calderini, per Jacob. de Rubeis natione Gallici, Venetiis, 1475. f°.

Juvenalis et Persii Sat. per Ant. Zarottum Parmensem, Mediolani, 1476. f°.

* D. Jun. Juvenalis Satiræ, Editio Christophoro Valdafero attributa, circa ann. 1476. 4°.
(Catalogue de La Valliere.)

Georgii Merulæ commentarius, seu Enarrationes Satirarum Juvenalis excusæ per Gabrielem Petri Duce inclyto Andrea Vendramino, Venetiis, 1478. f°.

—Recusæ per Barthol. de Confoloneriâ, Tarvisii, 1478. f°.

Juvenalis cum comment. Ge. Merulæ et notis aliorum, Pinarolii, 1479. f°.

* D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci sat. per Ant. Zarottum, Mediolani, 1479. f°.
(Catalogue de La Valliere.)

Jun. Juvenalis Satirarum libri impressi per magistrum Henricum Liberarium, cum commentariis Domit. Calderini, Vincentiæ, 1480. f°.

* D. Jun. Juvenalis cum comment. Domit. Calderini. Ejusdem defensio commentariorum Martialis, et recriminatio adversus Brotheum, per Baptist. de Tortis, Venetiis, 1481. f°.
(Bibl. Imper.)

Juvenalis cum comment. Domit. Calderini, per Baptistam de Tortis, Venetiis, 1482. f°.

Juvenalis Sat. cum comment. Domit. Calderini, per magistrum Thomam de Alexandria, regnante inclito principe Johan. Mocenigo (Mozenico), Venetiis, 1483. f°.

Juvenalis Sat. cum comm. Domit. Calderini, per Baptistam de Tortis, Venetiis, 1483. f°.

Juvenalis Sat. per Leonhardum Pachel et Uldericum

Scinzenzeler socios, Mediolani, 1483. f°.

Juvenalis Sat. cum comment. Domit. Calderini, per Baptistam de Tortis, Venetiis, 1485. f°.

Juvenalis cum comment. Georgii Vallæ Placentini, per magistrum Ant. de Strata Cremonensem, Venetiis, 1486. f°.

Juvenalis cum comment. Ge. Merulæ, et Persius cum comm. Jo. Britannici, typis Jacobi Britannici (fratris), Brixiæ, 1486. f°.

Juvenalis cum comment. Domit. Calderini, per Bartholomæum de Zanis de Portesio, Venetiis, 1487. f°.

* D. Jun. Juvenalis Sat. Editio absque loci, anni et impressoris nota, forsan per Jacob. Pagnanis, circa 1490. f°.
(Catal. de La Valliere.)

Juvenalis Sat. per Udalricum Sinzenzeler, Mediolani, 1491. f°.

Juvenalis cum comment. Domit. Calderini et Ge. Vallæ, per magistrum Theodorum de Ragazonibus de Asula, Venetiis, 1491. f°.

Juvenalis cum comm. Merulæ et Calderini, et Persius cum comment. Britannici, apud Petrum Joannem de Quarengis, Venetiis, 1492. f°.

Juvenalis cum Domit. Calderini Veron. et Ge. Vallæ Placent. comm. per Bonetum Locatellum, absque loci mentione (Venetiis sine dubio), 1492. f°.

Juvenalis cum tribus comment. Mancinelli, Calderini, Vallæ, per Joannem de Cereto de Tridino (alias, Tacuinum de Tridino), Venetiis, 1492. f°.

Juvenalis cum comm. Sabini, Merulæ et aliorum, Venetiis, 1493. f°.

* D. Jun. Juvenalis Sat. cum comment. Domit. Calderini. Accedunt comment. Probi Birthii, et Ge. Vallæ epist. et defensio Calderini adversus Brotheum, per Nic. de Benedictis, Taurini, 1494. f°.
(Bibl. Imp.)

Juvenalis cum tribus comm. Mancinelli, Calderini

et Vallæ, per Joan. de Cereto de Tridino, Venetiis, 1494. f°.

* D. Jun. Juvenalis Sat. cum comment. Calderini. Epigramma de vita Juvenalis. Epistola de satira et modo punctandi orationes, per Johann. de Vingle, Lugduni, 1495. 4°.
(Bibl. Imper.)

Juvenalis, Parisiis, 1496. f°.
Haud aliter a sociis Bipontinis notata et descripta.

Juvenalis, Venetiis (non magis præcedenti descripta). 1497. f°.

Juvenalis Satirarum liber, Lipsiæ, 1497. f°.

Juvenalis cum trib. comm. Mancinelli, Calderini, Vallæ, per Ant. Koberger, Nurnbergæ, 1497. f°.

Juvenalis cum quatuor comment. Mancinelli, Calderini, Merulæ et Vallæ, per Joan. de Cereto de Tridino, Venetiis, 1498. f°.

Juvenalis cum comm. Mancinelli et Jodoci Badii Ascensii, arte et industria Nicolai Wolf Alemanni, Lugduni, 1498. 4°.

Juvenalis cum Merulæ et aliorum notis, Parisiis, 1498. f°.

Juvenalis, adjectis Horatii epistolis, Lipsiæ, 1498.

Juvenalis cum comment. Jo. Britannici, Venetiis, 1499. f°.

Juvenalis, Persius, Horatius, Lucilius, Lugduni, 1500. 12.

XVI SAECULI 1501—1601.

Juvenalis, Persius, Venetiis, apud Aldum, sine mentione anni; sed eam esse primam Aldinam ex eo probabile fit, quòd Græca verba, quæ sat. VI, v. 195 et IX, 37 in ea, ut in Romana principe nondum expressa, sed plane omissa sunt. .... 8°.

Juvenalis, Persius, Venetiis, in ædibus Aldi, mense Augusto MDI. 1501. 8°.

Juvenalis familiare commentum (Jod. Badii Ascensii), cum Antonii Mancinelli viri eruditissimi explanatione, arte et industria Johannis de Vingle, Lugduni, 1501. 4°.

Juvenalis cum quatuor comment. Vallæ, Merulæ,

Mancinelli et Calderini, per Tacuinum de Tridino, Venetiis, 1501. f°.

Juvenalis cum comment. Britannici, opus impressum ab Angelo et Jacobo Britannicis fratribus, Brixiæ, 1501. f°.

Juvenalis Satiræ, Lipsiæ, 1502. f°.

Juvenalis et Persius cum comm. Britannici, Brixiæ, 1503. f°.

Juvenalis Sat. Lipsiæ, 1504. f°.

Juvenalis familiare commentum (Jod. Badii Ascensii), cum Mancinelli explanatione, impensis Johannis Meganc, Johan. Waterloose et Jodoci Horenweghe Flandrorum, in ædibus Ascensianis, Parisiis, 1505. 4°.

Juvenalis liber Satirarum, diligentiâ Jacobi Thanners Lipsensis civis emendatus, Lipsiæ, 1507. f°.

Juvenalis cum Merulæ et aliorum notis, Lipsiæ, 1507. f°.

Juvenalis familiare commentum (Badii ejusdem Ascensii) a Stephano Guynard, bibliopola in vico Mercuriali (*en la rue Merchiere*), Lugduni, 1507. f°.

Juvenalis cum comm. Jo. Britannici, Venetiis, 1509. f°.

Juvenalis, Colon. (non aliter descripta). 1510. 4°.

Juvenalis cum comm. Jo. Britannici, per Leonardum Vegium, Mediolani, 1511. f°.

Juvenalis familiare commentum, Lugduni, 1511. f°.

Juvenalis cum comm. Mancinelli et Badii, Lugduni, 1512. 4°.

Juvenalis cum comm. Jo. Britannici, Venetiis, 1512. f°.

Juvenalis, in ædibus Ascensianis, Parisiis, 1512. 8°.

Juvenalis et Persius impensa Philippi di Giunta, Florentiæ, 1513. 8°.

Juvenalis et Persii Sat. per Jo. Knoblouch, Argentorati, 1513. 4°.

Juvenalis cum comm. Jo. Britannici, Mediolani, 1514. f°.

Juvenalis cum comment. Jo. Britannici, per Georgium de Rusconibus, Venetiis, 1515. f°.

Juvenalis cum comm. Mancinelli et Badii Ascensii, Lugduni, 1515. 4°.

Juvenalis cum A. Mancinelli explanatione, Coloniæ, 1517. 4°.

Juvenalis, Lugduni, 1517. 4°.

Juvenalis et Persii Sat. Venetiis, 1518. f°.

Junii Juvenalis Aquinatis inter Latinos satirographos consummatissimi satiræ emaculatius impressæ, per providum virum Joannem Knoblouch excusæ, Argentinæ, 1518. 4°.

Præclara editio, ait Al. Rup. cui hoc inscribitur epigraphium:

H. B. P.

Vergilium ut nemo vicit fera bella canendo,
Regnat ut imparibus Naso poëta modis,
Utque placet lyricis solus Venusinus in odis,
Musaque ut in lepidis Bilbilitana jocis,
Utque Umbro multum debet comœdia Plauto,
Emicat ut mimo Publius ipse suo,
Pacuvius docti famam senis, Accius alti
Ut capit, in tragico clarus uterque pede;
Sic Juvenale meo (nec verba hæc testis egebunt)
In satira nullum clarius exstat opus.

Juvenalis familiare comm. in ædibus Ascensianis, Parisiis, 1519. 4°.

Juvenalis, Persius, opera Guilielmi Huyon, Lugduni, 1521. 8°.

Juvenalis, Basileæ, 1521. 8°.

Juvenalis per Jo. Knoblochum (vid. sup. 1518), Argentinæ, 1527. 8°.

Juvenalis Sat. XVI cum annotatiunculis in margine, apud Simon. Colinæum, Parisiis, 1528. 8°.

Juvenalis Sat. cum scholiis Curionis satiræ cuilibet subnexis. Cracoviæ, per Mathiam Scharffenbergk, 1529. 8°.

Persius cum Juvenali, Venetiis, apud Bernardinum Stagninum, 1530. 12.

Juvenalis, per Valent. Curionem, Basileæ, 1521. 8°.

Persius et Juvenalis ap. Seb. Gryphium, Lugduni, 1534. 8°.

Persius cum Juvenali, apud Bernard. Stagninum, Venetiis, 1535. 8°.

* D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. apud Seb. Gryphium. Lugduni, 1535. 8°.
(Bibl. Imp.)

Juvenalis Sat. XVI, cum annotatiunculis in margine, ap. Simon. Colinæum, Parisiis, 1535. 8°.

Juvenalis, Persius, Venetiis, Aldus, 1535. 8°.

Juvenalis et Persius, Lugduni, 1537.

Juvenalis, Venetiis, 1538.

Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. cum annotatiunculis, ap. Seb. Gryphium, Lugduni, 1538. 8°.

Juvenalis Sat. cum interpr. Jo. Britannici, et Jodoc. Badii Ascensii, per Bernardinum de Bindonis, Venetiis, 1539. f°.

Juvenalis et Persii Sat. Antverpiæ, 1540. 8°.

Juvenalis, Colon. (non aliter descripta), 1541. 4°.

Juvenalis et Persius, apud Simonem Colinæum, Parisiis, 1542. 12.

Juvenalis, Parisiis, 1543.

Jun. Juvenalis Sat. XVI et A. Persii Sat. VI, ad vetustiss. exemplaria scripta emendatæ, quorum varias lectiones ad calcem rejecimus. Ex officina Rob. Stephani typographi regii, Lutetiæ, 1544. 8°.

Persius cum Juvenali, Francofurti, 1544. 12.

Juvenalis, ex officina Francisci Gryphii, Parisiis, 1545. 16.

Jun. Juvenalis, et A. Persii Sat. apud Nicolaum Brylingerum, Basileæ, 1546. 12.

Juvenalis Sat. apud Seb. Gryphium, Lugduni, 1546. 12.

Juvenalis cum comment. Jo. Britannici, Venetiis, 1548. f°.

Juvenalis et Persius, ex officina Rob. Stephani, Lutetiæ, 1549. 8°.

Juvenalis, Venetiis. (haud aliter descripta), 1549.

Juvenalis cum comm. Jo. Britannici et scholiis Cœlii Secundi Curionis, apud Hieron. Frobenium, et Nicol. Episcopium, Basileæ, 1551. f°.

J. Juvenalis et A. Persii Sat. annotatiunculis illustratæ, apud Ant. Vincentium, Lugduni, 1556. 12.

Juvenalis et Persii Sat. Lugduni, 1557. 12.

Juvenalis, apud Mich. Vascosan, Parisiis, 1557. 4°.

Juvenalis et Persius cum annotatiunculis in margine, Antverpiæ, 1559. 8°.

Junii Juvenalis et A. Persii Sat. apud heredes Seb. Gryphii, Lugduni, 1560. 12.

Juvenalis et A. Persii Sat. cum annotatiunculis in margine, apud Hieronymum de Marnef, sub Pelicano, monte D. Hilarii, Parisiis, 1561. 12.

Juvenalis et Persius, apud Jo. Frellonum, Lugduni, 1562. 12.

Junii Juvenalis et A. Persii Sat. ap. eumd. Lugduni, 1564. 12.

Juvenalis satirarum lib. V, et A. Persii satirarum lib. I, Theod. Pulmanni in eosdem annotationes, ex officina Christophi Plantini, Antverpiæ, 1565. 8°.

* Juvenalis Satirarum lib. V, et A. Persii Flacci Satirarum lib. I, Theod. Pulmanni in eosdem annotationes, ex officina Christoph. Plantini. Antverpiæ, 1566. 8°.
(Catal. de De Thou).

* D. Jun. Juvenalis, et A. Persii Fl. Sat. cum annott. Theod. Pulmanni. Christoph. Plantin. Antverpiæ, 1566. 16.
(Bibl. Imp.)

* D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. per Antonium (forsan Gryphium), Lugduni, 1567. 8°.
(Biblioth. du Panthéon.)

* D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. vett. MSS. denuo collatæ et annott. locupletatæ, Ant. Gryph. Lugduni, 1567. 16.
(Bibl. Imp.)

* D. Jun. Juvenalis Sat. per Jacob. de Fivisa, Ve-

netiis, circa annum, 1572. 4°.
(Catal. de La Valliere.)

Juvenalis et Persius, apud Gryphium, Lugduni, 1576. 16.

Juvenalis cum comm. Domit. Calderini, Venetiis, 1583. f°.

Juvenalis cum annot. Pulmanni, apud Plantinum, Antverpiæ, 1585. 24.

A. Persii Satirarum lib. I; D. Junii Juvenalis Satirarum libri V, Sulpitiæ Satira I, cum veteribus commentariis nunc primum editis. Ex bibliotheca P. Pithoei ICti, cujus etiam notæ quædam adjectæ sunt. Ap. Mamercum Patissonium, Lutetiæ, 1585. 8°.

Juvenalis et Persius, ex officina Christoph. Plantini, Antverpiæ, 1587.

Juvenalis Sat. lib. V, et Persii Sat. lib. I, apud Plantinum, Lugduni, 1590. 12.

A. Persii Sat. lib. I, Jun. Juvenalis Sat. lib. V, Sulpitiæ Sat. ex bibliotheca Pithoei ICti, studio Commelini, ex officina Sanctandreana, Heidelbergæ, 1590. 8°.
(Eadem edit. Pithoei repetitur hoc anno Parisiis et Antverp.)

* D. Jun. Juvenalis Satirarum libri V, et in eas Philyræ Bertrandi Autumni. Ant. Ravissa, Basileæ, 1596. 4°.
(Bibl. Imp.)

D. Jun. Juvenalis Satirarum libri V, locupletissima, nec minus utili paraphrasi illustrati a Federico Ceruto Veronensi, Veronæ, 1597. 4°.

Juvenalis cum paraph. Fed. Ceruti, Augustæ Vindelicorum, 1599. 4°.

Juvenalis, Rostoch. 1599. 8°.

Juvenalis cum paraph. Fed. Ceruti, Aug. Vindelic. 1600.

Juvenalis ex offic. Plant. Raphelengius, Antverpiæ, 1600. 8°.

XVII SAECULI 1601—1701.

D. Junii Juvenalis Sat. sexdecim cum vet. schol. et Jo. Britannici commentariis, quibus accesserunt

P. Pithoei, Cœlii Secundi Curionis et Theod. Pulmanni notæ et variæ lectiones, apud Claud. Morellum, Lutetiæ, 1602. 4°.

Juvenalis, cum comm. Eilhardi Lubini, Rostocæ; 1602. 8°.

Juvenalis, cum paraph. Fed. Ceruti, Aug. Vindelic. 1603. 4°.

Persii et Juvenalis Sat. apud Gryphium, Lugduni, 1603. 12.

* D. Jun. Juvenalis Sat. XVI, cum vet. schol. et Jo. Britannici comment. quibus accedunt. P. Pithoei, Cœlii Secundi Curionis et Theod. Pulmanni var. lectt. apud. Cl. Morell. Lut. Paris. 1603. 4°.
(Bibl. Imp.)

Juvenalis et Persii Sat. cum comm. Theod. Pulmanni et Eilh. Lubini, Lugduni, 1603. 12.

D. Jun. Juvenalis Sat. libri V, ex duobus manuscriptis exemplaribus et vetustiss. manuscripto commentario plus quàm ducentis locis correcti. Præterea, A. Flacci Persii liber I, cum analysi et doctissimis commentariis, partim nunc primum, partim de integro editis, Eilhardi Lubini, typis Wechelianis, apud Claud. Marnium et heredes Joannis Aubrii, Hanoviæ, 1603. 4°.

Juvenalis in vol. II, corp. poët. Lat. editi a Sam. Crispino, Genevæ (Aureliæ Allobrogum), 1603. 4°.

* D. Jun. Juvenalis Satirarum lib. V, et A. Persii Flacci Sat. lib. I, ex officina Plantiniana Raphel. Antverpiæ, 1605. 32.
(Bibl. Imp.)

Juvenalis et Persii Flacci Sat. cum commentationibus et paralipomenis B. Autumni, Parisiis, 1607. Item Stephani Claverii comment. in A. Persii satiras. Parisiis, 1607. Item Claverii periphrases ænigmaticæ in Juvenalem: adjunctæ Jos. Scaligeri, Lipsii et aliorum explicationes. Ap. Rob. Fouet, Parisiis, 1607. 8°.

Juvenalis, cum indice Langii, Friburgi, 1607. 4°.

Juvenalis et Persius, cum Jos. Langii indice omnium

vocabulorum, Friburgi, 1608. 4°.

Juvenalis Sat. castratæ, in usum collegii S. J. Brunsbergensis, Coloniæ, 1610. 8°.

Persius et Juvenalis in vol. I et II corp. poët. Lat. Crispiniani, ed. II, Genevæ, 1611. 4°.

Juvenalis et Persius, cum not. et ind. omnium verborum, Genevæ, 1612. 4°.

Juvenalis et Persius, cum notis Thomæ Farnabii, Londini, 1612. 12.

Junii Juvenalis Sat. sexdecim, cum veteris schol. et Jo. Britannici commentariis, quibus accesserunt Pithoei, Curionis et Pulmanni notæ, et variæ lectiones, apud Claudium Morellum, via Jacobæa ad insigne fontis, Lutetiæ, 1613. 4°.

Juvenalis et Persius, Coloniæ, 1613. 12.

D. Junii Juvenalis Satirarum lib. V, cura Nic. Rigaltii, ex officina Rob. Stephani (III), Lutetiæ, 1613. 12.

Juvenalis, cum notis Th. Farnabii, Parisiis, 1614. 12.

D. Junii Juvenalis Aquinatis Sat. XVI, et in eas commentarius Is. Grangæi, Bertrandi Autumni, Domitii Calderini. Additus est rerum ac verborum index utilissimus, Parisiis, apud Rob. Fouet, 1614. 4°.

D. Junii Juvenalis satirarum lib. V. Sulpiciæ satira, cura Nic. Rigaltii: ex officina Rob. Stephani (III) Lutetiæ, 1616. 8°.

Persius et Juvenalis, uterque ab omni obscœnitate expurgatus, in Alex. Ficheti Choro poëtarum, Lugduni, 1617. 4°.

Juvenalis et Persius cum comm. Eilh. Lubini. Hanov. 1619. 4°.

* Juvenalis et Persius cum comment. Eilh. Lubini, apud David. et Daniel. Aubry, Hanoviæ, 1619. 8°.
(Bibl. Imp.)

Juvenalis et Persius (cum not. Farnab.) apud Jo. Janssonium, Amstelodami, 1619. 24.

Junii Juvenalis et Auli Persii Flacci Sat. cum adnotationibus (Farnabii) ad marginem. Excudebat Tho. Snodham, impensis Joh. Pyper. Londini, 1620. 8°.

Juvenalis Satira II. apud Jo. Libert. Parisiis, 1621. 4°.
(Ejusdem typographi impensis excusæ sequentibus annis, Sat. VI, XIII, I, III, IV, V, VII, VIII, et XII.)

Juvenalis et Persius cum adnott. Thomæ Farnabii ad margin. Francof. ad M. vel Hanoviæ, 1623. 8°.

Juvenalis et Persius (cum not. Farnab.) Amst. 1624. 8°.

Juvenalis et Persii Sat. (cum notis Farnab.) Paris. 1626. 12.

Persius et Juvenalis in corp. poët. Lat. Crispiniano. Ed. III, Genevæ, 1627. 4°.

* D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. cum notis Farnab. apud Jo. Libert. Parisiis, 1628. 8°.
(Bibl. du Panth.)

Juvenalis et Persius, cum adnott. Tho. Farnabii, Amsterodami, 1631. 12.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnabii, Londini, 1633. 8°.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnab. Amst. 1634. 12.
(Eadem edit. repetita ann. 1641, 1642.)

Juvenalis et Persius, ex typographia Regia, Parisiis, 1644. f°.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnabii, Parisiis, 1644. 8°.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnabii, apud Janssonium, Amsterodami, 1648. 12.

D. Junii Juvenalis, et A. Persii Flacci Sat. cum veteris scholiastæ et variorum comment. accurante Cornelio Schrevelio, apud Franc. Hackium, Lugduni Batavorum. 1648. 8°.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnabii, typis Blaeu, sumptibus societatis, Amsterodami. 1650. 12.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnabii, Lugduni, 1650. 12.

Juvenalis et Persius, ex doctorum virorum emendatione, apud Lud. Elzevirium, Amsterodami, 1651. 12.

Juvenalis et Persius, cum adnott. Farnabii, 1652. 8°.

Juvenalis et Persius, Genevæ, 1652. 12.

D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. cum vet. schol. et varior. comment. accurante Cornel. Schrevelio. Lugduni Batav. 1658. 8°.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnab. Amst. 1662. 12.

D. Junii Juvenalis, Sulpiciæ, et A. Persii Flacci Sat. cum veteris Scholiastæ et variorum commentariis, accurante Cornel. Schrevelio, ex offic. Hackiana, Lugduni Batavorum et Roterodami, 1664. 8°.

Juvenalis et Persius cum notis Th. Farnabii, typis Jo. Blaeu, sumptibus societatis, Amstelodami, 1668. 12.

* D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. apud Simon. Bernard, Parisiis, 1669. 12.
(Bibl. de l'Arsenal.)

Juvenalis et Persius cum notis Farnabii, apud Boomios, Amstelodami, 1670. 12.

D. Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. ex doctorum virorum emendatione, typis Dan. Elzevirii, sumptibus societatis, Amsterodami, 1671. 12.

* D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. cum notis variorum, curante Corn. Schrevelio, Lugd. Bat. 1671. 8°.
(Catal. de la Valliere.)

Juvenalis et Persius cum notis variorum et Mich. Marolles, cum ejusdem versione Gallica, Lutetiæ 1671. 8°.

Juvenalis et Persius (cum notis Farnabii), Lugduni, 1672. 12.

Juvenalis et Persius, Roterodami, 1680. 12.

Juvenalis et Persius latine, cum versione Gallica Valterii (de la Valterie), Parisiis, 1681. 8°.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnabii, apud Leers, Hagæ Comitum et Roterodami, 1683. 12.

* D. Jun. Juvenalis Sat. ab omni obscœnitate expurgatæ, apud Masson. Parisiis, 1683. 12.
(Bibl. du Panthéon.)

D. Jun. Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. cum vet. schol. et variorum comment. accurante Corn. Schrevelio, ex officina I. H. Westenii, Amstelod. 1684. 8°.

D. Junii Juvenalis et A. Persii Flacci Sat. interpretatione ac notis illustravit Lud. Prateus, rhetoricæ professor emeritus, jussu Christianiss. Regis, in usum Sereniss. Delphini, ex typograph. Frederici Leonardi, via Jacobæa, Parisiis, 1684. 4°.

D. Jun. Juvenalis Sat. scholiis veterum et fere omnium eruditorum, qui ex professo in eas scripserunt, commentariis tam antea vulgatis quàm novis illustratæ. Omnia sigillatim recensuit, cõncinnavit, et sua illis spicilegia adjecit Henr. Christ. Henninius, apud Rudolph. a Zyll. Ultrajecti, 1685. 4°.

Juvenalis Sat. omni obscœnitate expurgatæ, apud Phil. Masson. Turonibus (Prima Juvencii editio.) 1685. 12.

Juvenalis et Persii Sat. in usum Sereniss. Delphini, cum interpr. et notis Ludov. Pratei, Rothomagi, 1685. 4°.

Juvenalis et Persius, Antverpiæ, 1685. 12.

Juvenalis et Persius cum paraphrasi Gallica Tarteroni, S. I. Parisiis, 1689. 12.

Juvenalis et Persius in usum Delphini, cum interpr. et notis Pratei, Londini, 1691. 8°.

Persius et Juvenalis cum vers. Gall. Tarteron. Amster. 1695. 12.

D. Jun. Juvenalis Aquinatis Sat. cum scholiis veterum et commentariis íntegris, selectis et conquisitis fere omnium eruditorum, ut Grangæi, Britannici, Calderini, Henninii, etc. Accedit A. Persii Flacci satirarum liber, ex recensione Isaaci Casauboni et cum commentario ejusdem. Ap. Petrum van der Aa, Lugduni Batavorum, 1695. 4°.

Juvenalis et Persius cum interpretatione ac notis Jos. Juvencii, S. I. Rothomagi, 1697. 12.

Juvenalis et Persius, in usum Delphini, cum interpr. et notis Pratei, Londini, 1699. 8°.

Juvenalis et Persius, ex doctorum virorum emendatione, apud Henr. Westenium, Amstelodami, 1699. 16.

* Juvenalis et Persius, cum interpr. ac notis Juvencii. S. I. apud viduam Simon. Bernard, Parisiis, 1700. 12.
(Ex Bibl. nostra.)

XVIII SAECULI 1701—1801.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnabii, Roterod. 1702. 12.

Juvenalis et Persius, cum notis Farnabii, Pictav., 1705. 8°.

Persius et Juvenalis cum paraphrasi Gallica Tarteroni, Parisiis, 1706. 12.

Juvenalis et Persius in usum Delphini, cum interpr. et notis Pratei, Londini, 1708. 8°.

Juvenalis et Persii Sat. comment. Jos. Juvencii illustratæ, cum appendice de Diis et Heroibus poëticis : editio nova, ap. Lallemant, Rothomagi, 1709. 12.

Juvenalis et Persii Sat. cum notis et metaphrasi Hetrusca, e regione posita. Edidit Camillus Sylvester, Comes ac Nobilis Rhodiginus, Patavii, 1711. 4°.

Persius et Juvenalis in operibus et fragmentis veterum poët. Lat. a Maittario editis, vol. II, p. 884—889, et p. 1142—1166, Londini, 1713. f°.

Juvenalis et Persius, cum comment. Juvencii, Paris. 1715. 12.

D. Jun. Juvenalis, et A. Persii Flacci Sat. ex officina Jacobi Tonson, et Johan. Watts, Londini, 1716. 12.
(Hanc editionem curavit *Maittarius.*)

D. Jun. Juvenalis, et A. Persii Flacci Sat. ex optimis codd. recensuit, notisque selectissimis illustravit Thomas Marshall A. M. Editio nova cæteris emendatior, cui accesserunt nova argumenta, nec non dissert. de origine, progressu, et regulis satiræ, apud Jo. Hooke, Londini, 1723. 8°.

* D. Jun. Juvenal. Sat. ap. Jo. Barbou, Parisiis, 1724, seu 1725. 12.
(Bibl. du Panth.)

Persius et Juvenalis cum vers. Gall. Tarteroni, nova edit. aucta argum. satir. Parisiis, 1729. 8°.

* D. Jun. Juvenalis, et A. Persii Flacci Sat. cum notis et interpretatione Juvencii, Parisiis, 1729. 12.

Juvenalis et Persius, apud Waesberge, Westenium et Smith, Amstelodami, 1735. 12.

Persius et Juvenalis, cum vers. Gall. Tarteroni, Paris. 1737. 12.

Juvenalis Sat. cum vers. Italica et notis Camilli Sylvestris, in corp. omnium vett. poët. Lat. cum eorumdem vers. Ital. T. XVIII, Mediolani, 1739. 4°.

Juvenalis et Persius, ad fidem optimorum librorum accurate recensiti, ex officina Acad. A. van den Hoek, Gottingæ, 1742. 12.

Juvenalis et Persius, typis I. Brindley, Londini, 1744. 12.

* D. Jun. Juvenalis, et A. Persii Flacci Sat. ex recognitione Steph. Andr. Philippi, Paris. 1746. 12.
(Bibl. de l'Arsenal.)

Juvenalis et Persius, ex recogn. Steph. Andr. Philippi, *chez Grangé, à Paris*, 1747. 12.

Juvenalis et Persius, cum Chrestomathia J. P. Milleri, Berolini, 1749. 8°.

Juvenalis et Persius, Glasguæ, 1750. 8°.

Juvenalis et Persius, cum vers. Gall. Tarteroni, Parisiis, 1752. 12.

Juvenalis et Persius, ex recogn. Steph. Andr. Philippi, typis Jo. Barbou, Parisiis, 1754. 8°.

Juvenalis Satira VII, ad fidem codicis Schwarziani recusa, Altorf, 1760. 8°.

* D. Jun. Juvenalis, et A. Persii Flacci Sat. edente Baskerville, Birmingham, 1761. 4°.
(Catal. de La Valliere.)

Juvenalis et Persius, Cantabrigiæ, 1763. 8°.

Juvenalis et Persius, Gottingæ, 1769. 12.

* D. Jun. Juvenalis et Persii Sat. Parisiis, 1771. 12.
(Bibl. de l'Arsenal.)

* D. Jun. Juvenalis, A. Persii et Sulpiciæ Sat. ap. Jo. Barbou, Parisiis, 1776. 12.
(Bibl. de l'Arsen.)

Juvenalis Sat. ex recensione Henninii, et Persii Sat. ex recens. Casauboni, ex officina Riegel. Norimbergæ, 1780. 12.

D. Jun. Juvenalis Sat. ex recens. Henr. Christ. Henninii. A. Persii Flacci sat. ex recens. Is. Casauboni, fideliter expressæ, cura et sumptibus societatis litterariæ, Manhemii, 1781. 8°.

A. Persii Flacci et D. Jun. Juvenalis Sat. ad optimas editiones collatæ, accedit Sulpiciæ satira. — C. Lucilii satirographorum principis fragmenta. Editio accurata, ex typographia societatis, Biponti, 1785. 8°.

D. Jun. Juvenalis Aquinatis Sat. XVI, ad optimorum exemplarium fidem recensitæ, varietate lectionum, perpetuoque commentario illustratæ, et indice uberrimo instructæ a Ge. Alex. Ruperti, sumptibus Caspari Fritsch, Lipsiæ, 1801. 8°.

VERSIONES JUVENALIS.

GALLICAE.

* Les satires de Juvénal translatées de latin en françois, par Michel d'Amboise, seigneur de Chenillon, Paris, Jehan Longis, 1544. 8°.
(Catal. de La Valliere.)

Les mêmes ont été imprimées à Poitiers, format in 12, même année.
(Bibl. de l'Arsenal.)

Les satires de Perse et de Juvénal, traduites en françois, avec des annotations, par André Duchesne, Tourangeau, Paris, 1607. 8°.

* Les satires de Juvénal en vers françois, avec un discours de la satire, par Denys Challine advocat,

Paris, Edme Pepingué, 1653. 12.

* Satires de Juvénal et de Perse en latin et en françois, par M. D. M. D. A V. Paris, Guill. de Lacques, 1653. 8°.
(Bibl. du Panth.)

* Les satires de Juvénal en vers burlesques, par Colletet, 1657. 12.
(Bibl. de l'Arsenal.)

Les satires de Juvénal et de Perse, avec des remarques en latin et en françois, par Mich. de Marolles, abbé de Villeloin, Paris, 1658. 8°.
(Eadem recusa an. 1671, 1675.)

* Les satires d'Horace et de Juvénal, et quelques épigrammes de Martial, en vers françois, traduites par le président Nicole, Paris, 1669. 8°.
(Catal. de Colbert.)

Les satires de Juvénal et de Perse, traduites par M. de la Valterie, Paris, 1681. 8°.

Les satires de Juvénal, traduites par Jerôme Tarteron (vid. elenchum editionum), Paris, 1689. 12.

Traduction nouvelle des satires de Juvénal, avec des remarques sur les passages les plus difficiles. Par M. de Silvecane, président en la cour des Monnoyes, chez Robert Pepie, à Paris, 1690. 12.

* Le nouveau Juvénal en vers, par Ch. Utrecht. 1716. 12.
(Bibl. de l'Arsenal.)

Les satires de Juvénal, traduites par M. Dusaulx, chez Lambert, à Paris, 1769. 8°.

* Les satires I, II, XV de Juvénal traduites en vers français, par M. Taillade d'Hervilliers, à la suite de sa traduction en vers des satires de Perse, chez Nyon, à Paris, 1776. 8°.

* Les satires de Juvénal, traduction nouvelle, par M. M***, de l'imprimerie de Monsieur, Paris, 1779.

Les satires de Juvénal, traduites par M. Dusaulx, édit. II, avec un discours sur les satiriques latins, Paris, 1782. 8°.

Les satires de Juvénal, traduites par M. Dusaulx, nouvelle édition, généralement corrigée et enrichie de notes par l'auteur, 2 vol. gr. in 4° pap. vélin superfin, avec figures, de l'imprimerie de Didot jeune, Paris, an V, 1796. 4°.

Satires de Juvénal, traduites par J. Dusaulx, quatrieme édition, revue, corrigée et augmentée de l'éloge historique de Dusaulx, par M. Villeterque, membre associé de l'Institut national. De l'imprimerie de Crapelet, 2 vol. Merlin, Paris, an XI, 1803, 8°.

ANGLICAE.

Persius and Juvenal translated, with explanatory notes, by Barth. Holyday, Oxf. 1616. 8°.

Juvenal, translated by Rob. Stapleton, Oxf. 1644. f°.

* *Mores hominum*, the manners of men described in sixteen satires by Juvenal, translated by Robert Stapleton, London, 1660, f°.
(Bibl. de l'Arsenal.)

Persius and Juvenal translated by Holyday, Oxf. 1673. 8°.

The satires of Juvenalis and of Persius, translated by M. Joh. Dryden, London, 1697. 8°.
(Eadem repetita an. 1711, cum fig. æri incisis.)

* Juvenal and Persius translated by M. Joh. Dryden, printed by Tonson, London, 1754. 12.
(Bibl. du Panthéon.)

The satires of Juvenal translated into english verse, with a correct copy of the original latin on the opposite page, cleared of all the most exceptionable passages and illustrated with marginal notes from the best commentators. Also Dr. Brewster's Persius, vith the original on the opposite page

and notes from Casaubon, to illustrate the design and method as well as the sense of his several satires, in 2 vols, by Ed. Owen M. A. rector of Warington, and master of the free school in that Town, printed by Lowndes, London, 1785. 8°.

A neuw and literal translation of Juvenal and Persius, with copious explanatory notes, by which these difficult satirists are rendered easy and familiar to the reader. By M. Madan, 2 vols. Printed by Beckert, London, 1789. 8°.

GERMANICAE.

Antiquioris Germanicæ versionis Juvenalis meminit Henninius, quam Johnsonio cuidam tribuit, quamque non aliter describit.

Versuch einer Uebersetzung der XIII satyre des Juvenals, von Nüscheler, Zürch, 1768. 8°.

Die satiren des Dec. Jun. Juvenalis, in einer erklarenden Uebersetzung, bey G. I. Decker, Berlin, und Leipzig, 1777. 8°.

Juvenal, übersezt und mit Anmerkungen für Ungelehrte versehen von D. Carl Friedr. Bahrdt, bei Fr. Vieweg dem altern, Berlin, 1781. 8°.

Juvenals und Sulpizia's samtliche satiren, nebst beider Leben und Summarien nach dem beygefügten Henninischen Grundtext in verse übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von Fr. Gottfr. Abel, bei Meyer, Lemgo, 1785. 8°.

Juvenals VII^te^ satyre, übersetzt im: Museum für die griech. und rom. literatur, herausgeg. von Carl Phil. Conz III, St. Zürch, und Leipzig, 1795. 8°.

Juvenal an Pontious vom wahren Adel, übersetzt und erlautert von Denis, Vien, und Leipzig, 1796.

Præclara, inquit Al. Ruperti, satiræ VIII versio, quæ etiam inserta est diario, quod inscribitur:

Deutschland I. B. III St. Berlin, bei Unger, 1796.
Quis non dolet, addit idem, unicam tantum satiram Germanice redditam esse a tali interprete?

BELGICAE.

De Schimpdigten van Juvenalis en Persius vertaald d. Abr. Valentyn. Lugd. Batav. 1682. 12.

Belgico etiam carmine expressæ sunt primum singulæ Juvenalis satiræ; deinde omnes ita expressas edidere sodales litterariæ societatis Amstelodamensis, cui symbolum, *Nil volentibus arduum*, idque Harlem. 1709. 8°.

DANICAE.

Juvenalis satiras omnes metaphrasi Danica expressas edidit Christi. Falsterus, additis interpretatione, sive paraphrasi Latina, notisque, Hafniæ, 1731. 4°.

Juvenal og Persius om Menneskenes Onsker. To satirer oversatte af det Latinske og oplyste med Anmaerkn. af F. Plum. Udg. ved Selskabet til de skionne Videnskapers forfremmelse, typis Gyldendali, Hafniæ, 1790. 8°.

HISPANICAE.

Decima Juvenalis satira, versa ab Hieron. de Villegas, Burgis, 1515. f°.

Juvenalis Hisp. versus a Diego Lopez, cum commentario, Madriti, 1642. 4°.

ITALICAE.

Juvenalis Italica metaphrasi illustratus a Ge. Summa, seu Summaripa Veronensi. Tarvisii, 1480. f°.

* Juvenale tradotto in versi Italiani per Georgio Summaripa, 1510. 8°.
(Bibl. de l'Arsenal.)

Sextam Juvenalis satiram Italicis versibus reddidit Lud. Dulcis, Venet. 1538. 8°.

Primam et secundam vertit Ascanius Varotarius ICtus Patavinus, et alias vertit Franc. Rota Cremonensis.

Juvenalis satiræ versibus Italicis redditæ a Frid. Normio Aretino. 1692.

Giuvenale e Persio volgarizzati dal Com. Camillo Sylvestri, Padua, 1711. 4°.

Le satire di Decimo Giunio Giuvenale, tradotte dal Com. Camillo Sylvestri in corpore Vett. Poëtt. Lat. cum Italica versione, T. XVIII, Mediol. 1739. 4°.

Hæ sunt Juvenalis editiones, quæ Henninio, Maittario, Fabricio, Sodalibus Bipontinis, Alexandro Ruperti et nobis innotuerunt, inter quas judicium ferre, non est unius hominis; multo minus mei, cujus, in hac editione recensenda præcipuum opus fuit codicum MSS. Bibliothecæ Imp. investigatio. Attamen in editionum delectu id mihi potissimum videtur inquirendum, scil. quo e fonte fluxerit editio quæcunque; et quæ cura in ejus emendatione fuerit adhibita? Eæ porro observationes partim ex Al. Rup. excerptæ sunt accipiendæ.

Romana princeps, e cod. parum emendato fluxit. Sequentes, etsi ex diversis codd. descriptæ, parum noscuntur, præter Venetam primam (1472), quam nonnunquam laudavit Al. Rup. ex Beckio. Magnam secum familiam duxit *Veneta secunda* (1475), cum comment. Domitii Calderini, qui antiquissimo cod. usus est. Ex ea expressæ sunt *Venetæ*, 1482, 1483, 1485, 1487. *Vicentina*, 1480. *Lipsienses*, 1497, 1502, 1504, 1507, etc. Ad emendandum deinde Juvenalis textum accessere *Valla* in *Veneta*, 1486, et *Mancinellus* in *Veneta*, 1492. Illam secuti sunt *Venetæ*, 1491, 1492 (Locatelli), 1498, 1501. Hanc vero, *Veneta*, 1494, *Norimberg.* 1497, et *Ascensianæ* duodecim, *Lugdunenses* et *Parisinæ*. *Badius Ascensius* nihil pæne in textum Juvenalis, ut et Virgilii Horatiique operæ contulit. Editionis *Mancinelli* recensionem fere servavit Britannicus in *Venet.* 1499, 1509, 1512, 1515, *Brix.* 1501, 1503. Omnino autem sæculo XV, magis interpretandi studium viros doctos exercuit, quàm critica

cura. Nihilominus tamen considerandæ sunt inter hujus sæculi editiones *Romana princeps*, *Veneta prima*, 1472, *Brixiensis*, 1473, *Mediolanensis*, 1474, *Veneta secunda*, 1475, editio Veneta *Vallæ*, 1485 et *Mancinelli*, 1492; utpote quæ ex diversis scriptis libris ductæ nobis codices varios exhibent, et quidem antiquos, qui forte perierunt.

Majore cum cura et critica ratione recensitæ sunt sæculo XVI satiræ Juvenalis ab *Aldo*, *Junta*, *Colinæo*, *Gryphio*, *Rob. Stephano*, *Theod. Pulmanno*, et *P. Pithoeo*. *Aldinæ* tres præcipue memorantur Juven. editiones: prima, quæ prodiit sine anni nota, altera emendatissima ann. 1501, et tertia quæ ad priorem plerumque rediit ann. 1535. Ex prima et secunda ductæ sunt *Juntina* Florent. 1513, *Argentinenses*, 1518, 1527, optimæ editiones, *Parisinæ*, Simonis Colinæi, *Venetæ*, Stagnini, 1530, 1535, *Basileensis*, Curionis, 1531, *Gryphianæ*, Lugd. et Paris. *Lugdunenses*, Frellonii, quæ tamen omnes passim et ab Aldinis, et a se discedunt. Textum quoque Aldinum expresserunt, sed emendatum ex diversis membranis, *Rob. Stephanus* I, in Paris. 1544, 1549, et *Theod. Pulmannus*, in Plantinianis, Antverp.

Nova lux deinde Juvenali affulsit opera *P. Pithoei*, qui usus est optimo cod. Budensi cum comm. vet. schol. de quo vide infra, p. 75, cujus editionem repetiit *Commelinus*, *Heidelbergæ*, 1590. Eamdem secuti sunt editionem fere omnes recentiores editores, cum levibus tamen mutationibus, sed parvi momenti. Hoc toto XVI sæculo præclaræ editiones et nitidæ permultæ doctis viris se offerunt, inter quas notantur præcipue *Aldinæ* duæ priores, *Juntina*, ann. 1513, *Argentinenses*, 1518, 1527, *Parisinæ*, Simonis Colinæi duæ priores, *Basileensis* Curionis, 1531, *Gryphianæ* priores, *Parisinæ*, Rob. Stephani, 1544, 1549, *Antverpiana*, Plantini, 1585, et ante omnes, nostro judicio, vel ante *Aldinas*, *Parisina* P. Pithoei, apud Mamm. Patisson. 1585.

Sæculo postea XVII, pauci in auctoris nostri textu emendando operam contulere. Primus inter eos *Eilhardus Lubinus*, a quo tres membranæ in consilium adhibitæ sunt in edit. Rostoc. 1602, Hanov. 1603, 1619: eum *Maittarius*, in edit. Londini

1716, secutus est. Sed præcipua fuit cura de textûs emendatione *Nicolao Rigaltio*, cujus editionem *Rob. Stephanus* III, Lut. 1613 et 1616, prelo suo excudendam curavit. Is poëtæ si non omnino sinceram, attamen venustam, et quæ placere possit faciem reddidit. Hunc, illumve secuti sunt in suis editionibus, adhibitis tamen præcedentis ævi editoribus, *Aldis*, *Stephanis*, *Pulmanno*, *Pithoeo*, *Grangæus*, *Farnabius*, *Prateus*, *Juvencius*, etc. Recensiones autem Rigaltianæ et Pithoeanæ restitutæ sunt in editionibus *Schrevelianis*, Lugd. Bat. 1648—1684, et in Henninianis Ultraject. 1685, et Lugd. Bat. 1695. Sæculi hujus præcipuæ sunt editiones *Eilh. Lubini*, Hanoviæ, 1603, *Rigaltii*, 1613, *Grangæi*, 1614, *Elzevirianæ*, 1651, 1671, *Cornel. Schrevelii*, 1684, *Pratei*, 1685, *Henninii*, 1695.

Nullus fere toto sæculo XVIII editor Juvenalis prodiit, qui aliquam curam in textu recensendo adhiberet; sed omnes fere editionum præcedentium textum secuti sunt, aut si quibusdam in locis, hinc et inde, textum correxerunt, nil nisi per conjecturas fortuitas fecerunt; et adeo non poëtæ nostro profuerunt, ut contra illi plurimum nocuerunt falsis lectionibus, et a poëtæ mente prorsus alienis. Excipiendi sunt tamen *Mich. Maittarius*, qui in ed. Londini, 1716, aliquot editiones antiquas contulit, quarum varias lectiones ad calcem adscripsit; *Marshall*, in edit. Londini, 1725, qui tamen *Schrevelium* et *Lubinum* secutus est maxima ex parte; editio Gottingæ, 1742, quæ digna est commendatione, ob curam in vera lectione reddenda positam: sed præcipua laus debetur editioni *Bipontinorum sodalium*, 1785, tum propter elegantiam, cum propter diligentiam et studium, quo Juvenalis et Persius recensiti sunt, et indices editionum confecti. De editione Alex. Ruperti nihil nunc dicam; alias fusius loquar. Aliæ tamen, sed paucissimæ, libenter in bibliothecis recipiuntur, scil. *Steph. Andr. Philippe*, Paris, Grangé, 1747, edit. *Glasguæ*, 1750, *Jo. Barbou*, Parisiis, 1754, *Cantabrigiæ*, 1763, etc.

DE SCHOLIASTIS JUVENALIS,

ET IIS OMNIBUS QUI HUNC POETAM NOTIS ATQUE COMMENTARIIS ILLUSTRAVERUNT.

I.

VETUS SCHOLIASTES P. PITHOEI.

Petrus Pithoeus, frater Francisci (ambo XVI sæculi fuere ICti clarissimi), præclaram dedit Juvenalis Satirarum editionem anno 1585, quam summa cum cura recensuit, adhibitis nonnullis codd. inter quos cod. inter nostros relatus, n° VI, et potissimum antiquissimo Budensi, qui olim Matthiæ Corvino regi Hungarorum fuerat, et ex quo primus integra edidit *veterum scholia*, quorum aliquam partem, sed parum diligenter exscriptam vulgaverat Valla in editione Veneta 1486 (vide P. Pithoei præfat. p. 273, edit. 1585). Primus igitur adnumerandus est iste commentarius, et propter antiquitatem, et propter promeritum suum. Notæ veteres hujus ab homine docto, perito juris, historiæ, rituumque veterum proficiscuntur. Multæ inter eas priscarum ætatum elegantiam interdum sermonis redolent. Varias nobis exhibent fabulas, historias et opiniones antiquas, quæ frustra alibi quærerentur. At, plurimæ earum sunt leves nimis, triviales, subtiles, argutæ, alienæ, et quandoque ineptæ. Præterea huic antiquo grammatico accidit, quod tum Græcis, tum Latinis; ut non defuerint, seu scholiastici, seu monachi et librarii, qui, in excerpendis transcribendisque scholiis, antiqua et proba modo contraherent, omitterentve, modo, aliis glossis deterioribus et ineptis insertis, corrumperent fœde atque interpolarent. Adde multas notas injuria temporis, incuria hominum, et impudentia emendatorum sciolorum, quibus sæculum quodlibet nunquam caruit, misere deformatas atque dilaceratas fuisse : quo fit ut illæ virum certe doctum, qui primus ad satiras Juvenalis illustrandas accessit,

non nisi post aulæa reconditum, vel potius pannis inscitiæ involutum nobis ostendant. Ex iis ergo excerpsimus, quæ nobis ad propositum finem perducere posse lectorem visæ sunt, vel quæ memoria aliqua dignæ censerentur, cæteris criticorum arbitrio ac reprehensioni relictis. Hoc notarum corpus quidam *Valerio Probo* Grammatico attribuunt, alii *Berytio* grammatico: Gonzalès de Salas ad Petron. p. 130, auctorem scholiorum veterum in Juvenalem appellat *Petrum Birthium*. Jac. Cujacius eadem scholia *Cornuto* assignabat. Recentiores critici multo melius, nostro judicio, litem diremerunt, dicentes, hoc opus non esse unius, sed plurium: quod probatur ex variis notis, quarum aliæ paganum sapiunt, aliæ christianum, aliæ virum eruditum, aliæ inscium et antiquitatis minime peritum. Certe primus fuit vetustissimus scholiastes, sed adeo reconditus in tanta farragine, ut critico admodum ingenio opus sit, ad ea eligenda, quæ veteris hujus sunt, et rejicienda quæ ex recentioribus profluunt. Ideoque convenienter inscribi potest et debet indefinite commentarius iste: *Vetera scholia ad Juvenalem.*

II.

VETERES GLOSSAE ET COMMENTARII.

Præter veteris codicis Pithoei scholia, multæ reperiuntur in scriptis libris notæ inter lineas et margini adscriptæ, in aliis paucæ et brevissimæ, in aliis plurimæ et interdum longiores. Eas sæpe sæpius consuluimus, præsertim in locis arduis et difficilioribus; nonnullas multo cum labore, multaque molestia transcripsimus, quæ in nostro scrinio latent. At, ut vera dicamus, nostris non respondent curis. Futiles sunt pleræque, insulsæ, ineptæ et parum ad illustrandum auctorem aptæ; quæque inter eas utiliores essent, a primis interpretibus Calderino, Valla, Mancinelli, Britannico, et aliis XV et XVI sæculi in ipsorum commentariis receptæ fuerunt. Sed, ne id leviter innuere videamur, et, ut ipse lector de iis plenius sententiam ferre possit, inter eas aliquot hoc loco subjungere non alienum judicavimus: quod duplex lectori commodum afferet: primum, ut, quid de notis codicum vetustorum non tam ad Juvenalem

pertinentibus, quàm ad alios Romanorum scriptores, utilitatis in qualicumque editione vulganda capiendum sit, videat; simul et grammatices ac philologiæ statum per sæcula decimum sextum præcedentia uno aspectu concipere ac disjudicare queat. A notis inter lineas adscriptis et ex cod. Alexandrino desumptis incipiemus. Sed, antea, de tribus veteribus criticis loquendum est nobis, quorum notas in hoc compendio passim inspersimus.

I. Guarinus.

Guarinus, seu Garinus. Is fuit abbas Victorinus apud Parisios, et decessit anno MCXCIV. Ejus commentarium integrum reperimus in codice chartaceo XIV sæc. qui inter nostros refertur supra ad paginam 42. De hoc opere nihil dicemus : lector ipse ex notis compendii judicabit.

II. Omnibonus.

Omnibonus Leonicensis, sive potius *P. Fr. Omolloy* aut *Molloy*, Hiberus Medensis, ordinis min. strict. observ. in collegio S. Isidori de urbe S. Th. prof. primarius lector jubilatus, et provinciæ Hiberniæ in Curia Rom. agens generalis. De eo Præter comment. in Juvenalem habet Biblioth Imp. *Aesopi fabulas*, interprete Omnibono. (Codd. mss. n° 8510 et 8517), et ejusdem *epithaphium Francisci Barbari* (n° 8626). Præterea congregatio propag. fidei Romæ typis mandavit ejusdem, *Lucerna fidelium, seu fasciculus decerptus de doctrina Christiana, divisus in tres partes, in Hibernica lingua*, 1677, in 8°, et *grammatica Latino-Hibernica compendiata*, etc. eodem anno, in 12. Commentarium vero ejus in Juvenalem habet cod. chartaceus in 4° parvo, constans 236 foliis, quindecimo sæculo leviter necnon eleganter exaratus, cujus scriptura satis refert eam quam nunc vocamus *anglaise*. Notæ autem ejus pleræque pro tempore, satis bonæ sunt, simplices atque auditu faciles, et iis aliquando usi sumus

III. Vocabularium ad Juvenalem.

Id vocabularium exstat sub n° 8294, apud Bibl. Imp. in

codice chartaceo, formæ octavæ, XVII sæc. satis male exarato. Inter multa futilia, inepta et falsa, quædam reperiuntur satis bona, quibus interdum usi sumus. Cæterum, etsi sit scioli cujusdam posterioris ævi codex iste, nihilominus notas ex eo excerptas inter veteres, quibuscum apprime consentiunt, referendas existimavimus.

VETERES GLOSSAE INTER LINEAS SCRIPTAE.

De Annibale et Alexandro.

ex cod. Alexandrino, n° 2029.

totam evertit
. . . . . patriam tamen obruit olim

regum gloriæ
G loria paucorum. et laudiſ tituliq; cupido

sepulchris humanorum i. laudem et titulum
H æſuri ſaxiſ cinerum cuſtodib;; ad quæ

radices
D iſcutienda ualent ſteriliſ mala robora ficuſ;

— sc. mala
Q uandoquide data ſunt ipſiſ quoq; fata ſepulchriſ;

considera i. cineres ejus hoc est minimi ponderis corpus
E xpende hannibalem. quot libraſ in duce ſummo

ethiopico
I nueniеſ? hic eſt quem non capit africa mauro

applicata propter solem
P ercuſſa oceano. niloq; admota tepenti.

quod sint indici
R urſuſ ad ethiopum populoſ. alioſq; elephantoſ;

hannibalis
A dditur imperiiſ hiſpania; pyrenæum

ad italiam tendens istud singulariter dictum cùm nos alpes semper dicamus
T ranſilit; oppoſuit natura alpemq; niuemq;;

dividit
D iducit ſcopuloſ. et montem rumpit aceto;

i. italiam
I am tenet italiam. tamen ultra pergere tendit;

romæ
A cti inquit nihil eſt. niſi pœno milite portaſ

F rangimuſ. et media uexillum pono ſubura;
quàm turpis erat hannibali pictura
O qualiſ facieſ. et quali digna tabella.
nimio enim frigore fertur oculum amisisse
C um getula ducem portaret belua luſcum;
exclamatio ironice
E xituſ ergo quiſ eſt? o gloria. uincitur idem
—
N empe. et in exiliu precepſ fugit. atq; ibi magnuſ
nec jam rex expectans regis placitum Philippi
M iranduſq; clienſ ſedet ad prætoria regiſ.
laborare pro eo regi
D onec bitino libeat uigilare tyranno;
anima confundit
F inem animæ. quæ reſ humanaſ miſcuit olim.

N on gladii. non ſaxa dabunt. non tela. ſed ille
ubi romanos delevit
C annarum uindex. et tanti ſanguiniſ ultor
in quo venenum gerebat hannibal
A nuluſ; i demenſ. et ſæuaſ curre per alpeſ.
in scholis
U t pueriſ placeaſ. et declamatio fiaſ; alias fiat
alexandro i. tota asia
U nuſ peleo iuueni non ſufficit orbiſ;
sibi
E ſtuat infelix. anguſto in limite mundi.
sc. quasi oppidulo
U t gyaræ clauſuſ ſcopuliſ. paruaq; ſeripho;
latericio muro cinctam babylonem
C um tamen a figuliſ munitam intrauerit urbem
ostendit
S arcophago contentuſ erit; morſ ſola fatetur

Q uantula ſint hominum corpuſcula; . . . .

VETERES GLOSSAE MARGINI ADSCRIPTAE.

SAT. I.

E commentario Guarini, n° 1767.

V. 11. *Monichus.*] Centaurus cum quibusdam aliis Centauris aggressus est Pirithoa, ut acciperent sibi uxorem quam ducebat. *Monichus* iste ingentes ornos jaculabat, ut fictum erat in quodam libro.

E vocabul. ad Juvenalem, n° 8294.

V. 66. *De Mœcenate supino.*] Supinus, *couché à la renverse :* unde supinus verborum in conjugatione.

E cod. Fauchet. n° 8070.

V. 130. *Atque Arabarches.*] Signat autem Crispinum, cujus supra meminit, qui a Nerone Arabiæ princeps erat factus; et, *ausus habere* dicit, quasi rem nefariam et plenam præsumptionis : unde despective dicitur *nescio quis.*

E comment. Guarini.

V. 137. *Et latis orbibus.*] Quia antiqui rotundis tabulis comedebant, ut plures discumberent, et non soli comederent.

Ex eodem.

V. 149. *Utere velis.*] Actor ad se ipsum. — *Dicas hîc forsitan.* Tu, pudor, dices forte mihi : Quomodo poteris tanta reprehendere ? — *Unde, etc.* Responsio Juvenalis. — *Cujus non audeo, etc.* Timeo nominare simplicitatem, quia nulla est Romæ; sed potius volo mala loqui, non ista bona.

E cod. Fauchet.

V. 155— 157. *Tæda lucebis.*] Si Tigellinum, inquit, carpseris, vivus succenderis in illa tæda, quam Nero adinvenit. Inter cætera enim mala, hoc adinvenit, ut rei in fossam vacuam stantes mitterentur, ac desuper cera liquata perfunderetur, donec fossa plena esset : et, ne se incurvare possent, guttura eis configi jubebat, et per posteriora tædam ardentem mitti. — *Qui dedit ergo, etc.* Hoc dicit, quia

illi qui scelerati sunt sublimantur, et beatificantur; illi vero qui innocentes sunt, et redarguunt nocentes, puniuntur inique : nihil aliud restat, nisi ut qui veneficus est, et propinquos interficit, vehatur sublimiter in pluma molli. — *Qui deducit sulcum.* Dicit, pro eo, quod est, pro quo deducitur sulcus.

N. B. Ex ea glossa, constat interpretem istum veterem legisse versum, *et latum media sulcum deducit* arena, post v. *pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos*, et, revera melius perciperetur sensus, si legeretur :

Pone Tigellinum : tæda lucebis in illâ,
Quâ stantes ardent qui fixo gutture fumant.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos,
Et latum mediâ sulcum *deducat* arenâ.

Vid. quæ notavimus, sat. I, v. 156.

SAT. II.

E comment. Guarini.

V. 28. *Discipuli tres.*] Crassus, Cæsar et Pompeius maledixerunt de conspiratoribus in patriam, qui sunt positi in tabula a Silla, in qua proscribebantur suspecti patriæ. Et dicit *discipuli*, quia, ut Lucanus ait, *ille tuus saltem discedere Silla*, etc.; vel *discipuli*, per imitationem, sicut ipse conspirator fuit in patriam, ita fuerunt ipsi.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 30. *Concubitu.*] *Concubinage*, quamvis possit intelligi honeste, id est, de eo quod fit cum uxore legitima, tamen ibi inhoneste, id est, cum pellice.

E codice Memmii, n° 8287.

V. 92. *Baptæ.... Cocyton.*] Athenienses Proserpinam colentes, quam solæ feminæ solebant colere. In festis ejus multa nefaria agebantur, et etiam psaltriam exercebant : quam consuetudinem *Baptæ* ab eis acceperunt; et

tantum nefas auxerunt, quod tædebat Deam ipsam; et hoc noctu agebant. — *Baptæ*. Græce vocantur molles et evirati. Sicut, inquit, Romani perverso ordine colunt Floram; ita Attici et Baptæ quondam *Cocyton*, id est, Proserpinam, a Cocyto infernali fluvio sic dictam.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 97. *Cærulea indutus, etc.*] Subaudi vestimenta. *Vétu d'une robe bleue tissue en forme de petits écussons, ou d'étoffe rase sans poils, de la couleur des fleurs que porte le galbanum.*

E cod. Colbert. III, n° 8075.

V. 99. *Hotonis.*] *Hoto* fuit Romanus Imperator. *Actor* fuit quidam nobilis Romanus, qui de Arunca civitate erat ortus. *Galba* fuit quidam nobilis Romanus, qui habebat pulcherrimum speculum. Hoto rogavit Actorem ut daret illi speculum : ideo Actor pugnavit adversus Galbam in Bebriacis campis, et eum vicit, et ita habuit speculum, et dedit Hotoni.

E cod. Fauchet.

V. 124. *Segmenta.*] Segmentum, vestis muliebris quâ nuptæ utuntur, sive proprie limbus vel fasciale, quem indumentis muliebribus causa ornatûs in extrema parte assuunt : hinc *segmentatas cunas* legimus.

Sat. III.

E comment. Guarini.

V. 21. *Hîc tunc, etc.*] Vmbritius incipit loqui. — *Vivant Arturius*. Sceleratus quidam. — *Et Catulus*. Et qui similia faciant. Quondam hi, qui nunc sunt proceres, erant cornicines municipales, qui pro parvo munere privatis sonabant hinc illinc.

E comment. Omniboni.

V. 67 et seqq. *Quirine.*] O Romule rusticus ille tuus, qui antea pugnare fortiter solitus erat, nunc sumit sudarium, quo fortiter epulando sudorem abstergebat. — *Richidimna*. Richidimna est sudarium quo parasiti sudantes

in cœnaculo, cùm cibo vinoque replentur, absterguntur. Dicitur a Græco *rictis*, id est, sudarium. — *Et ceromatico fert niceteria collo.* Notat illos Romanos, qui antea solebant signa victoriæ ab Imperatoribus accepta ferre; nunc vero, signum habent parasitorum, qui cæteros cœnando convincant. — *Niceteria.* Victoriæ signum, quod pro magnæ laudis insigni parasito gestabatur alios edacitate superante.

E cod. Senator. nº 8073. Paraphr.

V. 100. *Natio comœda est.*] Unde subjungit quod est natio comœda, sive jocularis; ridens, si rideatur; plorans, si ploretur; sumens vestes, si dicatur quod frigus sit; et sudans, si calor nominatur. Unde difiniendo subjungit Vmbritius, quòd talibus non sum par. Meliores sunt illi, qui sunt parati laudare bene ructantes, rectum mingentes, et trullam recto crepitu reddentes.

E comment. Guarini.

V. 116. *Stoicus occidit Baream.*] Eliodorus, qui natus est Athenis, magnus orator fecit interficere quemdam discipulum suum Baream, propter impietatem suam.

E cod. Fauchet.

V. 186. *Ille metit barbam.*] Id est, tondit barbam. Non dicit *radit*, quia apud antiquos non radebatur, sed tondebatur.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 210. *Aerumnæ.*] Proprie, *crochets de crocheteur.* Quòd autem sint minus commodæ, in metaphoricam significationem cessit istud verbum pro miseriis et doloribus, sive angoribus, *malheurs*, *douleurs*.

E cod. Memmii.

V. 231. *Lacertæ.*] Quantum potest in die una ire lacerta; vel unius servi possumus esse domini, vel unius horti. *Lacertæ* enim in hortis solent esse: vel *lacernæ* quam tunc continet *cappa*.

E cod. Alexandr. nº 2029.

V. 231. *Lacertæ.*] Ideo, inquit, Romæ volunt quidam habitare, ut domini sint alio-

rum : sed ; quia Romæ domini esse nequeunt, valet aliquid apud eos, si in aliqua civitacula saltem dominari possent.

Sat. IV.

E Comment. Guarini. V. 4. *Delicias viduæ, etc.*] Notat maximam luxuriam Crispini, cùm tantum virgines velit, non *viduas.*

E comment. Omniboni. V. 24. *Succinctus.*] Nam piscatores juncis cinguntur, quibus etiam suspendunt pisces.

E codice Colbert. III. V. 34. *Incipe Calliope.*] Quia digressionem fecerat actor tamdiu loquendo de Crispino, cùm ejus propositum sit transire de vitio ad vitium, ipse volens transire ad hoc, ut reprehendat Neronem, Musæ suæ invocat auxilium, ita dicens, *incipe, etc.*

E comment. Guarini. V. 38. *Calvo.*] Iniquo, vel virtutibus privato.

E vocabul. ad Juvenalem. V. 48. *Algæ inquisitores.*] *Ceux qui étaient préposés pour voir si la vase de la mer ne se corrompait pas.*

E codice Colbert. III. V. 84. *Si clade et peste sub illa.*] Clades et pestis idem est : sed differunt; quia *clades* dicitur quando ad nobiles, *pestis* quando ad ignobiles. vel *clades* per ferrum, *pestis* per venenum.

E comment. Guarini. V. 114. *Qui nunquam.*] Iste Catullus luscus et pæne cæcus adeo bonus erat simulator, ut diceret, se amare pulchram puellam, et tamen eam nunquam viderat.

Sat. V.

E voc. ad Juven. V. 2. *Quadra.*] *Amas en quarré.*

Ex eodem. V. 53. *Manus ossea.*] *Main dont on ne voit que les os.*

E cod. Colb. III. V. 90. *Cum Boccare.*] Erat quidam venditor

vilis olei : unde ita erat fetidus, ut cùm iret ad balnea, nemo volebat balneare cum ipso.

E comment. Guarini. V. 108. *Nemo petit modicis.*] Invehitur in avaritiam istius domini, qui nolit aliquid donare istis parasitis dicens : nullus istorum petit a vobis magna munera, sicut erant illa quæ mittebantur a Seneca, Pisone et Cotta, qui erant magni domini tempore Neronis ; quæ munera habebantur majora. — *Solum poscimus, ut cœnes.* Cùm uno istorum.—*Civiliter.* Mediocriter.

E cod. Alexandr. V. 146. *Ancipites fungi.*] De quibus dubitare possis, an comedere debeas : omnes enim fungi non veneniferi sunt.

Sat. VI.

E vocabul. ad Juvenalem. V. 61. *Cuneis.*] Cuneus triplices habet explicationes et significationes. 1° dicitur *coin à fendre du bois.* 2° *Troupe de soldats rangée en forme de coin.* Cuneatim disposita militum turma. 3° Ut sic interpretandum, *coins du théâtre, parce que les quatre extrémités ou côtés des lieux quarrés ont la forme de coin.*

Ex eodem. V. 99. *Summus vertitur aër.*] Vertigine aër rotatur. *L'air souffle en rond, et cela fait mal à la tête.*

E cod. Alexandr. V. 156. *Myrrina.*] Optimum vitrum. Hinc *myrrina* dicuntur vasa ex eodem facta vitro.

E cod. Fauchet. V. 170. *Tolle tuum, precor, Hannibalem.*] Hannibal rex fuit Afrorum, quem Scipio avus Corneliæ interfecit. Nam Scipio et pater et avus ejus dictus est. Recede, inquit, a me, et tecum tolle Hannibalem et Siphacem reges Afrorum, quos jactas esse victos a patribus tuis. Siphax autem fuit rex Carthaginiensium.

E comment. Guarini. V. 251. *Plus agitat.*] Mali. — *Veræque paratur arenæ.* Id est, publica sit gladiatrix.—

Nam quantula. Quàm parva desideramus et delectamus, velut in magnis. — *Quale decus.* Si mulieres istæ eadem audent, et *si conjugis auctio fiat*, id est, venditio suorum armorum.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 306. *Sanna.*] Oris hiatus et contorsio, *grimace :* undè *insanire*, figura quæ oris contorsiones varias exprimit, dicitur *sanna.*

E comment. Omniboni.

V. 321. *Pendentis coxæ.*] Coxam appellat membrum virile, ut ejus magnitudinem significet.

E cod. Alexandr.

V. 321. *Pendentis coxæ.*] Præmia pendentis coxæ appellat mentulam ; et coxam vocat propter magnitudinem. Aliter : *tollit*, id est, accipit præmia *pendentis coxæ*, id est, talia præmia accipit, qualia dat vir mulieri pro pendente coxa, id est, pro mentula sua, ut coëat.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 346. *Olim.*] Tria tempora complectitur, præsens, præteritum et futurum, *maintenant, autrefois et un jour.* Etiam ponitur pro interdum, *quelquefois.*

E comment. Guarini.

V. 477. *Cosmetæ.*] Ancillæ quæ ornare solent tunicas, nam *cosmos* significat mundum ac etiam ornamentum : inde mundus et ornamentum muliebre.

E vocabul. ad Juven.

V. 556. *Caligo.*] Ibi sub caligine intelligit ignorantiam. Interdum, Lector, te monitum velim, id esse inter ignorantiam et ignorationem discriminis, quòd ignorantia sit *l'ignorance d'une chose qu'il importerait, ou que l'on desirerait de savoir*, ignoratio vero, *l'ignorance d'une chose qu'il n'importe pas de savoir.*

E comment. Omniboni.

V. 584. *Popysmà.*] Popysma sonum illum significat, quem agaso reddit, cùm domi, clunes equi blandiendo demulcet. Est alius sensus : nam *popizo* factitium verbum est, et significat id quod est facere vocem bubonis,

ex quo cognoscetur vinum bonum an malum futurum sit. — *Vati roganti.* Cantum bonum.

Sat. VII.

E cod. Alexandr.

V. 23. *atque ideo croceæ membrana tabellæ.*] Si, inquit, aliunde speras pretium pro carminibus tuis, quàm a Cæsare, frustra decipieris; et ideo melius est, ut libros tuos citius incendas. *Croceam tabellam* vocat paginam in qua scribebantur carmina, quæ utique variis coloribus tingebatur.

Ex eodem.

V. 89. *Semenstri vatum circumligat auro.*] Semenstri auro, rotundo anulo semenstris lunæ similitudinem habente: nam semenstris dicitur luna in medio mense, quando quinta decima est, et spera (sphæra) ejus tota est lumine plena. Vocataque est semenstris ab eo quod est semis et mensis, id est, medio mense, quando plenissima est.

E comment. Guarini.

V. 112. *Veram deprehendere messem.*] Si tamen velles scire quantum omnes isti lucrentur; si tu pones ex utero latere centum eorum patrimonia, non æquabitnr parvum rus cujusdam pauperis nomine *Lacertæ.*

E cod. Senatorio. Paraphrasis.

V. 150. *Declamare doces.*] Hîc convertit actor sermonem ad Vestium amicum suum et magistrum puerorum; et dicit, quòd, sicut causidici parum lucrantur, sic magistri, qui assidue docent, parum de utilitate recipiunt: et miratur unde possunt habere tam ferrea pectora ad docendum pueros, et vocat eos pueros numerosa classis quæ perimit sævos tyrannos, id est, de tyrannis sumit thema, et illud quotidie recitabat sedendo, legendo et stando et versus cantando, in quo themate tyranni puniebantur, et magistri repetendo lectionem pueris fatigabantur.

E cod. Alexandr.

V. 192. *Alutæ.*] Aluta vocatur pellis caprea a luteo colore. Ut autem discernerentur nobiles ab ignobilibus, patricii a novitiis, subsuebatur pellis capræ in calce calceamenti in modum lunæ, per quod nobilis designabatur.

Ex eodem.

V. 193. *Jaculator.*] Id est, jocosus et urbanus, qui facile quæstionibus respondet, et verborum copia fretus jacula eloquentiæ intorquet, aliosque irridens alios lætificat; quem alio nomine facetum vocamus.

E vocab. ad Juvenalem.

V. 221. *Institor hybernæ tegetis, niveique cadurci.*] Id est, negociator, qui instat indicationi vestium et stragulorum, sive tentoriorum.

Sat. VIII.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 65. *Epirhedia.*] Ornamenta plaustralia, sive ad currus potius ornandos necessaria, *ce qu'il faut pour accommoder des carrosses.* Quidam dici volunt ab ἐπὶ Græca voce, et *rheda* quod barbarum Gallorum vocabulum est. *Carrosse.*

E comment. Guarini

V. 137. *Parentum nobilitas.*] Tunc tua nobilitas, et tuorum parentum erit contra te, quia diceris degenerâsse.

E comment. Omniboni.

V. 189. *Triscuria.*] Multiplices scurilitates, et finitum numerum pro infinito posuit. Compositum est autem hoc vocabulum a *tris* quod est *tres*, et *Curias*, quæ nobilissima fuit meretrix: nam *curia*, quoties primam producit, locum significat ubi Senatus convocatur: sed cùm primam corripit, meretricem notat, ut ait Cicero: *non tam sequitur curiam, qùàm Curiam.* A *Curia* fit *scurra*, quasi sequens *Curiam:* unde et scurilis sermo dicitur lascivus et petulans. Ab hoc vocabulo fit *triscurium*, *triscuria;* ita, *triscuria patriciorum* eorum incontinentiam et lasciviam multiplicem significat.

E comment. Guarini. V. 212. *Cujus supplicio.*] Ad cujus Senecæ vindictam, non solum erat ponendus Nero in culeo; sed merebatur mille culeos.

E vocabul. ad Juvenalem. V. 228. *Syrma.*] *Longue queue de robe.*

E cod. Fauchet. V. 247. *Muniret castra dolabra.*] Si lentus fuisset in muniendis castris, caput ejus baculo terebatur, et virgæ ejus illisæ capiti frangebantur.

E vocabul. ad Juvenalem. V. 258. *Trabeam.*] *Vestem trabeatim contextam.*

SAT. IX.

E vocabul. ad Juvenalem. V. 31. *Venæque secundæ.*] Tenue argentum, *argent faible et moins pur.* Metaphora ducta a pane secundo, vel secundario, nempe farinæ cujus ador, *la premiere fleur*, est detracta, proptereaque minor est bonitate.

E cod. Alexandr. V. 62. *Legatus.*] Antiqui habebant pueros amasios et pulchros, per quos amicis suis mandabant quidquid volebant : unde supra, *et flavam cui det mandata puellam* : sed, qui divites, erant avari nihilque dabant amasiis. Dicit poëta : nonne melius perferet esse aliquis rusticus nuntius ad quemlibet sacerdotem, quàm esse puer amasius.

E comment. Guarini. V. 63. *Improbus es.*] Respondet Virro huic Nævolo. Tu es mihi fastidio tantum petendo semper. — *Sed pensio clamat.* Respondet Nævolus. Ego improbus sum in petendo, quia habeo multa expendere : nam pensio domûs urget me et petit.

E comment. Omniboni. V. 63 et 64. *Clamat.*] Clamando suadet poscere ; quoniam nihil dat, et tot labores pateris. Sed est alia ratio.—*Appellat.* Auxilium implorat. — *Unicus.* Carus, quoniam solus, ideo carus, quemadmodum solus erat carus oculus Polyphemo. — *Lata acies.* Amplus

oculus. — *Solers evasit Ulysses.* Qui solertiâ suâ, effosso oculo, evasit e manibus ejus.

Sat. X.

E comment. Omniboni.

V. 81. *Pan et Circenses.*] Lupercalia et Circenses. — *Circenses.* Ludi erant, qui ad ripas fluminis fieri solebant. Erat autem curule certamen : nam, cum agitarentur currus, ex una parte fluvius erat, ex altera vero corona spectantium, qui strictos gladios in manibus habebant, ut si quis inde evadere voluisset, non posset. Unde et *Circenses* a corona et circuitu hominum dicti sunt.

E cod. Alexandr.

V. 83. *Brutidius.*] Amicus fuit Sejani. Unde simul cum illo jussus est interfici. Est autem vox populi : occurrit, inquit, mihi Brutidius cùm duceretur ad mortem pro eo quod amicus erat Sejani. Tamen ergo conculcemus hostem Cæsaris, ne eadem occasione nos interficiat.

E comment. Guarini.

V. 84. *Ne pœnas exigat Ajax.*] Ne ipse semet interficiat, propter illam aram timens hanc mortem quam fecit Sejanus.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 134. *De casside buccula pendens.*] Buccula cassidis *est la bouche du casque, l'ouverture par où l'on prend la respiration de la bouche.*

E cod. Fauchet.

V. 172. *Mors sola fatetur.*] Proverbium memoria dignum. Mors vere demonstrat, quid sint hominum corpora.

E cod. Alexandr.

V. 208. *Suspecta libido est.*] Dicit senes velle quidem, sed non posse coire. nam etiam in senibus voluptas est, sed virtus deest.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 249. *Atque suos jam dextra computat annos.*] *Qui après avoir compté cent ans de son âge sur les doigts de sa main gauche, vingt sur chaque doigt, vient à compter sur la droite.*

E comment. Guarini.

V. 289. *Formam optat modico, etc.*] Ponit aliam opinionem credentium habere pulchros filios et filias esse summum bonum, et hanc impugnat et corrigit.

Ex eodem.

V. 308. *Nec prætextatum...loripedem.*]Nero nolebat nobiles claudos habentes lora ad pedes, sed juvenes nobiles et formosos.

E cod. Fauchet.

V. 358. *Qui spatium vitæ, etc.*] Philosophi mortem bonum esse dicebant, quia secundum naturam eam esse putabant : sic enim nasci secundum naturam est, ita et occidere. Illorum ergo sequitur opinionem, cùm dicit, *qui ponat extremum spatium vitæ inter munera.* Nos vero (Christiani) dicimus mortem non esse secundum naturam ; quia primus homo immortalis creatus est, ea conditione, ut si non peccâsset, non moreretur. Postquam autem peccavit morti addictus est. Ergo mors non est secundum naturam ; sed ex pœna peccati contigit ; et ideo mors esse malum convincitur. Quæ tamen mala est per se et fugienda, ex causa vero bona est appetenda : cùm quis, videlicet, pro justitia, aut pro confessione nominis Christi moritur ; unde scriptum est : *mors peccatorum pessima, et mors sanctorum pretiosa.*

Sat. XI.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 94. *Testudo.*] Ibi animalculum : quanquam latissimas reperivi ; et quas vix duodecim homines possent trahere ; et cùm semel in dorsum occiderunt, in pedes reponere se non posse scriptores de America historiæ asserunt.

E comment. Guarini.

V. 100. *Tunc rudis.*] Omnes voluptates illi majores in ornandis armis ponebant ; et nihil aliud curabant in urbibus eversis. Captâ aliquâ urbe, miles rudis frangebat pocula magnorum

artificum, ut poliret vel ornaret equum fulcris.

E comment. Guarini.

V. 148. *Cùm posces.*] Cùm aliquid voles, loqueris Romane, quia non intelligit Græce, ut alii faciunt, nec Syrie, nec Frige.

E comment. Omniboni.

V. 173. *Lacedæmonium pitismate.*] Dives, inquit, fruatur et delectetur verbis obscœnis, et omni arte prorsus libidinosa illius, qui de industria factus est ebrius, ut omnibus ridiculo sit. — *Lacedæmonio pitismate.* Hoc est, ebrietate Lacedæmoniorum : nam, *pitisco*, hoc est, frequenter bibo ; unde *pitisma*. Lycurgus autem Lacedæmoniorum rex et legum lator instituit, ut singulis annis unus e servis ebriaretur, qui vino compulsus urbem circuibat obscœnitates et ineptias faciendo; quod alii videntes, quàm turpe esset ebrium videri, a vino abstinebant. Dicit igitur Juvenalis : dives delectetur in suo convivio habere ebrios, qui imitentur illud Lacedæmonium. — *Lubricat.* quasi ebrius.

Sat. XII.

E comment. Guarini.

V. 10. *Si res ampla.*] Si haberem divitias ita magnas, sicut effecto, ego ducerem ad ista sacrificia pinguissimum taurorum similem Hispulæ pinguissimæ.

Ex eodem.

V. 29. *Catullo.*] Videtur intelligi de altero amico, quàm sit Corvinus, quia Corvino scribit de infortunio Galli.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 47. *Cælati.*] Supple argenti. Argentum cælatum, sive factum, vulgo *mis en œuvre :* nempe in vasis et signis signatum, *ciselé*, *monnoyé ;* infectum scil. quando est in massa, vulgo, *en lingot ou en masse* : et sic dici potest de omnibus metallis.

Sat. XIII.

E voc. ad Juven.

V. 59. *Lanugo.*] proprie, *sorte de poil ou*

laine qui vient sur quelques fruits, comme pêches : metaphorice, *premiere barbe.*

E cod. Alexandr. V. 105. *Ille crucem sceleris pretium tulit.*] Ostendit cur homines facile delinquunt : videlicet, quia cùm plures idem crimen committunt, alius pro illo supplicium mortis, atque alius regnum meretur : et similiter contingunt bona simul et mala bonis sicut et malis. Hinc Salomon ideo ait : *replentur corda hominum contemptu et nequitia in vita sua; quia eadem cunctis eveniunt.*

SAT. XIV.

E vocabul. ad Juvenalem. V. 96. *Sabbata.*] Sabbatum, *samedi*, dies in qua cessabant Judæi, translatum a nobis in diem dominicam, *dimanche*, propter resurrectionem Christi ; et apud Hebræos sic numerabantur hebdomadis dies : primus sabbati, supple dies, secundus, tertius, quartus, etc. usque ad septimum, qui simpliciter vocabatur sabbatum.

E cod. Fauchet. V. 104. *Solos deducere verpos.*] Verpus vocatur digitus impudicus, quo Judæi die sabbato purgare anum feruntur : unde Judæos *verpos* vocat. Judæi enim omnibus gentibus loqui dedignantur; cum quibus si aliquando loquerentur, statim se lavabant. Dicit ergo eos, *solos verpos*, id est Judæos, aquæ ad fontem ducere dignari : et certe, sicut nos per indicem aliquid indicamus, ita illi designantes verpos deducunt ad fontem insinuandum.

E cod. Alexandr. V. 129. *Minutal.*] Dicitur fragmentum panis, quod usque in medium annum dicit avarum reservare. Vocatur autem *minutal* a re minima.

E comment. Guarini. V. 260. *Fiscus.*] Id est sacculus nummorum. —*Et ad vigilem.* Mos erat Romæ divitibus

ponere in cubiculo statuam Martis, ut custodiret nummos; vel portabant ad templum ejus in sacrario. Sed latro quidam portavit nummos servandos et galeam Dei; eo certe, cùm non posset servare sua, tanto minus aliena, omnes postea ad templum Castoris et Pollucis portabant.

Sat. XV.

E cod. Senatorio. Paraphrasis.

V. 27. *Nos miranda quidem, etc.*] Dicit actor quod Ulixi non credebatur, quia testem non habebat, et iis quæ dixero fortasse fides non habebitur; sed allegabo antiquos et modernos, per quos credetur michi, quia a tempore consulatûs jam hoc fuit, et canam miranda gesta, referendo menia calida Copti civitatis Egipti, et dicemus scelus vulgi Egiptiorum et graviora scelera cunctis coturnis, i. libris tragedorum, qui a pirra hæc usque faciunt fata per longa sirmata, i. longam scripturam, quæ nullus populus adeo longa facit apud traycos. Unde accipe, volusi bictinice, exemplum quod nostro ævo produxit dyra feritas illorum.

E cod. Alexandr.

V. 35. *Combos et Tentyra.*] Dicti sunt illi vici finitimi et discordantes inter se. Nam Combenses volebant Deos suos coli a Tentyris, et Tentyritenses contra suos a Combensibus: hinc ergo erant simultates.

Ex eodem.

V. 112. *Thile.*] Insula est omnium insularum novissima. ad quam de britannia pervenitur per mare. itinere novem dierum. ubi in solstitio æstivali X et VIII dies sunt. et noctes sine die. in hiemali solstitio totidem. et ut solinus refert. ibi homines vivunt herbis. lacte. caseo. et carnibus. nam vernali tempore herbis vescuntur solummodo. reliquo tempore lacte. caseo. et carnibus pecorum. agriculturam autem non exercent.

E vocabul. ad Juvenalem.

V. 148. *Conditor.*] *Qui a fait de quelque chose*, creator, *qui a fait quelque chose de rien.* Ibi tamen commune.

SAT. XVI.

E cod. Fauchetii.

V. 13. *Bardaicus.*] Barda fuit dux militum qui, cùm causas diceret, commilitonibus favebat.

Ex eodem.

V. 23. *Mutinensis.*] Mutina civitas est Italiæ, de qua fuit Vagellus orator. Postquam, inquit, quis militem te detulerit, necesse habebit, ut orator aliquis causam dicat, quem magno pascet pretio, et locabit insuper.

E cod. Alexandr.

V. 33. *Paganus.*] Dicitur villanus ab eo quod est *pagus*, id est, villa. Venit vere *pagus* ab eo quod est *pige*, id est, fons, quia villani fontibus potantur.

E commentario Guarini.

V. 60. *Et torquibus.*] Et insignibus habitis ex aliqua re ab eis bene gesta, ut sunt torques et coronæ civiles, vel murales et cætera hujusmodi, quæ ad gloriam faciunt, ad quam nos perducat, qui vivit in sæcula, non tamen ad talem, sed ad æternam. Τελος.

III.

ANGELUS SABINUS.

Aliter *M. Antonius Coccius Sabellicus* (quod nomen ei præceptor ejus imposuerat more solemni, his temporibus usitato.) Is scripsit *paradoxa* in Juvenalis satiras impressa Romæ, 1474, in-folio. Non carent isti commentarii subtilitate et argutiis; sed in iis frustra judicium et elegantiam quæres. Ille igitur parvi admodum pretii ad auctoris intelligentiam nobis visus est.

IV.

DOMITIUS CALDERINUS VERONENSIS.

Hujus nomen erat *Dominicus de Caldariis* a *Caldera*, vico prope Veronam sito, ubi natus creditur. Tantam olim ingenii

doctrinæque famam ille consecutus erat; ut, cùm nondum XXIV annos natus esset, a Paulo II Romam vocatus, artium liberalium docendarum causa, et a Sixto IV ad dignitatem secretarii Apostolici evectus fuerit. Scripsit commentarios in Juvenalem, Silium, Statii Sylvas, Martialem, Ovidii Ibin, Suetonium; Sappho, Propertium et Ciceronis epistolas ad Atticum. Plura vero moliebatur, cùm morte immaturâ e vivis excessit, anno ætatis suæ XXX, post Christ. 1477. Festinatio et multa scribendi cupido studiis ejus offecit; et prius mortuus est, quàm ejus ingenium ad maturitatem justam pervenisset. Præterea æmulatio in adversarios judicio suo aliquantulum nocuit; inde non male de eo Coccius supra citatus judicavit, dicens: *non me fugit, omnino esse aliqua in ejus scriptis, quæ præcipitata potius videri possint, quàm edita: sed simultas et æmulatio, duo acres stimuli, illum ad eorum, quæ scribebantur, immaturam compulerunt editionem.* Attamen, primus cum laude in Juvenalem commentatus est: pervetustos, et quidem, ut videtur ex ejus commentario, optimos codices habuit. Sed permulta ex scholiis antiquis decerpsit, quæ ad usum commentarii sui ingeniose satis vertit. Alia sunt quoque, quæ eruditissimum virum, ritus veteres, Græcas Latinasque litteras edoctum sapiunt: unde dignus majoribus nostris visus est, cujus sæpe sæpius opera prelo mandata fuerint: uno verbo, vel hodie, hujus commentarii consulendi sunt; et sin omnino Alex. Ruperti injusta est in eum censura; at saltem præpropera nimis et immoderata. Prima edit. Juvenalis cum comment. Calderini est Veneta, 1475, in fol.

V.

GEORGIUS MERULA.

Aliter *Ge. Merlani*, natus in oppido Ducatûs Mediolanensis, quod hodie vocatur *Alessandria della Paglia*, XL annos in juventute docenda consumpsit Venetiis et Mediolani, ubi LXX annis major mortuus est, anno Christi 1494. Magnus fuit ætatis suæ philologus. Hujus opera sunt. 1° *Commentarius Merulæ, seu enarrationes satyrarum Juvenalis per Georg. Merulam Alexandrinum.* 2° *Ge. Merulæ Alexandrini libellus adversus Domitii*

comment. in Martialem. 3° *Ge. Merulæ Alex. adnotationes in orationem M. Tullii Ciceronis ad Lentulum de vi et ordine suffragiorum in centuriatis et curiatis comitiis, etc.* Exstant quoque ejusdem Commentarii in Statium, Martialem, Plautum, Ciceronem, Virgilium, Plinium, Quintilianum, Ausonium, et auctores de Re Rustica, Philologicorum libri X, Antiquitates vice-comitum Mediol., etc. Quid de ejus commentario in Juvenalem sentiam, nihil nunc dicam : nam is in manus meas non venit; sed ita de eo judicat Al. Ruperti : « Hujus com-« mentarius in Juvenalem non magni est pretii, ejusque inter-« pretatio sæpe vel nimis arguta, vel inepta et contorta. Meliora « passim in suum commentarium transtulit Britannicus, ne lau-« dato quidem fonte, ex quo hausit. Multorum autem errorum « Merulam arguit jam Politianus epist. XI, 10. » Non male, dummodo ista censura melioribus argumentis quàm præcedens firmata sit. Absque textu impressus est commentarius Merulæ in Juvenalem, Tarvisii per Barthol. de Confoloneris, f°, 1478, et cum textu, *Pinarolii*, 1479, f°.

VI.

GEORGIUS VALLA.

Placentiæ natus, medicus et professor ling. Græcæ et Latinæ Venetiis, idemque clarissimus, præter alia, comment. in Juvenalem edidit, quem *Joanni Tucci Pannonico* inscripsit. Usus est antiquo cod. ms. qui et Probi, ut putabat, grammatici interpretamenta continebat. Hæ autem notæ Probi usque ad satiram VIII Vallam ducunt; nec aliæ sunt, nisi illæ quas Pithoeus in cod. Budensi reperit. Vide sup. Multa præterea superioribus sublegit interpretibus, et plurimum etymologiis indulsit, sed pauca de se attulit. Non ideo tamen spernendus est iste interpres : nam textum subinde puriorem reddidit. Prima hujus editio est Veneta, 1486.

VII.

ANTONIUS MANCINELLUS.

Natus Velitris an. 1452, ab anno ætatis suæ XXI, in pluribus Italiæ opidis grammaticam liberalesque artes docuit, et magni

philologi scriptis suis laudem assecutus est. De commentario ejus in Juvenalem illud Henninius tulit judicium : « Nihil non « magnificum pollicetur *Mancinellus;* verum ut, quod res est, « dicam, intra fabularum prolixam enarrationem, si quando « Juvenalis eas attingit, et paraphrases fere subsistit, et rarius « in interiora et recondita se penetrat. Verum ista tempori con- « donemus. » Quædam tamen bona reperiuntur in hoc comment. quibus recentiores usi sunt. Prima Juvenalis editio cum commentario Mancinelli prodiit Venetiis, anno 1492.

VIII.

JODOCUS BADIUS ASCENSIUS.

Natus anno Dom. 1462, in vico prope Bruxellas sito, qui dicitur *Assen*, unde nomen *Ascensii* sumpsit, mortuus est anno 1535. Professor primum fuit Lugduni, deinde Parisiis celeberrimus typographus, socerque magni nominis typographorum Mich. Vascosani, Rob. Stephani et Jo. de Revigny, multos auctores prelo excudit et commentariis illustravit. At commentarii ejus non in magna versantur commendatione apud eruditos. Henninius ita : « In suis commentariis infimum trivii « pulverem et exspirantem barbariem olet: verum, quia subinde « lectionis varietatem, et, quamvis rarissime, forte fortuna, « mentem Juvenalis quandoque deprehendit, excerpendi tæ- « dium devoravi. » Ascensii commentarius primum in lucem prodiit anno 1498.

IX.

JOANNES BRITANNICUS.

Aliter *Jo. Angelus Britannicus*, ita cognominatus a majoribus ex Britannia oriundis, natus in vico *Palazzuolo* prope *Brixiam* sito, ubi liberales artes publice docuit, obiit anno 1510. Vir fuit ætatis suæ doctissimus, scripsit commentarios in Horatium, Juvenalem, Persium, Terentium et Ovidii Metamorphoses. Nullus sane et ante, et fortasse post eum interpretis munere melius atque doctius functus est. Thesaurus certe est commentarius ejus, in quo non modo loca obscuriora illustrantur, mens

poëtæ passim, vis poëtica, venustas, facetiæ ac sales ob oculos lectoris mira elegantia dictionis ponuntur; verum etiam notæ doctæ, grammaticæ, historicæ, geographicæ, mythologicæ reperiuntur: et in arte interpretandi superior est Grangæo ipsi, quamvis varia et exquisita doctrina inferior. Sæpe sæpius commentarius ejus recusus est; et multi, immo, omnes fere interpretes ejus notas in suis commentariis incluserunt, alii laudato fonte ex quo hauserant, alii suppresso viri docti nomine. Quanquam autem doctrina ejus et interpretatio copiosa nimis, arguta, subtilis et supervacua sit aliquando; nihilominus, doctorum judicio, princeps est omnium qui ad illustrandum Juvenalem accessere. Primum in lucem exiit commentarius Jo. Britannici anno 1499.

X.

COELIUS SECUNDUS CURIO.

Is theologus atque philologus olim clarissimus, natus est in agro Taurinorum, anno 1503. Primum juventutem publice docuit Mediolani, Ticini, Venetiis, Ferrariæ et Luccæ; deinde vero, postquam doctrina Zwinglii Lutherique imbutus a catholica descivisset fide, multisque ob hanc causam obnoxius malis esset, in Helvetiam migravit, ubi Lausanæ rector collegii et Basileæ, in quo oppido ab anno 1547 ad 1569 vixit, ibi primum magister liberalium artium, dein eloquentiæ professor fuit. Adnotatiunculas in margine adjecit editionibus Colinæi, Paris. 1528, Cracoviæ 1529, Basileæ 1531, Gryphiorum, etc.; et, anno 1551, editioni Basileensi Froben. cum commentario Jo. Britannici scholia pauca quidem addidit, et brevia, sed passim bona atque utilia, quæ tamen Britannico magis quàm ipsi profuerunt. Scholia hæc in fronte ejus libri se jactant *nova, quibus tum præterita ab aliis explicantur, tùm male intellecta corriguntur, tum etiam Græca, quibus Britannicus in Juvenalis comment. usus est, Latinorumque auctorum loca, quæ omnia miris modis corrupta fuerant, restituuntur.* Exinde liquet, Curionem emendatorem fuisse potius quàm interpretem. At, optime isto munere functus est. Prima editio scholiorum ipsius est Basileæ apud Froben, 1551.

XI.

THEODORUS PULMANNUS.

Pulmannus (*Poelmann*) a pannificio, quod primum exercuerat ad philologiam transiit. In multos auctores classicos notas scripsit, non quidem ex ingenio ipsius profectas, sed ex aliorum scriptis excerptas; et, ne extra Juvenalem egrediamur, multa debuit Turnebo et Hadriano Junio medico et philologico Batavo cujus notas integras in editione Plantiniana, anno 1565, inseruisse non sine probabili ratione conjiciunt critici. Præterea, quatuor codd. MSS. usus est, quorum primus *Noviomagensis* designatur in notis littera N, secundus ipsius *Pulmanni* littera P, tertius *Miggrodii* littera M, quartus *Junii* littera I. Existimatione aliqua fruuntur notæ Pulmanni seu Junii, ut voles; paucæ sunt quidem, sed doctæ et exquisitæ: præterea, recensio primæ et secundæ editionum Plantinianarum a Pulmanno facta optimæ est notæ. Is igitur dignus mihi videtur, qui a viris doctis pervolvatur atque consulatur. Præcipuæ hujus editiones sunt Plantinianæ ann. 1565, 1566, 1585.

XII.

FEDERICUS CERUTUS VERONENSIS.

Unum ex ejus codd. MSS. habemus (Mazarineum II, n° 8281); sed paraphrastica interpretatio ejus non in manus nostras incidit: ideoque, a judicio ferendo abstinebimus. Ita Al. Ruperti, T. I, Proleg. p. ccxi: « Hæc editio (scil. Fed. « Ceruti) nullum habet usum criticum, neque interpretatio « poëtæ valde juvatur paraphrasi, quæ tamen Augustæ Vindel. « 1599, 1600 et 1603 repetita est. Tali quoque paraphrasi Ce- « rutus Virgilium et Horatium illustrare est conatus. *Eam ultra « verbalem constructionem raro assurgere*, jam monuit Hen- « ninius. »

XIII.

EILHARDUS LUBINUS.

Lubinus in Rostochiepsi Academia professus est humaniores

litteras, et non sine laude aliqua et commendatione ad Juvenalem accessit. Primo textum recensuit, ex duobus codd. MSS. vetustissimis, sed raro notavit varietatem lectionis, et modo hanc, modo illam recensionem secutus est superiorem, præsertim Stephani, Gryphii et Pulmanni. Commentarius ejus, quamvis in eo brevitas, et in verbis parcimonia desiderentur, utilis admodum aliquando mihi videtur. Passim enim poëtæ mentem non male, ingeniose etiam exponit. Eleganter παραφράζει, loca obscuriora multa illustrat, sales et historias interdum suis interpretationibus immiscens; unde jam pridem philosophus vere dictus est, et recte quidam critici judicaverunt eum philosophica ratione poëtam intuitum lectoribus quantum valeret primum ostendisse. Neque tamen inficior eumdem verbosum esse et obscuriora loca identidem præterire, clara et perspicua alienis interpretationibus offuscare. At, id raro evenit; et quis, inter eos qui in poëtas commentati sunt, hac in re aliquoties, immo, multoties non peccavit? Unde injusta nimis mihi videtur Henninii et Alex. Ruperti objurgatio. Per eos non stat, quin Lubinus ut stultus et indoctus e bibliothecis ejiciatur; sed frustra: nam multorum decimi septimi sæculi criticorum de eo judicium sententiam recentiorum compensare valet. Prima hujus editio est anni 1603.

XIV.

BERNARDUS AUTUMNUS.

« Nitiobrix in senatu Burdigalensi patronus, inquit Henni-
« nius, summa cum pompa promittit *commentationes*, *obser-*
« *vationes*, *paralipomena* in has satiras a se ex MSS. (si Diis
« placet) restitutas, omnesque ante eum interpretes nominatim
« mox ab initio jactat castigatos: verum, sine invidia verum
« mihi liceat dicere, si singuli sua repetitum venirent, nudus
« remaneret procul dubio ineptissimus rhapsodus, ut Barth.
« Advers. XXVII, 17, aliisque non sine ingenti merito suo
« dicitur. »

Claverius periphrases ænigmaticas scripsit adjunctas commentario Autumni; sed eæ paucæ sunt, et parum ad poëtæ interpretationem proficiunt. Vid. elenchum editt. anno 1607.

XV.

JOSEPHUS LANGIUS.

Jos. Langius Cæsaremontanus rhetorices et Græcarum litt. professor in Academia Friburgensi indicem absolutissimum vocabulorum confecit, quo Henninius usus est, anno 1608.

XVI.

THOMAS FARNABIUS.

Natione *Anglus*, breves annotationes dedit, quæ, quamvis maxima ex parte ex aliis interpretibus selectæ sint, tamen, propter simplicitatem et utilitatem, juventuti, in gratiam cujus eæ concinnatæ fuerunt, aliquantulum prodesse possunt. In textu vero emendationem accuratam frustra quæres. Plurimas habuit editiones iste interpres, quæ omnes typographia et forma peccant. Primum impressus est comment. Farnabii, Londini 1612.

XVII.

ISAACUS GRANGAEUS.

Is Gymnasiarcha Vindocinensis de nostro poëta bene meruit. Synopses singulis satiris præfixit; et in interpretatione auctoris magna cum cura versatus est; atque, ut vera dicam, magnam laudem in hoc genere laboris assecutus est. Commentarius ejus est omnium longe doctissimus; quod non mirum est: quippe, vagatus per omne genus auctorum Alexandros Neapol., Beroaldos, Brodæos, Canteros, Douzas, Egnatios, Erasmos, Flavios, Floridos, Gyraldos, Junios, Leopardos, Lipsios, Magios, Muretos, Parrhasios, Politianos, Turnebos, Victorios, etc. non solum abstrusiora iis juvantibus Juvenalis loca plerumque feliciter interpretatur; sed etiam arte summa fere semper mentem poëtæ capit comparatione aliorum scriptorum veterum, quorum hinc atque illinc loca æquipollentia refert, et omnium ob oculos ponit; ut ea conferendo cum textu auctoris, sine tædio, et aliquando cum voluptate, quid in satiris difficilius sit ipse sibi lector explicet, quid probandum, quidve damnandum ipse

sibi fingat. Non primus quidem, nec solus hac arte usus est; sed citationes sæpe sparsit ad prodigentiam usque : quod, non diffiteor, vitium est, condonandum tamen in homine eruditissimo, qui, in quibusque auctoris verbis, aliquid semper cum aliis conferendum videt, aut vidisse putat. Prima Grangæi commentarii editio est anni 1614.

XVIII.

NICOLAUS RIGALTIUS.

Is editionem Juvenalis nitidissimam dedit et accuratissimam, quæ prodiit ex officina Rob. Stephani III, anno 1616, ad calcem cujus sunt notæ, paucæ quidem, sed optimæ et eruditionem consummatam sapientes. Has excipiunt notæ aliæ *repetitæ lectionis*, pauciores et breviores, quæ Prisciani, Servii, Acronis et similium ex Juvenale citationes, nec non aliquot MSS. codd. variantes lectiones repræsentent. Consulenda igitur imprimis editio Rigaltii, et propter textum emendatissimum, et aliquando propter notas.

XIX.

CORNELIUS SCHREVELIUS.

Batavi typographi sæculo XVII scriptores fere omnes Latinos et Græcorum nonnullos excudendos curaverunt; atque, quo fructuosior esset eorum labor, notas ex veteribus commentariis desumptas larga manu congesserunt; sed plerumque sine delectu et judicio : sæpe ubi iis opus non erat, omissis interdum difficilioribus locis : inde, quod plurimum interpretationi nocet, idem locus bis terve explicatus, varios sensus et quandoque inter se pugnantes exhibet; nec sui judicant esse editores istas adeo diversas opiniones ita exponere, ut lector quid sit eligendum aut rejiciendum perspicere possit : quo fit, ut mens huc et illuc veluti contrariis versata ventis vagetur incerta, quo tempestas eam ferat, atque appellere cogat. In contextu autem emendando haud multo feliciores fuere; sed recensiones præcedentes insecuti, admissis aliquot conjectaneis virorum doctorum, varietatem lectionis vix quinque sexve locis adnotant,

his verbis, *alii legunt.* Eæ sunt editiones, quæ in bibliothecis vocantur *variorum*, quarum numerus est ingens, et fama major quàm par est apud multos. Quidquid autem dixi de editionibus *variorum*, etsi omnibus non convenit, præsertim tamen tribuendum est iis quæ a Schrevelio sunt datæ. Schrevelius certe Gymnasii Lugd. Bat. rector vir doctus fuit, atque in suis editionibus maximam adhibuit curam, ut mendis expertes illæ sint; sed is editor magis fuit quàm interpres : quippe nihil ex se dedit. Commentarius ejus in Juvenalem habet *veterem scholiastem* integrum, Lubinum, Britannicum, Grangæum, Turnebum, Salmasium; sed truncatos ad libitum editoris. In eo præterea laudantur Alciat. Alex. ab Alex. Brissonius, Brodæus, Budæus, Canterus, Meursius, Lipsius, Politianus, Scaliger, etc. in constituendo textu secutus est recensionem Rigaltii in edit. Stephani III. Ex his supra dictis, videre licet quantum sibi concesserit Schrevelius, et quem usum opus ejus lectori præstare possit. Optima editio est anni 1684.

XX.

LUDOVICUS PRATEUS.

Eodem sæculo XVII, jussu Christianissimi Regis Ludovici Magni, collectio classicorum auctorum ad usum Serenissimi Delphini excusa est, cum interpretationibus ac notis : quæ collectio LXIV vol. complectitur; et cura interpretationis doctissimis atque eruditissimis viris demandata fuit, inter quos Lud. Prateus, rhetoricæ professor emeritus, qui ad Juvenalem et Persium illustrandos accessit. Hujus interpretatio facilis, elegans et minime paraphrastica videtur. Notæ ejusdem ex aliorum commentariis excerptæ satis bene summam cujusque satiræ, nexum sententiarum, loca obscuriora, verba et res explicant; quamvis multa sint vel vulgaria, vel falsa et aliena; quæ tamen objectatio omnibus communis interpretibus, non impedit, quin Prateus inter optimos philologos, et quidem auctores collectionis supra memoratæ, sit adnumerandus. Omnis ejus cura in textu commentando versata est, nec aliam recensionem adhibuit, quàm illam Pithoei et Rigaltii, revocatis aliquot lec-

tionibus, quas illi respuerant. Præterea, nimio castitatis studio, multos versus resecuit, quos deinde ad calcem operis in unum locum congestos rejecit: at hujus expurgationis nota non incutienda est, cùm id ei, ut cæteris classicorum auctorum *ad usum Delphini* interpretibus, optima de causa, imperatum fuit. Editio hujus commentarii est anni 1684.

XXI.

HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS.

Is Historiarum et eloquentiæ in Acad. Duisburg. professor obiit an. 1706. Celebratissimam et vasti operis editionem Juvenalis dédit primum an. 1685, deinde ejusdem poëtæ et Persii, an. 1695. « Cujus, inquit Al. Rup. si externam speciem consi- « deres, nitidissima est, si internam indolem, et hîc cognosces, « non omne quod niteat aurum esse. Vere eam dixeris indi- « gestam vanæ speciosæque doctrinæ farraginem rudemque « rerum inutilium molem, de qua nihil aptius dici potest, quàm « quæ leguntur in Biblioth. anc. et mod. par J. Le Clerc, T. IX, « p. 113. *Feu M. Hennin, qui a fait un abrégé de ce que les « interpretes ont dit, n'a fait que ramasser un fatras de baga- « telles, dont il est méme diffieile de se servir, parce qu'il les « a mises à part, à la fin du poëte, sous le texte duquel il s'est « contenté de mettre l'ancien scholiaste et le commentaire d'Isaac « Desgranges. Il n'y a pas assez de notes pour entendre le p[illegible]e, « et il y en a beaucoup trop pour les lire. Quand on trouve un « passage obscur, et qu'on se donne la peine de chercher ce « qu'en ont dit tant d'interpretes, on a le chagrin de ne trouver « rien qui satisfasse, ou qui soit appuyé par de bonnes preuves.* »

Joannis Le Clerc et Al. Ruperti censura si non extra omnem veritatem, at saltem ultra fines veritatis, et observantiæ quam studioso, itemque erudito debemus viro, protensa mihi videtur. Neque tamen inficiar et formam voluminis parum commodam esse, et ordinem in hac collectione meliorem servari potuisse, usum operis esse laboriosum, recensionem et correctionem aliquando parum accuratas esse, præsertim in prima edit. an. 1585. At, cum Alexandro Rup. et Joanne Le Clerc injustum

est innuere Henninii laborem esse nullum. Id ipse lector intelliget, cùm tabulam Henninii editioni præfixam retulero: quæ enim in ea promittit, omnia persolvit:

1° *Prolegomena*, quorum sectio I. habet Vitam Juvenalis a Suetonio scriptam, cum notis Petri Pithoei et Henr. Chr. Henninii. II. Testimonia Veterum et judicia doctorum de Juvenale. III. Nicolai Rigaltii dissertationem de satira Juvenalis. IV. indicem codd. mss. Juvenalis; editionum tam vulgatarum, quam promissarum; versionum, nec non variantium in hisce satiris lectionum. 2° *Juvenalis Satiræ XVI*, cum scholiis veterum, et Isaaci Grangæi commentariis, cujus et synopses singulis satiris præmittuntur. 3° *Joannis Britannici* Brixiani commentarii, in quibus præter immixta Coelii Secundi Curionis scholia, etiam reperiuntur meliora ex Georgii Merulæ enarrationibus excerpta. 4° *Theodori Pulmanni* annotationes. 5° *Petri Pithoei* ICti variæ lectiones. 6° *Nicolai Rigaltii* notæ. 7° *Domitii Calderini* Veronensis, secretarii apostolici commentaria, ab Henr. Chr. Henninio recognita, in quibus non solum multæ veterum mss. glossæ, sed sine indicio, comparent; verum etiam meliora ex Angeli Sabini Turrensis quæstionibus super Juvenale. 8° *Notæ selectæ* ex Georgii Vallæ Placentini, Antonii Mancinelli Veliterni, Jodoci Badii Ascensii commentariis; Hadriani Junii scholiis; Eilhardi Lubini, Bernardi Autumni Nitiobrigis commentationibus; et denique Thomæ Farnabii annotationibus, seligente et concinnante Henr. Chr. Henninio. 9° *Sylloge notarum variarum* Isaaci Vossii, Octavii Ferrarii, Claudii Salmasii, Joannis Georgii Grævii, nec non Casp. Barthii, Sam. Bocharti, Steph. Claverii, Lud. Dorleans, Jos. Ant. Gonsalii de Salas, Joh. Fred. Gronovii, Nicolai Heinsii, Jac. Ouzelii, Phil. Rubenii, Jan. Rutgersii, Jos. Scaligeri, Gasp. Scioppii, Ez. Spanhemii, Joh. Cer. Vossii, aliorumque quamplurimorum celeberrimæ eruditionis virorum excerpsit et digessit Henr. Chr. Henninius. 10° *Theodori Janssonii ab Almeloveen* animadversa. 11° *Henrici Christiani Henninii* spicilegia. 12° *Peplum notarum ad scholia veterum* contextum ex notis partim variorum Oct. Ferrarii, Jo. G. Grævii, nec non Casp. Barthii, Sam. Barthii, Lud. Dorleans, Thom. Munckeri, Phil. Rubenii, Ger. J. Vossii

aliorumque VV. CLL., partim integris Petri Pithoei, Jani Rutgersii emendationibus, Theodori Janssonii ab Almeloveen animadversis, et Henrici Christiani Henninii spicilegiis, qui etiam omnia digessit et ad hanc editionem concinnavit. 13° *Index* absolutissimus omnium vocabulorum, quæ in D. Junii Juvenalis satiris XVI reperiuntur, quanta potuit fide recensitus, et ad hanc editionem accommodatus.

Ipse ego hac editione potissimum usus plurimum Henninio me debere fateor, et difficillime ad meæ editionis usum collegissem tot interpretes: atque etiamsi Henninio superesset unica laus editoris, satis ea magna foret, vel propter parcimoniam pecuniæ et temporis, vel propter celebritatem et meritum interpretum in eodem libro contentorum; cujus commodi meminisse debuissent censores supra memorati. Eadem vero quæ editionibus cum notis *variorum* objiciuntur, scil. explicationes ejusdem loci bis terve repetitæ, sæpe sæpius falsæ, dubiæ, inter se pugnantes, ac lectorem fluctuantem deserentes, ipsi Henninio communia sunt: unde editiones *variorum* viris jam eruditis et criticæ artis peritis perutiles, parum juventuti prosunt, in cujus animo nihil, aut parum est dubii in explicatione relinquendum. Henninius tamen Schrevelio præstat, quòd in optimos interpretes falcem impiam non immisit, eosque fere omnes integros obtulit. Paucis tantum mutatis verbis, in textu, Schrevelii recensionem secutus est.

XXII.

HADRIANUS ET CAROLUS VALESIUS.

De iis ipse, Lector, judicium nunc ferre potes.

XXIII.

JOSEPHUS JUVENCIUS.

Juvencius in præfatione sua his verbis nos certiores reddidit de consilio suo: « Qui commentarios et notas in Juvenalem « ediderunt, alii, quia breviores, ideo obscuri; alii, quia pro- « lixiores, obtundunt potius quàm juvant; alii denique fœdos

« quosdam locos illustrare contendunt, quos obscurare ac pre-« mere debuerant. Hæc tria fugere diligenter studuimus. » Ex his apparet, qui sit labor ejus in Juvenalem. Primo interpretationem perpetuam non minus utilem quàm illam Pratei, sed elegantiorem dedit. Secundo, notæ ejus ad mythologiam, historiam et ritus veteres spectant potius, quàm ad criticam artem : postremo, loca obscœna dempsit, non ut Prateus vacuas linquens lineas et astericis distinctas; sed cæteris annexas et perpetuum ordinem servantes. Multoties recusus est Juvenalis Juvencii, et, reipsa, solus est ad hunc diem, qui tironibus nostris convenire possit.

XXIV.

THOMAS MARSHALL.

Quo modo in Juvenale edendo versatus sit Marshall, ipse nos docet in fine dissertationis suæ, his verbis : « Textum hîc cas-« tigatissimum tibi exhibemus ; utpote cum correctissimis « Schrevelii, Lubini, et aliorum editionibus collatum, et ad « fidem optimorum exemplarium diligentissime revocatum. « loca plurima corrupta, quantum potui, emendavi, obscura « illustravi, et diminuta supplevi. Argumenta etiam nova sin-« gulis satiris præfixi, quæ in plerisque editionibus deside-« rantur, et in nullis integre, ut decet, exhibentur. Quod ad « notas attinet, licet maximam earum partem contexui, non « omnes tamen tibi pro meis vendito : multum Grangæo, mul-« tum Britannico, plurimum etiam Lubino me debere profiteor. » A judicio ferendo abstineo; quippe qui interpres in meas manus non incidit.

XXV.

GEORGIUS ALEXANDER RUPERTI.

Gymnasii Stadensis Rector, nuperrime (an. 1801), præstantissimam, et longe omnium eruditissimam satirarum Juvenalis editionem dedit, quâ plurimum usus sum, cuique multa me debere non diffiteor. Gratiæ igitur ingentes eruditissimo viro mihi primum agendæ sunt, et propter bona quæ ex ejus commentario hausi, et propter citationes innumeras locorum, rerum

memorabilium, auctorum classicorum, eruditorumque fere omnium, in totius operis illius curriculo inspersas, quæ mihi maximo fuerunt adjumento. Quæ de eo jam dixi initio præfationis meæ (T. I, p. v.) non repetam. Id solum superaddam: vellem Alex. Ruperti meliorem fructum ex suis codicibus percepisse; non adeo serviliter vet. schol. textum secutum esse, et multo plures antiquas lectiones venustiores revocavisse, quas tantum leviter indicat: vellem, præterea, locorum quorumdam obscuriorum explicationes ab eo datas minus prolixas, dubias minus, et paulo audaciores esse. Sed hæc ingenti merito et modestiæ viri condonemus, et fateamur eum imprimis a criticis et eruditis omnibus, si non a juvenibus, perpetuo legendum et considerandum. Operis autem ejus hæc est distributio: primum volumen complectitur prolegomena, scilicet: 1° Præfationem; 2° Vitam Juvenalis Suetonio attributam cum commentario Salmasii et Dodwelli; item, Vitam Juvenalis per annos digestam ab Al. Ruperti; 3° De satira Romanorum, et de satirographis Romanis, et de satira Lucilii, Horatii, Persii et Juvenalis, tractatus tres; 4° Indicem codd. MSS. ab editore collatorum; 5° Indicem editionum: post prolegomena, XVI Satiras Juvenalis in quinque libros dispertitas, infra quas, leguntur, duobus columnis, charactere nonæ formæ, variæ lectiones copiosissimæ; post satiras, excursus ad loca difficiliora Juvenalis; demum indicem rerum et verborum abundantissimum. Primum hoc volumen habet CMXXV paginas. In secundo autem DCCCIV paginis constante, exstat commentarius solus eodem charactere, quo variæ lectiones voluminis primi.

Præter eos commentariorum scriptores, alii ad auctorem nostrum illustrandum accessere; sed in bibliothecis latet eorum labor. Inter eos præcipue laudantur: 1° *Gaspar Barthius*, 2° *Isaacus Casaubonus*, qui in Juvenalem commentatus est, ut in Persium, 3° *Eberhardus Elmenhorstius*, 4° *Octavius Ferrarius*, 5° *Thomas Gale*, 6° *Pearsonius*, 7° *Bourdelotius*, 8° *Jac. Thomasius*, 9° *D. Christianus Reitzer*, 10° *Jo. Gottl. Sam. Schwabe*, 11° *Cramer*, et forsan alii permulti quorum nomina nos fugerunt.

Novam nunc, inquit Alexander Ruperti, Juvenalis editionem, quæ propediem in collectione poëtarum latinorum, in usum scholarum junctis virorum studiis sumptibusque Goeschianis Lipsiæ edendorum, prodibit, meditatur *Cl. Gurlitt*, professor et director scholæ Bergensis, cujus operam haud dubie præclaram cupide exspectamus.

Hi sunt commentariorum in Juvenalem scriptores, qui mihi ad hunc diem innotuerunt. Omnes, duobus tribusve exceptis, in consilium meum adhibui. Horum explicationes recepi, si quando mihi sinceræ visæ sunt; rejeci et confutavi, si quando eas a mente poëtæ alienas judicavi. De iis omnibus sententiam meam libere aperui, servata tamen observantia, quam viris doctis, qui nos erudierunt, debemus. Quid de meo labore sentiendum sit ac dicendum, id totum lectoribus permitto.

DIVISIO ET ARGUMENTA

SATIRARUM JUVENALIS.

Juvenalis Satiræ sexdecim in multis codicibus, tam scriptis quàm editis, distribuuntur in quinque libros, quorum primus quinque priores, secundus sextam, tertius VII, VIII et IX, quartus X, XI et XII, quintus tres ultimas complectitur. Hi libri laudantur jam a Prisciano, et a vet. schol. ad sat. III, 240. Hanc divisionem non retinuimus; quia parum apta est (nam libri plerique non nisi tres satiras, et secundus unam tantum continet): et ab ipso poëta eam profectam esse vix crediderimus. Finge tamen satiras omnes in quinque libros ab auctore nostro dispertitas fuisse, id ad ordinem recitationum publicarum tunc temporis servatum spectaret; quod quidem nobis minimi est momenti. Ordinem igitur perpetuum servavimus, absque ulla mentione librorum.

Præter titulos et argumenta, quæ ex codicibus desumpta cuique satiræ præfiximus, alia permulta in codicibus et scriptis et editis libris varia ratione, et vel prosa, vel versa oratione expressa leguntur; quæque omnia hoc loco enumerare inutile est. Ea tamen memoriæ juvandæ causa a Mancinello concinnata addemus.

Argumenta Satirarum ab Anton. Mancinello concinnata.

Prima docet Satiræ causas formamque libelli.
Qui simulant Curios, Satira patuere Secunda.
Ex Vrbe Vmbritii digressum Tertia narrat.
Quarta quidem Crispinum odit calvumque Neronem.
Ganeo quæ tolerat parasitus, Quinta notavit.
Sexta hæc infidas mulieres pandit abunde.
Septima demonstrat Romam nil ferre poëtis.
Nobilis Octava propria virtute vocatur.
Turpia qui tolerant, Nona carpuntur avari.
Curæ hominum Decima rerumque libido notantur.

Arguit Vndecima vates convivia lauta.
Bissena arguitur Satira captator avarus.
Tertia post decimam solatur damna dolentes.
In Decima quarta dant prava exempla parentes.
Numina diversa Aegypti Penultima monstrat.
Ultima militiæ felicis præmia narrat.

Satiræ Juvenalis memoriæ causa tribus versibus conclusæ a Rudolpho Gittins:

1. Vates. 2. Hypocrites. 3. Roma urbs. 4. Rhombus. 5. Parasitus.
6. Nupta. 7. Ars sordet. 8. Nobilitas vera. 9. Impia. 10. Vota.
11. Cœna. 12. Redux. 13. Deposita. 14. Parens. 15. Aegyptia. 16. Miles.

HADRIANI VALESII

CONSILIARII ET HISTORIOGRAPHI

REGII

IN D. JUN. JUVENALIS SATIRAS

NOTAE

LABORE ET STUDIO CAROLI VALESII
HADRIANI FILII

IN SENATU PARISIENSI CAUSARUM PATRONI

QUI SUAS ETIAM IN JUVENALEM NOTAS ADJECIT.

LUTECIAE PARISIORUM

AN. DOM. M. DC. XCIX.

EDITOR AD LECTOREM.

HADRIANUS VALESIUS (*Seigneur de la Mare*), cujus nunc primum notas antea ineditas in Juvenalem typis mandamus, frater erat Henrici Valesii. Ambo celebres XVII sæculi fuere critici, e nobili gente Normaniæ inferioris oriundi; ambo quoque Consiliarii et Historiographi Regii. Hadrianus multa et præclara in arte historica dedit, inter quæ notantur præcipue : *Hadriani Valesii Rerum Francicarum usque ad Childerici destitutionem, Paris. sumptibus Sebastiani Cramoisy*, 3 *vol. in fol.* 1646, *et* 1658 : item, *Disceptatio de Basilicis, quas primi Francorum reges condiderunt, Paris. ex officina Cramoisiana*, 1658, *in* 8°; *Notitia Galliarum ordine litterarum digesta, Paris. Leonard.* 1675, *in fol. Ammiani Marcellini rerum gestarum librorum qui supersunt editio posterior* (Primam frater ejus Henricus curaverat); et alia opuscula tum critica, tum poëtica. Hujus filio Carolo Valesio doctrina et peritia non impares contigere, sed fama minor. Nihil enim aliud typis mandavit, nisi librum cui titulus, *Le Valésiana, ou Recueil de pensées critiques, historiques et morales de M. de Valois son pere, Paris, Florentin et Pierre Delaulne*, 1695, in 8°, et aliquot dissertationes eruditissimas in primis tomis Academiæ Regiæ Inscriptionum, cujus sodalis erat, insertas et relatas. Is fuit, qui notas patris sui in Juvenalem collegit suâque manu scripsit, quibus et suas multis in locis addidit, atque in ordinem digessit, eâ mente, sine dubio, ut in lucem a se recensitus Juvenalis cum istis notis proderetur; at id aliter evenit; namque codex MS. ejus ad hunc diem

in bibliothecis latuit, donec eruditissimus vir *Chardon de la Rochette*, cui, singulari casu, in auctione publica evenerat, nobis eum ad lectoris commodum utilitatemque excudendum concessit.

De Hadriano Valesio, et de notis ejus in Juvenalem, sic loquitur Menagius, epigr. 52 in Silva Varr. Carm.

. . . . . An numeris Tibullianis;
Aut ludis numeris Catullianis?
Iratusne truces vibras iambos,
Invisum qui petant Macrinum?
An sensus Juvenalis eruditos
Scripto detegis eruditiore?
Aut chartis, etc?

Vide quoque de Valesiorum opere testimonium clarissimi viri FONTENELLE, ad calcem notarum fideliter expressum.

Codex noster chartaceus est, formæ majoris, 57 foliis constans, accurate habitus et exaratus charactere nitido, quem nunc vocamus *petite bâtarde*. Eum fideliter expressimus : nihil mutavimus, nisi quòd, cùm tripartitus esset, scil. cùm complecteretur corpus primum notarum et duo addenda satis ampla, notas addendorum, suo quamque ordine, in corpore notarum retulimus, ut series perpetua servaretur, quod certe Carolus fecisset, si suum codicem in lucem emisisset. Ab omni de hoc opere judicio abstinebimus. En istæ diu latentes et promissæ notæ Valesiorum. Ipse, Lector, judica, iis fruere, et vale.

AMPLISSIMO DOCTISSIMOQUE

DOMINO

D. JOHANNI PAULO BIGNONIO,

COMITI CONSISTORIANO,

CAROLUS VALESIUS HADRIANI FIL. S. P. D.

Offero tibi, VIR AMPLISSIME, carissimi dum vixit patris mei notas in Junium Juvenalem. Has ante annos quadraginta composuerat pater, vocatusque ad majora, vix dimidia satirarum parte dilucidata, infectum opus reliquerat. Quin et postea nullis unquam amicorum suorum precibus potuit adduci, ut illud perageret; nimirum exiguitate characterum, quos juvenis raptimque delineaverat, aciem oculorum eludente: quæ sola res ei in causa fuit, ut desperatum opus restaret. Verum, ubi mors invida tanto me patre orbavit, operæ pretium facturum me esse existimavi, si notas illas e tenebris eruerem. Deterrebant me schedæ minutissimis ac fere deletis litteris exaratæ, nullique unquam alii quàm mihi legendæ: vicit tamen discendi cupiditas; quod multum exoptabam, facile duxi; nec mea me spes fefellit. Opus aggressus intra decem menses non certe sine labore aliquo peregi. Ast ubi comperi plurima adhuc ad interpretationem Juvenalis desiderari, quæ non omissurus fuit pater, si ad exitum opus perduxisset, ad enucleanda, quæ supererant in satiris omnibus non pauca, me contuli: quod quidem doctorum virorum judicio haud inconsulte perfeci. Quippe patrem meum quanta potui diligentia imitatus, facilia satirarum loca aut omittenda aut leviter perstringenda esse censui, obscuriora vero atque difficiliora fusius explanavi. Alienus enim semper a communi interpretum vitio fui, qui, dum facillima quæque prolixioribus student commentariis illustrare, difficillima vix delibant, sæpenumero etiam prætermittunt. Unde fit plerumque, ut eorum labor sit incassus, studiosisque lectoribus minime

prodesse queat. Contra hoc unum in animo habuit pater, Juvenalem multis abhinc sæculis deformem misereque mutilum, ac tot eruditorum interpretum scholiis oneratum potius quàm illustratum, suis expurgare mendis, nec non tandem Latinitati redonare.

Idem ego, vestigiis ejus insistens quantum in me fuit, præstiti; nempe, ut omnium, qui ad nos usque pervenerunt, satiricorum luculentissimi scripta, partim manuscriptorum codicum ope, partim conjectaneis, ad pristinam genuinamque restituerentur formam, sensusque verborum purior efficeretur. Calci operis Persii satiras ea de causa adjeci, quòd Juvenalis satiris adjungi fere semper consueverunt. Nullas tamen, præter breves Veteris Interpretis, notas in eum poëtam addidi, quippe qui luculento doctissimi viri Isaaci Casauboni commentario plus quàm satis illustratus, nullis jam aliis notis indigeat.

Posteaquam autem meas in Juvenalem notulas absolvi, opusque mox prælo esse submittendum animadverti, prout jampridem ante inceptum mente destinâram, illud, Vir Illustrissime, amplissimo nomini tuo dicare constitui. Cui enim paternas measque lucubrationes melius nuncupare et potui et debui, quàm ei viro, quem docti omnes patronum suum verumque Mæcenatem agnoscunt? Sane ego cùm mille aliis nominibus, ut cæteri litteratorum, tum ea præcipue de causa devinctus tibi peculiariter esse debeo (nisi ingrati notam subire velim), quòd tuo beneficio ante octodecim menses in Regiam Inscriptionum Academiam fuerim cooptatus. Quanquam enim tuæ me doctrinæ dignitatisque respectus aliquantisper timidiorem fecit, tamen notitia innatæ tibi urbanitatis facile confirmavit. Viderunt atavi nostri Bignonios majores tuos Advocatos Generales, Præsides, Comites Consistorianos, in eminenti gradu humanos, aditu faciles, demerendis hominibus semper paratos; viderunt et mirati sunt. Sed quid longinquis exemplis opus est? Annos clarissimos duos Bignoniar Gentis Heroas nostra ætate vidimus (Hieronymvm I dico, præstantissimum avum tuum, et Hieronymvm II illustrissimum tuum parentem), qui ambo patrem meum sui observantissimum amantissimumque redamârunt? Quantâ ambo venerandi senes doc-

trinâ, quantâ comitate præditi fuere! Qui Magistratus! Quàm amantissimi Juris! A doctis, a bonis omnibus quotidie desiderantur, æternumque desiderabuntur. Horum summorum virorum egregias dotes peculiari quodam ac velut hereditario jure ad te transmissas ad unam omnes ita in te coacervâsti, ut propria vereque tua insignia esse videantur. Inter autem tot magna ac pæne innumera in Rempublicam merita, quantam insuper, Vir Doctissime, amplissimus pater tuus sibi gloriam comparavit, quòd dignos se liberos procreârit, præsertimque tanti te filium nominis reliquerit! Quis enim est in hoc Regno, in Republica Litteraria, imo in Europa universa adeo peregrinus et rudis, ut miram tuam eloquentiam, eruditionem [illegible] vix crédibilem cum serena majestate oris et eximia urbanitate conjunctam non nôrit? Præclaram hanc in te virtutem velut gentilem notam agnoscimus, quæ cæteris virtutibus est ornamento. Hæc quotidie litteratos viros in familiaritatem tuam admittit: hæc blandâ quâdam vi uniuscujusque tibi amicitiam gratiamque conciliat: hæc denique ingentia animi tui bona, vigorem ingenii, suavitatem sanctitatemque morum notiora fecit et illustriora, ne quantus esses ignoraremus. Quoties in publicis Regiarum Academiarum, quibus præes, cœtibus te super abstrusissimis scientiis et artibus tantâ facilitate, tantâ facundiâ disserentem audivimus, ut in rebus maxime arduis ludere quodammodo videreris, magistrosque ipsos longe superare? Quoties eruditorum hominum multitudinem cum admiratione et delectatione silentem atque intentam vidimus ex tuo dicentis ore pendentem? Nôrunt hoc omnes et mirantur quotquot hac in civitate regia degunt viri litterati.

Hinc est, cur Lvdovicvs Magnvs egregius semper meritorum æstimator in Sacrum te Consistorium suum accivit, quo mira tua sagacitas ac summa eruditio majori in theatro versarentur. Hinc est quoque, cur consummatâ doctrinâ senilique experientiâ præditum juvenem te admodum novi instar Apollinis universo doctorum hominum cœtui meritissimo jure præsidentem omnes admirantur, amant, venerantur. Verum ne modestiæ tuæ gravior esse incipiam, laudare te desinam invitus, quem tot et tantæ virtutes, sublime ingenium, sincera pietas

satis superque commendant. Et certe tam ampla est tamque multiplex laudum tuarum seges, ut maximorum olim oratorum lucubrationibus sit reservanda. Ego, quod summæ venerationis in te meæ indicium est, silentio meo contentus ero; quippe qui tanto impar operi, rudi admodum sermone laudes tuas deterere pertimescam. Hæc sunt, Vir Illustrissime, quæ novæ huic Juvenalis editioni paucis præfigenda esse existimavi; ut meæ in te observantiæ gratique animi certissimum pignus ac monimentum darem. Nunc a te enixissime peto, ut, pro summa humanitate tua, munusculum hoc, qualecumque est, eo vultu, quo viros omnes studiosos soles, accipias. Quod si ita tibi visum fuerit, bene mecum actum arbitrabor, satisque magnam Academici mei laboris primitiarum mercedem mihi videbor consecutus. Vale, Vir Amplissime ac Doctissime, sæculi nostri decus et ornamentum; Deus Opt. Max. te Regni, Reipublicæ Litterariæ, Bonorum omnium bono atque emolumento quàm diutissime servet incolumem. Data Luteciæ Parisiorum, in Musæo nostro, pridie Kalend. Sextiles An. Domini M.DCC.VI.

IN SATIRAS D. JUNII JUVENALIS

CAROLI VALESII DISQUISITIO CRITICA.

PRIMA satira scripta est Trajani principatu, nam in ea meminit Marii Prisci, qui Trajano principe ex Africa repetundarum damnatus est, teste Plinio in epistolis.

> Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur Diis
> Iratis, at tu victrix provincia ploras.

Secunda item post mortem Domitiani, Nervæ vel certe Trajani principatu novo conscripta est: quod sequentes versus testantur:

> Qualis erat tragico nuper pollutus adulter
> Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras
> Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas;
> Cùm tot abortivis fecundam Julia vulvam
> Solveret, et patruo similes effunderet offas.

De tertia nil possum affirmare. In ea Stratoclis et Demetrii comœdorum, qui Domitiani tempore floruerunt, teste Quintiliano, meminit: Veientonis item et Codri, qui eodem principe vixere.

Quartam legenti patet a morte Domitiani esse confectam.

De quinta non potest quisquam quidquam dicere.

Satiram sextam in feminas puto Domitiani principatu editam, tum quòd nullius in ea mentionem fieri video, qui Trajano principe floruerit, tum ob has causas, *sed placet Ursidio lex Julia* de adulteriis et de maritandis ordinibus, a Domitiano Censore revocata, ex Juvenale, Martiale et aliis. Et Ursidium Postumum a nuptiis deterrens ait:

> Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion
> Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusve choraules.

Glaphyrus autem Domitiani principatu in scena floruit, ex Martiale et aliis. Et

> . . . . nec est quare cœnam, et mustacea perdas

Labente officio crudis donanda, nec illud,
Quod prima pro nocte datur, cum lance beata
Dacicus, et scripto radiat *Germanicus* auro.

Nummi scilicet Domitiani, in quibus hi tituli inscripti DACICVS et GERMANICVS. Archigenes medicus ibidem memoratur, quem et Domitiani ita et Trajani temporibus floruisse credo. Ibidem, *sed clamat Pontia feci, confiteor, puerisque meis aconita paravi;* de quo veneficio, velut de recenti adhuc scelere loquitur: nam conjectura Lipsii de motu terræ et diluvio tempore Trajani ducta ex his versibus:

. . . . . quosdam facit: isse Niphaten
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare urbes, subsidere terras;

vacillat et falsa est.

Satira septima Domitiano principe scripta est certissimo,

Et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum,

id est, in Domitiano:

Solus enim tristes hâc tempestate Camœnas
Respexit,

scilicet instituto agone Capitolino et aliis ludis, in quibus decertarent inter cæteros cum oratores, tum poëtæ utriusque linguæ, victoresque et præmia et coronam consequerentur.

. . . . . circumspicit et stimulat vos,
Materiamque sibi ducis indulgentia quærit.

Et Saleius Bassus, de quo loquitur, Vespasiano ac Domitiano principibus florebat; item Statius: sed maxime hi quinque versus hoc probant:

Ille (scilicet Paris histrio, seu pantomimus potius) et militiæ
multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas!
Præfectos *Pelopea* facit, *Philomela* tribunos.

Id est, *Philomelus*, qui tunc etiam floruit, et in scena operas edidit ex Martiale. Hi sunt præsertim versus propter quos a Domitiano in Pentapolim dicitur amandatus Juvenalis. Quod cùm ita sit, dicendum est Juvenalem satiras, ut sub acumen

styli venerant, singulas edidisse, postea Trajani principatu omnes in unum corpus collegisse, et quam hodie primam habemus, conscripsisse, ut cæteris præfigeretur.

Octavam Trajani principatu editam

Cùm tennes nuper Marius discinxerit Afros,

versus probat: Numitor, Pansa, Natta tunc temporis etiam repetundarum damnati videntur.

De nona nil sciri potest. Martialis his in libris epigrammatum, quos Domitiano rerum potiente edidit, Juvenalem facundum vocat, cum eo committi non vult ut impar, quæ omnino nunquam dixisset, si nihildum scripsisset Juvenalis, et in lucem emisisset. Et hæc validissima est ratio, ut et Quintiliani verborum interpretatio; *sunt clari hodieque* (satirici) *et qui olim nominabuntur*. Verum, Lipsius ait, puto vixisse et scripsisse pleraque (non ausim dicere omnia) Trajano principe, imo et Hadriano.

De satira decima nil habeo dicere. Meminit hîc Amilli,

. . . . . quot discipulos inclinet *Amillus*,

qui ex Martiale ludi magister fuit Domitiano regnante turpis puerorum amoribus.

Undecima de Attico et Ventidio loquitur, et de Apicio decoctore.

Duodecima de Pacuvio Histro, ut tum vivente, de quo et tertia mortuo.

Satira decima tertia Domitiano principe scripta est, ut alibi notavi;

. . . . Stupet hæc, qui jam post terga reliquit
Sexaginta annos Fonteio consule natus,
Ac nihil in melius tot rerum proficit usu!

Non vero *at*, vel *an*, ut vulgo legitur.

De satira decima quarta ἀπέχω.

De satira decima quinta item ἀπέχω. Nam quod ait, *sed nuper consule Vinco, Vinio, Junio, Quinto* ignoratur, ob tres consules suffectos et mendæ suspicionem.

Decimam sextam *Coranus*, de quo vide inscriptiones, et

Fuscus orator, de quo Plinius, videntur Trajani temporibus adscribere.

Hæc sunt, amice et erudite Lector, queis breviter commonendum te esse censui, ut quo quamque tempore satiras suas composuerit Juvenalis, primo intuitu dignoscere facile posses. Vale; si nostris in hunc satiricorum principem lucubrationibus vacare juvat, iis fruere, et me ama tui quàm plurimum redamantem.

HADRIANI VALESII,

CONS. ET HIST. REGII,

ET

CAROLI VALESII,

IN SENATU PARISIENSI CAUSARUM PATRONI,

NOTAE IN JUVENALEM.

NOTAE IN SATIRAM PRIMAM.

Versu 2. V EXATUS toties rauci Theseïde *Cordi.*]

At apud Servium in primo Aeneïdos *Codri*, et Juvenalis in satira tertia *Cordus*. In optimo libro *Codrus* ex Pithoeo, et forte melius, cùm vetus interpres de eodem poëta utrobique agi notet. *Hadrianus*.

v. 12. *Frontonis* platani, convulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptæ lectore columnæ.]

Hunc *Frontonem* Dio Cassius in vita Nervæ Consulem vocat, A. Gellius, lib. II, cap. 26, *Marcum Frontonem* Consularem, quem ait Romæ plerisque viris doctis præsentibus, inter quos ipse adolescens et Phavorinus philosophus erant, de coloribus disseruisse; lib. autem XIX, cap. 8 et 10. *Frontonem Cornelium* nominat, ita ut omnino dictus sit *M. Cornelius Fronto*, aitque hunc pedibus graviter ægrum (tunc enim senex erat) cubuisse in scimpodio Græciensi circumundique sedentibus multis doctrinâ, aut genere, aut fortunâ nobilibus viris, quorum congressu quia vir doctus delectabatur, domum ipse suam recitantibus commodabat. Hunc etiam Plinius lib. IV, epist. 9. pro Basso

quodam mirifice egisse dicit. Martialis de eo quoque mentionem facit libro I epigramm.

Clarum militiæ, *Fronto*, togæque decus.

Solebant olim divites suas domos poëtis, oratoribus et aliis ad recitationes et ἐπιδείξεις commodare; ut testatur Theophrastus cap. de Blanditia. Juvenalis ipse sat. septimâ:

. . . . . At si dulcedine famæ
Succensus recites, Maculonus commodat ædes.

Plinius libro VIII, epist. 12: « Tittinius Capito domum suam « recitantibus præbet. » Tacitus in Dialogo de Oratoribus Juvenali facem præfert, de recitatione poëtarum loquens: « Ut sint, « ait, qui dignentur audire, et ne id quidem gratis; nam et « domum mutuatur, et auditorium exstruit, et subsellia con- « ducit, et libellos dispergit. » Meminit item Plinius in epist. 11, lib. II. *Frontonis Catii*, viri movendarum lacrymarum peritissimi, quem rursus pro *Mario Prisco* repetundarum ex Africa accusato insigniter dixisse refert. De *Frontone* Consule et Augg. Lucii et Antonini magistro vetus affertur inscriptio apud Gruterum:

M. AVFIDIO FRONTONI. PRONEPOTI M. CORNELI FRONTONIS
ORATORIS. CONSVLIS. MAGISTRI IMPP. LVCI ET ANTONINI.
NEPOTIS AVFIDI VICTORINI PRAEFECTI VRBIS. BIS COS.
FRONTO COS. FILIO DVLCISSIMO.

Carolus.

v. 15. Et nos ergo manum ferulæ subduximus, et nos
Consilium dedimus Syllæ, privatus ut altum
Dormiret, etc.]

Id est, ego igitur, qui rhetoribus operam dedi, qui sæpe declamavi, et in declamatione quadam Syllæ consilium dedi, ut Dictaturâ depositâ, privatus viveret, tot poëtis recitantibus, ego nil scribam, et stultâ clementiâ parcam chartæ alioquin perituræ. H.

v. 22. . . . . Mævia Tuscum
Figat aprum.]

Scilicet in arena, in venatione Amphitheatrali. H.

v. 24. Patricios omnes opibus cùm provocet unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.]

Sonabat non barba, sed culter tonsorius. Sic alibi de eodem tonsore, sat. X, v. 225:

Percurram citius, quot villas possideat nunc
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.

H.

v. 26. Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Crispinus, etc.]

Unde sat. IV, v. 1,

Ecce iterum Crispinus,

scilicet de eo secundum verba facit: sed quod addit,

. . . . . et est mihi sæpe vocandus
Ad partes,

non puto alibi ejus meminisse Juvenalem, si forte omnes Juvenalis satiras habemus. Imo alibi ejus meminit:

Et matutino sudans Crispinus amomo.

H.

v. 32. Causidici *nova* cùm veniat lectica Mathonis.]

Id est, novi et obesi causidici, quem alibi deficere ait. H.

v. 38. . . . . Optima summi
Nunc via processûs vetulæ *vesica beatæ.*]

Id est, divitis et opulentæ: sic infra:

Signator, falso qui se lautum atque *beatum*
Exiguis tabulis, et gemmâ fecerat uda.

Cæterum, *vesicam* hoc in loco intellige partem eam, quâ mulier est. H.

v. 42. *Accipiat* sane mercedem *sanguinis*, et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.]

An Gillo, qui deuncem ex testamento divitis anûs amicæ suæ accepit, ut sanguis pro semine accipiatur? an alius delator ille nescio quis magni amici, id est, nobilis et divitis, qui mercedem sanguinis, id est, pretium delationis capitalis acci-

piat ab Imperatore Domitiano? Id sane sequentia videntur probare; « Palleat, ut qui calcavit nudo pede serpentem, aut « rhetor ad aram Lugdunensem dicturus; » nimirum his periculum instat, sic ipsi delatori ab alio delatore, quod Domitiani temporibus sæpe factum historiæ docent. An autem *palleat* metu legis Juliæ hic spoliator pupilli prostantis? an Hirrus, de quo sat. X, v. 222 : *quot circumscripserit Hirrus pupillos*, id est, quem penuria fructu ætatis vitam tolerare cogit? H.

v. 47. . . . . Et hic damnatus inani
Judicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exul ab octava Marius bibit, et fruitur Diis
Iratis, at tu victrix provincia ploras!]

Hic damnatus, id est, Marius; missus enim est tantum in exilium, et parvâ summâ multatus Trajano regnante, ex Plinio in epistolis, certe ex Suetonio in Domitiano. Domitianus magistratibus Urbicis provinciarumque Præsidibus coërcendis tantum curæ adhibuit, ut neque modestiores unquam, neque justiores exstiterint, *e quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus*, ait ille, sub Trajano scilicet, et id passim epistolæ Plinii demonstrant. *Exul ab octava bibit*, cùm a nona deberet (nam

Imperat exstructos frangere nona toros),

et fruitur Diis iratis, id est, Deorum in se benignitate et clementiâ fruitur, qui se fecerint in exilio et pœna felicem; *at tu victrix provincia ploras*, Africa scilicet, quòd a Mario direpta tibi non redduntur. Sic sat. VIII, v. 92 :

Et Capito et Numitor rueriut damnante Senatu
Piratæ Cilicum;

et quæ sequuntur ibidem de spoliatoribus provinciarum. H.

v. 51. Hæc ego non credam *Venusinâ* digna *lucernâ?*]

Id est, satiris Horatianis ad lucernam elucubratis. H.

v. 52. Hæc ego non agitem? sed quid magis Heracleas
Aut Diomedeas.]

Ita legendum omnino, non Diomedeos. *Heraclea* et *Dio-*

medea dicitur ut Odyssea. Accius in Diomede passim citatur a Nonio. H.

v. 58. Cùm fas esse putet *curam* sperare *cohortis*.]

Id est, Tribunatum militum. Tribunus militum cohortem, quæ ferme mille constabat armatis, ducebat, unde et Græcis χιλίαρχος solet vocari. Ex Modesto de vocabulis rei militaris, Tribuni sunt, qui cohortes ducunt. At is Tribunum majorem et Tribunum minorem nominat, quorum major ad hunc gradum Imperatoris judicio, minor labore suo perveniat: Aelianus, libro de instruenda acie, Tribunum minorem, πενταχοσίαρχαν appellat, qui cohortem quingentariam ducit, Tribunum majorem, μοιράρχην, qui cohortem milliariam; ut Modestinus vocat, seu potius millenariam regit. At, constante republicâ, sex tantum Tribuni erant in una legione, ex Polybio, ex Modesto etiam Vegetius; sed addit unam tantum in legione cohortem milliariam fuisse. C.

v. 67. Signator, falso qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis, et *gemmâ* fecerat *udâ*.]

Ex Festo Paullus sic habet. Adulterina signa dicuntur alienis annulis facta. *Gemmâ udâ* ergo, ut oblitterato hujus signo, alterius annuli gemmâ tabulæ suppositivæ obsignarentur. H.

v. 73. Aude aliquid brevibus *Gyaris* et carcere dignum.]

Gyaros tamen una tantum insula est; sed *Gyaris* pro insulis parvis posuit, id est, exiliis et deportatione in insulas. Hoc est, audendum tibi est periculosum aliquid, quo ditescas; nam *probitas laudatur et alget*, id est, nuda est et pauper; at divites criminibus debent accepta referre prætorias opes suas, pocula argentea pura et cælata emblematis, ut capro. H.

v. 77. *Quem* patitur dormire nurûs corruptor avaræ?]

Nempe *socerum?* Quem maritum sponsæ turpes, lascivæ et libidinosæ patiuntur dormire securum, quas corrumpere velit adulter adhuc prætextatus et puer. H.

v. 81. Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor

Navigio montem (Parnassum) ascendit, sortesque poposcit, etc.]

A Themide scilicet. Id est, nostris satiris carpimus quidquid ab orbe condito prave gestum est timore, ira, etc. Et quando uberior quàm nunc vitiorum copia, àlea quando hos animos? Supple *habuit*. H.

v. 89. . . . . Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, positâ sed luditur arcâ.]

Ita omnes editiones: ego sic interpungo:

. . . . Nec enim loculis comitantibus itur:
Ad casum tabulæ positâ sed luditur arcâ.

H.

v. 91. Prælia quanta illîc dispensatore videbis
Armigero, etc?]

Id est, quantas rixas et pugnas videbis dispensatore, qui dominum secutus est et arcam attulit, arma gerente, et clamante quoties de arca domini promendum est. H.

v. 99. . . . . Jubet a præcone vocari
Ipsos *Trojugenas*.]

Ergo præco, aut præconis vicem gerens servus advocabat ad sportulam accipiendam singulos suo quemque nomine et ordine. *Trojugenas*, sic solet vocare nobiles, patricios, et qui magistratus gerunt, quasi ii ab Aenea ejusque comitibus, qui Albâ coloniâ suâ relictâ Romam transierunt, genus deducant. Certe, teste Servio, Varro de Trojanis familiis librum conscripsit, et apud Virgilium in Aeneïde multæ a comitibus et ab ipso filio Aeneæ gentes Romanæ deducuntur. *Trojugenas* Silius passim Romanos appellat. H.

v. 106. . . . . Quid confert *purpura major*
Optandum? si Laurenti custodit in agro
Conductas *Corvinus* oves.]

Purpura major, quæ et *major clavus* in propemptico Metii Celeris Statio vocatur, est *latus clavus* quod forte nemo vidit. De antiquo Corvino loquitur, ut puto: hîc libertinus quidam

Syrus foratis auribus, dives, et ante Prætorem et Tribunum accipere vult sportulam divitiarum privilegio; quanquam funestæ pecuniæ nondum Romæ templum est conditum et aræ nummis. Libri quidam habent, *quid confert purpura majus, etc.* sed male. H.

v. 120. . . . . Densissima centum
Quadrantes lectica petit, etc.]

Id est, multæ lecticæ centenos unaquæque sibi quadrantes petunt : nam singulæ lecticæ singulos tantum ferebant (ex Martiale autem et aliis centum miselli quadrantes erant anteambulonis congiarium lassi), seu ex multis lecticis prodeunt qui sibi sportulam nummariam petunt, centum scilicet quadrantes, et viros suos etiam sequuntur in lecticis uxores aliquando etiam languidæ vel prægnantes. Alius maritus callidus notâ tamen jam arte et fallaciâ petit sportulam absenti uxori, *ostendens vacuam et clausam pro conjuge sellam;* in qua sella uxorem suam gestari dicit et inquit, in hac sella Galla mea uxor est; citius eam dimitte, datâ sportulâ, ô dispensator, moraris? At si dispensator dicat, *profer, Galla, caput*, ostende te, ut accipias, respondet ille, noli uxorem meam vexare, dormit. C.

v. 127. Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum, etc.]

Id est, sportulam, postquam salutati sunt, dari jubent clientibus et comitibus suis reges, deinde eunt in forum eorum catervis stipati, ubi Apollinis statua, quem idcirco satirice Jurisperitum vocat, et statuæ triumphales, inter quas locum et titulos habere ausus est nescio quis Aegyptius aut Alabarches, cujus ad effigiem non tantum meiere fas est : deinde postquàm domum ab iisdem reducti sunt, vestibulis abeunt veteres clientes et lassi de via (scilicet in vestibulis officia salutantium et *ave* ac *vale* dicentium peragebantur), voluque cœnæ deponunt, quanquam longissima cœnæ spes fuerit cuique, id est, licet diu de cœna non desperaverint. Itaque domi cœnaturis caules et ignis emendus est, seu potius emitur. Optimâ interea venatione eximiisque piscibus rex eorum satiabitur,

solus in triclinio jacens, accumbens: nam in una, id est, aliqua de tot pulcris, latis et antiquis mensis patrimonia sua hi reges comedunt; una mensa, unum convivium sufficit ad decoquendum. Nullus tum, cùm decoxerint, parasitus aut cliens eis futurus est. *Sed quis feret istas luxuriæ sordes?* Luxuria est, quâ patrimonia comedunt, sed sordida, quòd soli comedunt. C.

v. 140. . . . . Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!]

Macrobius lib. III, Saturnaliorum, cap. 13. Cincius, inquit, in suasione legis Fanniæ, objicit sæculo suo, quòd *porcum Trojanum mensis inferat.* Quem illi sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille *Trojanus equus* gravidus armatis fuit. Sic apud Petronium: Porcus apponitur, ni fallor, ficedulis et mille aliis deliciis refertus inclusis. Quanta autem est gula, quæ sibi soli totos et solidos apros apponi jubet, animal propter convivia natum! Pœna tamen præsens imminet tibi tuæ voracitatis, ô lurco, *cùm tu deponis amictus turgidus, et crudum pavonem in balnea portas*, id est, cùm pavone et aliis epulis distentus nondum concoctis lavaris. Imitatur Persium, sat. III, v. 98:

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur, etc.

et quæ sequuntur. Hinc enim subitæ mortes, et senes intestati moriuntur. It nova nec tristis, id est, et læta ea fabula per cunctas domos et cœnas; gulâ Titium, gulâ Seium periisse; ducitur funus tota urbe ac populo plaudendum ac ridendum, iratis solis defuncti amicis, qui jacturam sportulæ fecere. C.

v. 155. Pone Tigellinum, tæda lucebis in illa,
Quâ stantes ardent, qui fixo gutture fumant.]

Videntur Christiani, quos præsertim hoc supplicio Nero affecit, tæda perfossi, quæ ex eorum ore accensa vespere alluceret ingredientibus, quâ tædâ etiam velut palo quodam defixâ et surrectâ starent miseri. Aliter:

Pone Tigellinum, tæda *lucebit* in illa.

Sic in optimo exemplari. Item,

Et latum mediâ sulcum *deducit* arenâ.

Legi ait P. Pithoeus. Sed emendatius *lucebis* et *deducis*.

Lipsius tamen ultimum hunc versum ita ex veteri codice restituit;

Et latus mediam sulcus diducit arenam.

H.

v. 158. Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis.]

An Tigellinus? non puto, sed alius quipiam, vehatur lecticâ jacens in pluma ac pulvillis. Juvenali respondet alius, cùm ille veneficus, quem dicis, occurret tibi, tace, nam qui verbum hoc tantum dixerit, *hic est*, nefarius scilicet, homicida, is ut accusator ejus gravissimas pœnas luet. H.

v. 162. Securus licet Aeneam *Rutilumque* ferocem
Committas, etc.]

Plures ita, male. Sed Rigaltius et Grangæus, *Rutulumque ferocem*, id est, Turnum, bene; ut et ego pridem conjeceram. H.

v. 168. . . . . Tecum prius ergo voluta
Hæc animo ante tubam.]

Ita enim legendum est, non *anime*: non enim poëta loquitur, sed alius alloquitur poëtam: nam *animante tubâ* Lipsii vapulet (id esset jam concertaturus); ante tubam, id est, ante prælium, hoc est, antequàm accingaris ad satiram, hæc omnia pericula quæ satiricis impendent, animo præcipe, galeatum, armatum sero duelli pœnitet, id est, belli sero pœnitet eum qui nomen dedit et arma sumpsit. Bene dicis, respondet poëta, experiar itaque quid mihi et versibus meis juris concedatur in mortuos; hos enim ad declinandam et invidiam et odium solos sum suis coloribus depicturus. H.

NOTAE IN SATIRAM SECUNDAM.

v. 6. Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos *pluteum* servare Cleanthas.]

Lego: *Si quis Aristotelem, similem vel Pittacon emit*, id est, similem Aristotelis Pittacon vultu, vel potius:

Si quis Aristotelem, *Simiam*, vel Pittacon emit.

Σιμμίας philosophus est, cujus Diogenes Laërtius, mentionem facit, ejusque scriptorum.

Et jubet archetypos *puteum* servare Cleanthas,

id est, si quis Aristotelis Peripateticorum principis statuam, et Pittaci, ac Simiæ in bibliotheca collocat, Cleanthis autem signum aliquod archetypon ad *puteum* ponit, quòd hic, antequàm philosophus stoicus esset, aquâ ex *puteis* hauriendâ sese tuebatur. Et videtur mos fuisse tum Cleanthis imagines prope *puteos* collocandi. H.

v. 7. Et jubet archetypos *pluteum* servare Cleanthas.]

Ita omnes. Pone *puteum* ex fratre meo (Henrico Valesio), et me. Cleanthem juvenem aquam ex *puteo* mercede haurire consuevisse scribit Diogenes Laërtius. H.

v. 17. . . . . Qui vultu morbum incessuque fatetur.]

Putabam legendum, *cultu*, id est, habitu, qui mollium et effeminatorum erat proprius ut plurimum, et ad muliebrem accedens, ex Juvenale ipso passim et aliis: sed nil muto. Nam Salvianus, lib. VII, de Providentia ait, hos molles convertere in muliebrem tolerantiam non usum suum tantum atque naturam, sed etiam vultum, incessum, habitum, nimirum genis cerussatis, pumicatis, oculorum lasciviâ, superciliis fuligine tinctis. H.

v. 32. Cùm tot abortivis fecundam Julia vulvam
Solveret.]

Plinius, lib. IV, epist. 11. Nam cùm (Domitianus) Corneliam Maximillam Vestalem defodere vivam cupîsset, ut qui illustrari sæculum suum ejusmodi exemplo arbitraretur, Pontificis Maximi jure, seu potius immanitate tyranni, licentiâ domini, reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocavit; nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditamque damnavit incesti, cùm ipse fratris filiam (*Juliam Titi filiam, Sabini conjugem*) incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset. Nam vidua abortu periit. C.

v. 36. Non tulit ex illis torvum Laronia quemdam, etc.]

De ea muliere loquitur quoque Martialis, lib. II, epig. 32, in Ponticum, his verbis:

Abnegat et retinet nostrum Laronia servum;
Respondes, orba est, dives, anus, vidua.

H.

v. 40. Tertius e cœlo cecidit *Cato*.]

Nimirum *sanctus et egregius vir*. Valerius Max. libro II, cap. 10, exemplo 8, *M. Porcii Catonis* (Uticensis) omnibus numeris perfecta virtus effecit, ut *si quis* (alias *quisquis* pro *si quis*) *sanctum et egregium civem* significare velit, sub nomine *Catonis* definiat. Idem habet Plutarchus de eo. C.

v. 107. Et pressum in facie digitis extendere panem,
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mœsta nec Actiacâ fecit Cleopatra carinâ.]

Scio *Romanum orbem* dictum esse Imperium Romanum, et post divisionem Imperii partes Orientis *orbem Eoum*, Imperium Occidentis *orbem Hesperium* et Occidentalem vocatum; Africam etiam *Africanum orbem* Salviano dictam. Sed tempore Juvenalis nondum ita Romani, ut puto, loquebantur, quominus eum puto Assyriorum Imperium Assyrium orbem vocâsse. Puto ergo, *Assyriâ urbe*, legendum, id est, in urbe Assyriæ Nino, capite Imperii Assyriorum, et sede regum. Nam et designat loca, ut ad Actium, et de Othone ad civile bellum proficiscente. Ninus condita a Nino, Semiramidis viro, rege Assyriorum. Quæ sedes exinde regum Assyriorum fuit, ut Diodorus in libro I refert. Sed omnino nil mutandum est apud Juvenalem. Nam pharetrata et ad bellum proficiscens Semiramis describitur, ut et Cleopatra in expeditione Actiaca. Non ergo tum Semiramis in urbe aliqua, sed in campo castrisque erat, et in *Assyrio orbe*, id est, in Assyria, seu, ut melius loquar, in imperio Assyrio; ut *orbis Romanus* dictum est Imperium romanum. H.

v. 149. Esse aliquos Manes, et subterranea regna,
Et pontum, et Stygio ranas in gurgite nigras.]

Sic habet editio Nicolai Rigaltii anni 1616, et ipsa editio

Petri Pithoei anni 1585, et ita legit vetustissimus interpres Juvenalis in suo commentario, laudato ibi et Virgilio in VI Aeneidos, male, in erroris patrocinium :

Ipse ratem *ponto* subigit, velisque ministrat.

Cùm legendum sit,

Ipse (Charon portitor) ratem *conto* subigit, velisque ministrat.

Unde et editio Lugduno-Batava anni 1600, legit bene,

Et *contum* et Stygio ranas in gurgite nigras;

id est, *contum* Charontis, et ranas in Styge. H.

v. 159. *Illuc* heu! miseri *traducimur*.]

Ita omnes. Lego *illíc*; id est, in Inferis deridemur a mortuis. Petronius: Postquam diu questus est deceptum se et derisum *traductumque* inter condiscipulos, etc.

v. 159. . . . . Arma quidem ultra
Littora Jubernæ promovimus, et modo captas
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.]

Falsum est arma Romanos promovisse ultra Britanniam, qui ne Britanniam quidem omnem unquam subegerint, et in sua habuerint potestate, parte ejus majore ac meliore contenti, ut alibi ostendi. Falsius, si ita loqui licet, ultra Juvernam promovisse eos arma; id est, ultra Hiberniam insulam, quæ nunquam a Romanis cum exercitu adita fuerit, nedum domita: quare Corn. Tacitus de vita Agricolæ ait, Hiberniæ interni maris insulas superantis aditus portusque melius per commercia et negociatores cognitos esse, sæpeque ex Jul. Agricola socero se audivisse legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse, idque adversus Britanniam etiam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur. Julius autem Agricola Domitiani principatu Britanniæ præpositus erat. Ibidem ait: hanc oram novissime maris tunc primum Romana classis circumvecta. Insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit, domuitque quinquagesimo anno circiter post Claudii Aug. Britannicam expeditionem. Dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems abdebat (at tantum

aspecta, non adita, nec unquam post armis Romanorum). Arma tum promovisse ultra Hiberniam Romani ne sic quidem bene et jure Juvenali dicentur, quod tum circumnavigaverint classe Britanniam, octavo officii Jul. Agricolæ anno, ut ibidem Tacitus scribit, seu sexto anno quàm præesse exercitui Britannico cœperat Agricola, quo anno, post victos acie Caledonios, et triginta millia hostium cæsa, præfecto classis circumvehi Britanniam præcepit. Datæ ad id vires, et præcesserat terror. Orcadas tamen insulas triginta numero ex Mela et Ptolemæo, ex Solino male tres, a Claudio Aug. qui de Britannia triumphavit, Romano adjunctas imperio ait Eusebius in chronico, et Eutropius his verbis de Claudio Aug. insulâ Britanniâ devictâ triumphum celebrem egit: quasdam insulas etiam ultra Britanniam in Oceano positas Romano imperio addidit, quæ appellantur Orcades. Malo tamen Tacitum sequi, et Juvenalem, qui ait:

. . . . . [redacted] . Et modo captas
Orcadas.

Scribebat autem Trajani principatu. Videtur ergo scripsisse hæc Juvenalis eo ipso tempore, quo Agricola in Britannia tantas res gerebat, et a nuntiis omnia extollentibus in majus deceptus esse, qui Britanniam omnem domitam, quòd in extrema ejus parte Caledonios vicisset, et nullam Britanniæ novam partem illacessitam transiisset Agricola, referebant; ab eodemque domitam Hiberniam, quòd partem Britanniæ ei oppositam copiis instruxisset Agricola in spem magis eo transeundi cum exercitu, quàm ob formidinem barbarorum. Idem tum expulsum seditione domesticâ unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ (in occasionem trajiciendi eo quandoque) retinebat, ut refert Tacitus in libro citato, qui et ab eo Orcadas domitas indicat, seu ab ejus classe, et Monam insulam, quam Suetonius Paullinus tentaverat, primo ejus in Britanniam adventu ad pacem et deditionem redactam. In Britannia Vespasianus legatus legionis Claudio principe duas validas gentes, viginti oppida et insulam Vectem Britanniæ proximam in deditionem redegit, ut ait Suetonius, et Eutropius lib. VII ex Suetonio, insulam Vectam, ut Antoninus in Itinerario, vocans. Igitur Britanniæ tantum pars, major tamen et melior, Orcades, Mona, Vectis

Romanis paruêre; nunquam autem Hibernia, Thule, Ebudæ numero quinque ex Ptolemæo, triginta ex Plinio, cui Ebudes dicuntur, Solino Hebudes quinque, Monaïda, vel Monapia, a Scotis, ut et Hibernia, habitata: quanquam càm inter Monam et Vectem duas insulas, scilicet Monapiam et Ricinam ponat, etiam has duas a Romanis domitas dicere et credere convenire videtur. Hæc Monapia, Menavia insula Hiberniæ proxima dicitur Aethico, seu Julio Honorio in Cosmographia, et Jordani, forte pro Menavia, qui et Orcadas viginti desertas esse, quatuordecim, aut ex MSS. tredecim cultas dicit esse et habitatas. Orcades quinque *Orcnay* vocantur, Mona, *Englesey*, id est, Anglica, Vectis, *Wicht*, Monapia, *Monaw*, si bene memini, Ricina, *Argitti*, ut dicunt novi geographi. A Menavia seu Menevia Asser Menevensis, historicus Anglus cognominatus est; qui librum de vita Alfredi Anglorum regis post annum Domini nongentesimum scripsit. H.

v. 167. *Hic* fiunt homines.]

Ita Pithoeus, ita Rigaltius, ita denique omnes Juvenalis editores: sed male. Emendo primus hoc modo:

Sic fiunt homines.

Id est, quanquam non latine, *sic viri fiunt*, satirice, càm contrarium velit intelligi, *sic pueri effeminantur*. Ita sat. X:

Non licet esse *viros*, nàm prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.

C.

NOTAE IN SATIRAM TERTIAM.

v. 13. Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Judæis, quorum cophinus fœnumque supellex.]

« Juvenalis (ait Petavius, in suis Animadversionibus ad hæ-
« resim Massalianorum) occupata Judæorum habitationibus,
« et, ut credibile est, proseuchis, sacra quondam Romæ esse
« loca conqueritur. » Male hîc Petavius; non enim hoc versus isti Juvenalis significant, sed conductum a Judæis quibusdam

lucum Camœnarum, ut solebant vulgo. Vide Numatianum et satiram sextam,

> Cùm dedit ille locum, cophino fœnoque relicto,
> Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem.

Ubi vero est quod idem Petavius adeo veterem Juvenalis scholiastem irrideat, cùm dicit hanc esse supellectilem Judæorum, cophinum et fœnum, ubi pulmentaria sua (nempe in cophino), et aquam ealidam die sabbati servare consueverant; quasi aqua calida in posterum diem in fœno non potuerit servari, et cùm falsum, tum ridiculum sit? Nam sic et apud Juvenalem et apud Martialem *tuta fœno ova*, *tortoque calentia fœno* conservata leguntur: nil enim moror an Judæi sabbatis calidâ abstinuerint potione. H.

v. 61. . . . . Quamvis quota portio fæcis Achææ?
Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes:
Et linguam et mores, etc.]

Sic interpungo:

> . . . . . Quamvis quota portio fæcis Achææ
> Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.

Id est, quamvis Syri Antiochenses, qui parva Græcorum sunt portio, jampridem Romam civibus et vitiis suis impleverint. H.

v. 64. . . . . Nec non *gentilia tympana* secum
Vexit.]

Scilicet mulieres Syrissæ patria tympana pulsabant Romæ; quæ eorum linguâ *tupa* vocábantur: undę Græcis τύπανα, et verbum τύπτω. Crotalorum seu crepitaculorum studiosi fuere Syri et Orientales omnes; sine tibicine autem et crotalis nunquam fere tabernæ erant. C.

v. 107. Si bene ructavit, si *rectum* minxit amicus.]

Ex veteribus codicibus emendat Parrhasius, *si lectum minxit amicus*. Recte, id est, culcitam tricliniarem; quod ebriis sæpe accidit. Horatius Sermonum lib. I, *comminxit lectum potus*. C.

v. 108. Si *trulla inverso* crepitum dedit *aurea fundo*.]

Cottabus scilicet. *Cottabi* autem *lusus* inventio Sicula, quo

inverso, id est, in sublime elevato poculo reliquum vinum sic effundebant, ut id resonaret; et nihil ad elidendum in pavimentis sonum ex vino relinqueretur: hoc vocabant κοτταβίζειν. De hac consuetudine Parrhasius, et quis non? C.

v. 112. Horum si nihil est, *aviam* resupinat amici.]

In cod. MS. ampl. viri Henrici Memmii, in quo Juvenalis satirarum pars habetur (scriptus autem codex principatu Caroli Calvi, ante annos fere 800), legitur *aulam* resupinat amici, non *aviam*, et explicatur notâ interlineari, *domum evertit*, bene, ut et sequentia docent, quibus hoc cohærere debet. *Resupinare* enim est *pervertere*. Accius in Antigona: « *Quid agis?* « *perturbas rem omnem, ac resupinas soror.* » Hic locus omnino lectionem meam confirmat et illustrat; *aulam resupinat amici*, id est, omnia *susque deque vertit*, omnia *perturbat*. C.

v. 119. . . . . Heic ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Hermarchus.]

Sic P. Pithoeus, Rigaltius, et alii bene: at Raphelengius, *aut Erymanthus*, male. H.

v. 130. *Ne* prior Albinam aut Modiam collega salutet.]

Editio Rigaltii bene: *nec*, aliæ editiones, male. H.

v. 144. . . . . *Jures* licet et Samothracum
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur.]

Ita omnes. Lego: *juret* licet, etc. atque ita legendum est indubie. H.

v. 159. Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.]

Erant in orchestra senatoribus sedes assignatæ; erant et in duodecim gradibus orchestræ primis vel proximis Equitum sedes, quæ *Equestria* vocantur Petronio. Nam et his lege latâ in theatro loca restituit *Otho* Roscius, ait Velleius Paterculus, lib. II; inde *orchestram* Juvenalis dicit pro *primoribus et plebe*. Vitellius cavit, ut Zon. ex Dione refert, ne Senator aut Eques gladiatoriam, seu ludicram artem exerceret. Quintilianus Declam. 32, refert hanc legem theatralem: *Gladiator in quatuor-*

decim gradibus ne sedeat; et lib. III Instit. Orat. cap. 6: Qui artem ludicram exercuerit, in decimo quarto ordine ne sedeat. Unde Juvenalis irridens paullo ante dixit:

. . . . . de pulvino surgat equestri
Cujus res legi non sufficit, et sedeant hîc
Lenonum pueri quocumque in fornice nati.

C.

v. 168. Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos, mensamque Sabellam,
Contentusque illîc Veneto duroque *cucullo*.]

Sic Rigaltius, sic Raphelengius, et Pithoeus in editionibus suis Juvenalis: male omnino. Quis enim sensus erit? Romanos pudet cœnare fictilibus: at si, relictâ urbe Româ, quis se ad Marsos Sabellosque contulerit, negabit hoc turpe esse (scilicet cœnare fictilibus), et ibi erit Veneto duroque *cucullo* contentus. *Cucullus* quid ad cœnam pertinet? Cùm sit vestis Santonum, vestis etiam nocturna virorum ac mulierum, caput et humeros tegens, pænulæ instar, ne agnoscantur, et ut imbrem vitent. Legendum omnino ex me omnium primo egregie:

. . . . . quod turpe *negabit* (aut *negabis*)
Translatus subito ad Marsos, mensamque Sabellam,
Contentusque illic Veneto duroque *culullo*.

Culullus est poculum fictile, urceus fictilis dicitur Martiali lib. XIV:

Hîc tibi donatur pandâ ruber urceus ansâ:
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

Horatius in libro de Arte Poëtica:

Reges dicuntur multis urgere *culullis*
Et torquere (id est, explorare, experiri) mero; quem perspexisse laborent,
An sit amicitiâ dignus.

Plinius in libri tertii capite secundo Marsos et Sabellos Samnites postea dictos nec non etiam Sabinos regioni Italiæ quartæ attribuit. *Culullos* autem in provincia Venetia fieri, et inde in cæteras Italiæ regiones, ac in primis Marsorum ac Sabellorum importari consuevisse suâ ætate indicat Juvenalis, quos ideo *Venetos*, et, quia fictiles erant, *duros* appellat. De *cucullis*

idem dici non potest. Nam nec eis proprie duritia convenit, nec a vett. auctoribus Venetia eisdem patria tribuitur. Vetus scholiastes Juvenalis legit,

Contentusque illic veneto duroque cucullo.

Interpretatur enim, *aut crasso habitu, aut quales cucullos habent Perusini; vel a colore, aut a provincia Venetos.* Ex quo apparet veterem mendam versus ejus fuisse in una litterula *c* pro *l* positam. Sic idem, sive Probus, sive quis alius ex P. Pithoeo in satira III legit,

Unius sese dominum fecisse *lacertæ.*

Et *lacertam* sumit aut pro animali ipso, aut pro agro in quo sunt plurimi lacerti magis quàm lacertæ, et in horto etiam discurrere et latitare consueverunt. Quem grammaticum Probum post Constantinum Magnum scripsisse hasce glossas P. Pithoeus putat, et ex variorum diversæ ætatis et eruditionis interpretum notis (ut sæpe factum) esse conflatum. Sic idem vetus interpres et in satira IV legit:

. . . . . provincia tanti
Vendit *agros*, sed majores Apulia vendit.

Agros inquam, non *apros*, sed male : ut ex duabus ejus adnotationibus apparet. H.

v. 175. . . . . Cùm *personæ* pallentis *hiatum*
In gremio matris formidat rusticus infans.]

In gestis Francorum lib. III, cap. 15, hæc legimus: « In « pago *Nithagonne* fundus est *Ursella* vocatus, in quo mulier « quædam, cùm mane facto de somno evigilans in lecto suo re- « sideret, et juxta consuetudinem expergiscentium protensione « brachiorum et assiduâ oscitatione ad discutiendum marcorem « se extenderet, os paullo diductius, quàm debebat, aperuit, « disjunctisque juxta aures maxillarum coagmentis, *hians* « *rictus* constitit immobilis, nec jam os claudere valens, *per-* « *sonæ* quàm homini similior effecta gravissimas incautæ osci- « tationis pœnas luebat. » Sic ergo ex eo loco egregio Juvenali facem allucente discimus *personas* semper, aut saltem ut plurimum, *rictu hiante* et aperto fictas fuisse; quod et hodieque

cernere est in *æreis* veterum *personis*, quæ in variis antiquariorum cimeliis asservantur. H.

v. 187. Plena domus *libis* venalibus.]

Id est, panibus, ex glossa: sic Rigaltius, et Raphelengius, bene: at *libris venalibus* Pithoeus, male. H.

v. 193. Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magnâ parte sui. Nam sic labentibus obstat
Villicus, et veteris rimæ *contexit* hiatum,
Securos pendente jubet dormire ruinâ.]

Ita omnes. Ego duabus litterulis immutatis ita Juvenalem emendandum existimo:

. . . . . Nam sic labentibus (id est, cito lapsuris, casum minitantibus) obstat
Villicus, et veteris rimæ *cùm texit* hiatum,
Securos pendente (id est, impendente) jubet dormire ruinâ.

Sic obstat labentibus, id est, appositis tibicinibus levissimis, obstat casuris ædificiis ruinosis et rimosis, labi parietes caducos prohibet. H.

v. 204. . . . . Nec non et parvulus infra
Cantharus, et recubans sub *eodem* marmore Cheiron.]

Legendum puto: et recubans sub *eo de* marmore Cheiron. Orta menda, ut sæpe alias, a repetitione litteræ *m*. Sub cantharo recubans, id est, aut in cantharo, aut in pede ejus marmoreo, in quo Centaurus Cheiron jaceat sopitus vino; ut in altero apud Plinium, lib. XXXIII, cap. 12, satyrum in phiala gravatum somno collocavisse verius quàm cælasse dictus est Stratonicus. C.

v. 218. *Hæc Asianorum* vetera ornamenta Deorum.]

Ita Pithoeus et Rigaltius ex vetustissimo exemplari, ait Pithoeus, bene: at Raphelengius, *Phæcæsianorum*, vel *Fecasianorum*, quod improbo. H.

v. 218. *Phæcasianorum* vetera ornamenta Deorum.]

Legerem heic lubens *Phæcasiatorum*; nam *Phæcasianorum*

non placet. Petronius: Age ergo, inquit ille, in exercitu vestro *phœcasiati* milites ambulent? Seneca de Benefic. lib. VII, cap. 21, Pythagoricus quidam emerat a sutore *phœcasia* rem magnam non præsentibus nummis. Græcanicum calceamentum et candidum; ut Plutarchus et Appianus docent. Præplacet tamen lectio *Hæc Asianorum*, ut fuerint etiam feminæ captatrices, aut certe *Hic*. C.

v. 223. Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus heic, puteusque brevis, nec reste movendus
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans, et culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.
Est aliquid quocumque loco, quocumque recessu,
Unius sese dominum fecisse *lacertæ*.]

Annon *lacernæ* potius? id est, lacernatum semper esse posse libere, non autem semper togatum, ac togâ longâ veste impeditum, ut Romæ. Si potes Româ et Circo ac spectaculis Romanis sponte carere, libenterque privare te; optimam et commodissimam ac laxam domum potes tibi comparare Soræ aut Frusinone tanti, quanti nunc in unum tantum annum Romæ domunculam tenebrosam et angustissimam conducis. Heic, id est, Soræ aut Frusinone hortulum habebis, et puteum. Et ita vertit Dionysius Challinus (*Challine*) advocatus, qui Juvenalis satiras in versus Gallicos convertit. At vulgo sic interpungunt Pithoeus, Rigaltius et alii:

Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur.
Quanti nunc tenebras uuum conducis in aunum?

Pessime et nullo sensu. Excipe Christophorum Raphelengium, qui bene interpungit sic:

Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum:

Mallem tamen post annum punctum poni. Sensus enim ibi plenus est et desinit. Toga candida erat, lacerna pulla. Sane Augustus visâ pro concione pullatorum turbâ (id est, lacernatorum), negotium Aedilibus dedit, ne quem paterentur in Foro Circove, id est, in publico omnino Romæ, nisi positis *lacernis* togatum consistere. Interpres vetus legit tamen *lacertæ*, sed male.

> Si potes avelli Circensibus, optima Soræ
> Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur.

Id est, si potes æquo animo urbe Româ et ejus ludis ac spectaculis carere, Soræ aut Fabrateriæ aut Frusinone optime et commodissime, aut in aliqua alia simili urbecula poteris habitare. Sora ergo et Fabrateria et Frusino ætate Juvenalis, seu principatu Trajani Aug. nec Circos sibi suos, nec Amphitheatra sibi sua, aut scenam theatralem, aut arenam habebant, ut cæteræ urbeculæ aut oppidula Italiæ. Et tamen Fidenates antea Tiberio principe amphitheatrum suum habuêre, Fidenates, inquam, in Sabinis, deserti vici incolæ. Certe Suetonius in Tiberio scribit : apud Fidenas supra viginti hominum millia gladiatorio munere amphitheatri ruinâ periisse. Horatius epistolâ undecimâ libri primi :

> Scis Lebedus quàm sit Gabiis desertior, atque
> *Fidenis vicis*, etc.

Alias *vicus*. Juvenalis Gabios et Fidenas, urbes olim Sabinorum, tum autem desertos et despectos vicos, bis conjungit :

> Hujus qui trahitur Prætextam sumere mavis;
> An Fidenarum Gabiorumque esse potestas?

H.

v. 234. . . . . Nam *quæ* meritoria somnum
Admittunt?]

Emendo :

> . . . . . nam *quem* meritoria somnum
> Admittunt?

Id est, qualem Romæ somnum admittunt meritoria? *quæ tabernas* interpres vetus exponit. Ego libentius lupanaria. Sic

idem interpres, *excepit blanda intrantes*, explicat in *meritorio*: et post :

Mox lenone suas jam dimittente puellas,

explicat de *meritoriis* recedentibus puellis. Et Aurel. Victor de M. Jul. Philippo Aug. Forte præteriens filii similem pro *meritorio* ephebum conspexerat. Sed et tabernæ sunt meritoriæ seu meritoria et lupanaria; qualis in Copa describitur a Virgilio taberna. H.

v. 237. Vicorum *in flexu.*]

Legendum est, *inflexu*. Inflexus, hujus inflexûs, quem nos Gallice dicimus, *le détour d'une rue*. H.

v. 238 Eripient somnum Druso, *vitulisque marinis.*]

Sic omnes. Lego :

Eripiunt somnum Druso, *vetulisque maritis.*

Id est, anibus, aut certe senibus : Druso homini delicati somni, et senibus, quorum somnus deterior et interruptus omnem omnino totâ nocte somnum ac quietem adimunt. Valde miror *vitulos marinos* Romæ dormientes, apud Juvenalem tamdiu a doctis ferri potuisse. H.

v. 255. *Serraco* veniente abies.]

Apud Servium *Sarraco* in primo Aeneidos. H.

v. 265. . . . . , Tetrumque novicius horret *Porthmea.*]

Id est, vectorem Charontem. *Nec habet quem porrigat ore trientem.* Id est, *naulum*, stipem; sine quo naulo non credebantur mortui transire flumen Acheronta. Apuleius de Asino Aur. lib. VI : jubetur Psyche ad Proserpinam Veneris jussu itura et reditura, in ipso ore duas ferre stipes; et paullo post : huic squalido seni dabis *nauli* nomine de stipibus, quas feres, alteram; sic tamen, ut ipse suâ manu de tuo sumat ore. Apuleius ibidem *naulum portorium* et *æs* vocat. C.

NOTAE IN SATIRAM QUARTAM.

v. 26. . . . . Provincia tanti
Vendit *agros*, sed majores Apulia vendit.]

Si Juvenalis ita scripsisset, necessario addidisset haud dubie mensuram agri venalis, verbi gratiâ, bina aut trina jugera, ut sensus constaret. Ego agris valere jussis, *agros* in *apros* muto. Sic igitur scripsit Juvenalis:

. . . . . Provincia tanti
Vendit *apros*, sed majores Apulia vendit.

Poëta comparat mullum, piscem selibrem, a Crispino amico Domitiani Aug. emptum sex millibus nummûm, apro Apulo: et affirmat *apros* nonnunquam in Apulia tanti vendi consuevisse, sed qui nimirum mullo isto Crispini multo majores essent, et provinciæ suæ nomine commendatiores. Hac emendatione nihil certius, hoc verborum sensu nihil apertius excogitari potest. H.

v. 33. . . . . *Factâ* de merce siluros.]

Sic Pithoeus, Rigaltius, et optimum exemplar. *Fractâ* tamen vetus interpres, et plerique prisci codices habent: nullus *Fariâ*, quod ingeniosum esse non diffitetur P. Pithoeus, pro *Phariâ* vel Aegyptiâ. H.

v. 43. . . . . Torpentis ad ostia Ponti.]

Sic Pithoeanus, Rigaltianus et meus Juvenalis habent, et, ut puto, cæteri interpretes ac editores Juvenalis: retine ergo. Certe Pomponius Mella in capite ultimo libri primi cum Mœotin et Bosphorum, tum Ponti aliqua brumali frigore durare ait. Potest et apud Juvenalem et apud Plinium legi *gladius* pro *glanius*, et pro *glanii gladii aspersus maculis*, ut sit xiphias piscis marinus Aeliano memoratus, quem Theodorus *gladium* interpretatur. H.

v. 61. Ignem Trojanum, et *Vestam* colit Alba *minorem*.]

Imo eamdem et antiquiori cultu, sed *minorem* ad urbem

refertur. Mansit enim sacrum Albæ, etsi jam Roma accepisset. Scholiastes vetus ibi ait : Romanos Tullo rege movere ea sacra et transferre voluisse, sed magnam lapidationem de cœlo factam, et jussos ex libris sibyllinis pontifices ex S. C. sacra Albæ renovare : *inde ibi perseveranti Deo* (malim ego *Deæ*) *et Vestam minorem dicit ad compositionem*. Hæc sunt interpretis veteris verba. Symmachus lib. XI, cap. 120, *incestum primogeniæ apud Albam Vestalis Antistitis ;* quo ipso tempore et *Albæ* et *Romæ* hos omnes paganicos cultus sustulit Theodosius Magnus. C.

v. 77. Pegasus, *attonitæ* positus modo *villicus Urbi.*]

Id est, paullo ante quàm hoc monstrum caperetur, Pegasus datus erat *villicus* potius quàm *præfectus urbi* attonitæ *Antonii defectione*, qui paullo post in ipso conatu oppressus est. Hæc nemo ante viderat. Plutarchus in Aemilii vita : ὅτε γὰρ Ἀντώνιος ἀπέστη Δομετιανοῦ, καὶ πολὺς πόλεμος ἀπὸ Γερμανίας (ex Germania superiore, cujus erat Præses, unde forte *Cattos* et *Germanos* devicisse dicitur Domitianus in Epitome Victoris) προσεδοκᾶτο, τῆς Ῥωμης ταραττομένης (Româ consternatâ, *attonitâ*, ut Juvenalis vocat) ἄφνω καὶ ἀυτομάτως ὁ δῆμος ἐξ ἀυτοῦ φήμην ἀνέδωκε νίκης. Et paullo post, πορευομένῳ δὲ τῷ Δομετιανῷ μετὰ δυνάμεως ἐπὶ τὸν πολεμον, ἤδη καθ' ὁδὸν ἀγγελία καὶ γράμματα φράζοντα τὴν νικὴν ἀπήντησεν· A *Norbano Appio* scilicet cum toto exercitu cæsus est, cùm ipsâ dimicationis horâ resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium barbarorum copias inhibuisset (id est, Sicambrorum, Germanorum) ex Suetonio et Epitome Victoris : at ex Dione a *Lucio Maximo* victus et captus est, ὁ Ἀντώνιος ἐν Γερμανία ἄρχων· Hic autem *Norbanus* Dioni dicitur Νωρβανὸς ὁ ἔπαρχος, id est, Præfectus Prætorio, conscius cædis Domitiani. Hic *Antonius* Sicambris Germaniæ populis Rheno vicinis videtur uti voluisse ; sed Rheni incrementis impedita est virium conjunctio, ex Suetonio, cum quibus non dubito pacem postea factam esse ; unde Martialis, lib. I, epigr. 3, Romam venisse ait *Sicambros* ad spectacula :

Crinibus in nodum tortis venêre *Sicambri.*

Et Juvenalis in fine hujus satiræ ;

Tanquam de *Geticis* (id est, *Dacis*) aliquid, torvisque *Sicambris*

Dicturus, tanquam *et* diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola pinnâ.

Si verum est, quod ait vetus scholiastes, *pennam* affigi solitam epistolis tristibus; id eâ causâ factum puto, ut celeritate volucri deferrentur ad principem: male gestis enim rebus prudenti dispositione obviam eundum est citissime, et providendum. Si falsum est; *præcipiti pennâ*, id erit citissime dispositis jumentis publicis et nunciis, Pegasea velocitate. Cæterum, pro *tanquam et diversis partibus orbis*, legendum omnino puto, *tanquam ex diversis partibus orbis*, etc. C.

v. 81. . . . . Venit et Crispi jucunda senectus, etc.]

Vibium Crispum nunquam libere locutum esse in aula Domitiani Aug., nunquam eum reprehendisse aut arguisse ait, addens:

Sic multas hyemes atque octogesima vidit
Solstitia, his *armis*, illa quoque tutus in aula.

Sic Pithoeus, sic Nicol. Rigaltius, sic et Raphelengius et alii. Et tamen pro *armis* legendum est *annis*, id est, in tam provecta et obnoxia ætate, in tanta senectute, usque ad octogesimum annum, in aula tam sæva ac violenta tutus ab omni periculo Crispus fuit. *Sic*, inquam, id est, silentio suo, assensu suo, patientiâ suâ; nunquam Imperatorem damnando. Alioquin si his *armis* legamus, unum idemque bis dicet poëta. *Sic*, id est, eâ arte; et his *armis*, id est etiam, hac arte tutum se Crispus præstitit usque ad seram mortem a sævissimi Imperatoris insidiis, nimirum omnia quæ faceret probando. Omitto *arma* hîc pro arte metaphoram esse plane insolentem et novam. H.

v. 116. Cæcus adulator dirusque *a ponte* satelles
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.]

Vetus interpres Juvenalis ita legit; ut appareat jam tum hunc locum fuisse depravatum. Ita, inquam, legit, et explicat, *de numero mendicorum*; quasi mendicus inter proceres et amicos Imperatoris Domitiani esse posset, ut Juvenalis dixit, aut quasi mendicus aut tum, aut antea in ponte stipem petens, recte dici posset dignus qui mendicaret ad clivum Aricinum, vel in clivo Aricino. Catullus hic erat senator Romanus, notus

ex Plinio juniore aliisque. De Catullo Messallino nec non simul de Fabricio Veientone amicis Domitiani Aug. C. Plinius Secundus in lib. IV epist. 22, sic loquitur: cœnabat Nerva (jam Augustus) cum paucis: Veiento proximus atque etiam in sinu recumbebat. Dixi omnia cùm hominem nominavi. Incidit sermo de *Catullo Messallino*, qui luminibus orbatus, ingenio sævo mala cæcitatis addiderat; non verebatur, non erubescebat, non miserebatur. Sæpius a Domitiano in optimum quemque contorquebatur. De hujus nequitia, sanguinariisque sententiis in commune omnes super cœnam loquebantur. In Aurelii Victoris Epitome eadem inveniuntur. Junius Mauricus convivio familiari (Nervæ Aug.) adhibitus, cùm Veientonem consulari honore functum quidem, apud Domitianum tamen multos occultis criminationibus persecutum, adesse vidisset; inter colloquia mentione Catulli factâ calumniatoris præcipui, dicente Nervâ, quid nunc faceret, aut pateretur, si Domitiano supervixisset? Nobiscum, inquit Mauricus, cœnaret. Ut autem Juvenalis in satira IV proceres amicos Domitiani Aug. enumerans, sic Plinius Secundus in epistola supra laudata, et Aurelii Victoris Epitome Fabricium Veientonem et *Catullum* Messallinum in unum conjunxere tanquam adulatores fere moribus similes, et optimi cujusque calumniatores vel delatores. Et Juvenalis quidem *Catullum mortiferum, cæcum adulatorem ac dirum* nuncupavit. Addidit etiam, nisi nobilitas et opes hominis obstitissent, propter crudelitatem et malitiam suam dignum fuisse qui *cæcus* inter cæcos egentesque in ponte aut in clivo Aricino mendicaret. Eumdem Plinius similiter ingenio sævo fuisse ait ruboris ac misericordiæ expertem, hominem nequam ac sanguinariis sententiis metuendum. Ego igitur Juvenali duas litterulas *c* et *s* quæ jam ante aliquot sæcula ac ante ætatem veteris interpretis ablatæ ei sunt, restituendas, ac poëtam nostrum sic emendandum arbitror:

> Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum
> Cæcus adulator, dirusque, *ac sponte* satelles.

Pro dirusque *a ponte* satelles, uti legit antiquus interpres: quorum verborum plane nullus est tolerabilis sensus. Catullum Messallinum qui mortifer, sanguinarius dirusque ac sævo in-

genio erat, Juvenalis *sponte* satellitem tyrannidis Domitiani Aug. exstitisse prodidit, atque ita appellavit, ut aperte judicaret non aliquâ necessitate coactum, sed solâ pravæ naturæ malignitate impulsum, malo principi in omnibus assensisse ac sæviendi occasiones quærenti ultro subministrâsse. Eâdem ratione Plinius Secundus in lib. III epist. 7 ad Caninium loquens de morte Silii Italici poëtæ, viri consularis locupletissimi, et viri consularis patris, hæc ait: Læserat famam suam sub Nerone: credebatur *sponte* accusâsse. *Sponte* satelles, seu mali principis malus ac adulator consiliarius vel minister, et optimi cujusque apud pessimum Imperatorem *sponte* accusator, una eademque res est. Natura malus sponte ac ultro fertur ad malum. Talis erat Maximianus Herculius Aug. ferus, asper, et incivilis ingenii, qui naturæ suæ indulgens, Diocletiano Aug. in omnibus est severioribus consiliis obsecutus: ut Eutropius in libro suo tradidit; id est, *sponte* ei obsecutus est, aut ultro paruit. Contra naturâ boni ultro feruntur in bonum: *sponte* omnibus benefaciunt. Tales a Virgilio in lib. VII Aeneidos Latini describuntur hisce versibus:

. . . . . , ... neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus, æquam
Sponte suâ, etc.

Latini non legibus, sed *sponte suâ* æqui erant (si Virgilio creditur), hoc est, non legum jussu aut quasi vi, sed nativæ bonitatis impulsu ultro æqui bonique tum servantissimi fuere. Haud dubie Juvenalem critici ac docti antiquarii hîc corrupêre, cùm non intelligerent, et pro *ac sponte* substituêre *a ponte* propter versum sequentem:

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Nimirum ad rhedas transeuntium, quæ utique axes habebant. Romæ autem et extra Urbem in pontibus viisque publicis, quos aggeres vocabant, mendicos, cæcos, cæterosque egentes fuisse, ibique stipem a viatoribus petiisse nemo nescit. Porro eâdem, quâ Juvenalis, significatione nomine satellitis simpliciter et absolute utitur Claudianus in lib. II in Rufinum: apud quem miles exercitûs Romani, ne *satelles*, id est, minister tyrannidis

Rufini imperium affectantis habeatur, eum factâ conjuratione interficit, in hæc verba erumpens :

. . . . . patiarne audire *satelles*
Qui leges aliis, libertatemque reduxi?

Hæc mea observatio notæ modum excessit, quia rem fusius explicari et rationem emendationis reddi opportebat : sed me operæ meæ non pigebit, si (ut futurum spero) meam emendationem lector est probaturus. H.

v. 149. Anxia præcipiti venisset epistola pennâ (vel pinnâ).]

Ubi vetus interpres : si victoriæ nuntiabantur, laurus in epistola Romam ad senatum missa figebatur; si autem quid adversi, *pinna* figebatur. Statius in lib. V Silvarum, carmine quo Abascantii in Priscillam conjugem pietatem commendat,

Omnia nam lætas pila attollentia frondes (*lætas frondes*, id est, *lauros*)
Nullaque famosâ signatur lancea *pennâ*.

(Sic enim lego pro *multaque*). Id est, undique boni nuntii ac fausti de Domitiani victoriis Romam advolant, et ipsi in armis etiam suis, in pilis et in lanceis, non in epistolis tantum, lauros gerunt, pinnas nunquam aut nusquam, quia nihil adversi ex ulla Imperii Romani provincia nuntiatur. H.

v. 153. Sed periit, postquam *cerdonibus* esse timendus
Cœperat : hoc nocuit *Lamiarum* cæde madenti.]

Id est, nimis serum heu! Domitianus sed dignum exitum fecit tunc, cùm omni ferme nobilitate exstinctâ vilissimo et ignobilissimo cuique formidabilis esse cœperat, ne et in se exerceret sævitiam suam, cùm nobiles deessent, quorum supplicio satiaretur. *Hoc ei nocuit* (satirica et mordax ταπείνωσις), id est, hæc ei mors nocuit et contigit madenti cæde Lamiarum aliorumque nobilium et patriciorum, cùm eas cædes antevertere debuisset. Et paullo ante cùm ait :

. . . . . claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas *impune et Vindice nullo*.

Id est, cùm nullus Vindex esset, qui, ut ille Neronis, sic

hujus calvi Neronis crudelitatem armis et apertâ defectione reprimeret, et removeret a gubernaculis reipublicæ. C.

NOTAE IN SATIRAM QUINTAM.

v. 1. Si te propositi nondum pudet atque eadem est mens,
Ut bona summa putes *alienâ* vivere *quadrâ*.]

Id est, *alieno pane*, cujus et fragmentum et pars quarta cùm proprie *quadra panis* vocaretur, usus etiam invaluit, ut nonnunquam simpliciter et absolute *quadra* diceretur: sicut loco superiori Juvenalis, et Virgilius in lib. VII Aeneidos:

Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, *patulis* nec parcere *quadris*.

In quem locum Servius ita ait: « *Quadris*, aut mensis, et est antonomasia; nam supra *orbem* dixit (ridicule, nam *orbem* absolute non dixit, quo nomine mensa designari potuisset, sed *orbem crusti*, id est, crustulum rotundum), aut quadris, fragmentis accipimus (supple panis). » Hanc posteriorem explicationem magis probo. Dicebatur autem *quadra panis* fragmentum panis, et proprie quarta pars ejus, ut *quadra* sectæ placentæ Martiali in lib. III, epigr. 35, in lib. VI, epigr. 74, *quadra placentæ*, et epigr. 92, lib. IX:

Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima *quadra* de placenta.

Item *quadra casei*, epigr. 32, lib. XII. Gregorius Turonensis, Episcopus, in lib. II, cap. 17: « Aspiciens eam in veste nigra « (conjugem beati Namatii Arvernorum Episcopi), senio jam « provectam, putavit esse unam de egentibus, protulitque « *quadram panis*, et posuit in sinu ejus, et abscessit. » Theodemarus in epistola ad Carolum Magnum, quam veram nec supposititiam a Francisco Pithoeo acceptam Jacobus de Brolio edidit: « Direximus quoque pondus quatuor librarum, ad cujus « æqualitatem ponderis panis debeat fieri, qui in *quaternos* « *quadros* singularum librarum, juxta sacrum textum regulæ « B. Patris nostri Benedicti, possit dividi. » Ex quo loco intelligimus *quadram panis*, quam *quadrum* vocat, proprie dici

quartam partem panis quadrifariam divisi, indeque nomen, non autem a figura quadrata habere, ut *quadrans* dicta est quarta pars assis. In duobus glossariis *quadra* βρῶμος vel βρῶμα, id est, esca, cibus, et βρῶσις dicitur significatione nimis vagâ. At in Onomastico vocum Latino-Græc. *quadra* redditur per vocem πίναξ, id est, tabula. H.

v. 9. . . . . Tantine injuria cœnæ (id est, damnum, jactura)?
Tam jejuna fames? cùm *possis* honestius illîc
Et tremere, et sordes farris mordere canini.]

Lego :

Tam jejuna fames (tua scilicet) cùm *possit* honestius illîc
Et tremere, et sordes farris mordere canini.

Nam in *possis* longa est syllaba secunda. Cùm *possit* honestius illîc et tremere, et sordes farris mordere canini. *Illîc*, id est, in ponte aliquo, vel in aliqua crepidine, ubi egentes mendicare solent. Nam Juvenalis supra dixit :

Nulla crepido vacat? nusquam pons?

H.

v. 25. . . . . *De* conviva Corybanta videbis.]

Legendum puto :

. . . . . *e* conviva Corybanta videbis.

H.

v. 37. . . . . Ipse capaces
Heliadum crustas, et inæquales *beryllos*
Virro tenet phialas, etc.]

Ita omnes. Lego :

. . . . . et inæquales *beryllis*
Virro tenet phialas, etc.

Sic apud Virgilium, lib. V Aeneidos :

Cymbiaque argento perfecta atque *aspera signis:*

sic et apud Claudianum de laudibus Stiliconis, lib. II, *Cingula baccis aspera* dicuntur. H.

v. 39. . . . . Tibi non committitur aurum,
Vel si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas.]

Hunc locum sic interpungo :

Vel si quando (supple committitur), datur custos affixus ibidem.

Cicero in Verrem, oratione IV: ut nuper apud L. Sisennam cùm essent triclinia strata, argentumque expositum in ædibus, accesserit ad argentum, contemplari unumquodque otiose et considerare cœperit (Verres), pueri autem Sisennæ oculos de isto nusquam dejicere, neque ab argento digitum discedere. C.

v. 52. . . . . Tibi pocula cursor
Gætulus dabit, aut *nigri* manus ossea *Mauri*.]

Luxuriosi olim divites puerorum Aethiopum ministerio usi sunt, ut testatur Herennius ostentatorem ineptum describens. Athenæus in descriptione convivii Cleopatræ; λαμπτηροφόρους Αἰθίοπας παῖδας παρίσησι· Tibullus et alii passim. C.

v. 90. Propter quod Romæ cùm *Boccare* nemo lavatur.]

Boccare, Numida aliquo, qui in balneis Romæ, cùm patrio oleo apto lucernis et male olenti ungeretur, fugabat omnes a communibus balneis, et absterrebat hoc odore, solusque lavabat et ungebatur.

Quod tutos etiam facit a *serpentibus atris*.

Lego omnino *serpentibus Afris*. Quid enim illud *serpentibus atris?* Sane *serpentes atros* nuspiam vidi, aut legi, aut audivi. *Afris* ergo substituo, *atris* valere jussis; id est, quod oleum solet etiam populares Numidas et *Afros* a *serpentibus suis* tutos præstare; eo enim oleo unctos tantum abest ut mordeant, ut ab iis statim longe fugituri sint et recessuri. Sane legisse memini *serpentes* malis odoribus procul fugari, nec probare possum explicationem nescio cujus, qui, cùm apud Plinium, Dioscoridem ac forte etiam Galenum legisset, ulceribus, quæ *serpunt* (ἕρπητας Græci vocant) *oleum triticeum* adhiberi; Juvenalem de *his* loqui putavit, *serpentibus atris:* at Juvenalis ait, *tutos facit a serpentibus atris*, non autem *sanat;* quod notandum est multum differre. Deinde *serpentia atra*, tam obscure scilicet nunquam vocaturus fuit Juvenalis *hæc ulcera;* adde sensum longe ac longe præstantiorem poëtæ dicentis oleum parasitis dari in condimentis, quo unctum Boccarem Romæ omnes fugiant, quo etiam unctum in Africa serpentes vitent. C.

v. 91. Quod tutos etiam facit a serpentibus *atris*.]

Sic omnes, non autem *Afris*. Hunc versum deesse in suo optimo et vetustissimo exemplari ait Pithoeus. H.

v. 104. Aut *glacie* aspersus maculis Tiberinus, et ipse
Vernula riparum, pinguis *torpente* cloaca, etc.]

Glacie, an est in glacie? an *glacii* pro *glaciei* aspersus maculis? Libenter legerem *glareæ*, ut concolores maculas Tiberini *glareæ* (*au gravier*) poëta faceret, nisi in glarea prima longa obstaret. Vel certe legerem;

Aut *glanii* aspersus maculis, etc.

Ut piscis nomine Tiberinus habeat maculas concolores maculis *glanii* piscis marini. *Glanius* memoratur Plinio lib. XXXII, cap. 7 et ultimo. Porro legendum non est *torpente cloaca*, sed *torrente*, ex Plinio in cap. 15, lib. XXXVI. Ibi enim corrivati septem amnes cursu præcipiti *torrentium* modo rapiunt atque auferunt omnia; insuper imbribus concitati vada ac littora quatiunt: aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus, etc. Ergo

. . . . . pinguis *torrente* cloaca,

dictum quasi per admirationem, ut in aqua torrente piscis Tiberinus sit tamen pinguis, tanquam in torpente et pigra ac mortua. Juvenalis Pithoeanæ editionis, et Rigaltianæ, et meus editionis Lugduni-Batavorum anni 1600, habent *torrente* cloaca. De Tiberino pisce aliqua notavi apud Galenum, qui Romæ versatus est, et an is lupus sit. Potest et apud Juvenalem, et apud Plinium loco citato legi *gladius* pro *glanius* et apud Juvenalem pro *glanii*, *gladii* aspersus maculis, ut sit xiphias piscis marinus, Aeliano memoratus, quem Theodorus *gladium* interpretatur. H.

v. 135. Da Trebio, pone ad Trebium, vis frater ab ipsis
Ilibus?]

Ab pro *de* hîc posuit Juvenalis, et *ipsis* pro *his* aut *istis*. Vin', aut visne, frater, de istis ilibus aliquid gustare, aliquid tibi apponi, tibi dari? Vis aliquid de istis aut de his ilibus, frater?

At Juvenalis dixit minus Latine; vis, frater, aliquid ab ipsis ilibus? Nam aliquid hîc subauditur omnino. H.

v. 153. Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parmâ et galeâ, metuensque flagelli
Discit ab hirsuto jaculum torquere *capella*.]

Juvenalis militem Romanum in aggere castrorum mala scabiosa rodentem, et metuentem vitis centurionis sui inducit. P. Pithoei editio Parisiensis anni 1585, et editio Lugduno-Batava anni 1600, et aliæ habent *hirsuta capella :* id est, a centurione hirsuto ac piloso. Hirsuti Romæ *capellæ* aut *capræ* per jocum ac derisum vulgo vocitabantur. Caius Suetonius Tranquillus in C. Cæsare Caligulâ, cap. L: Fuit capillo raro ac circa verticem nullo, hirsutus cætera (Caligula). Quare, transeunte eo, prospicere ex superiore parte (hoc ad calvitiem verticis pertinet), aut omnino quacumque de causa *capram* nominare (hoc ad pilos genarum et hirsuti corporis pertinet), criminosum et exitiale habebatur. Hinc omnino Marcianus *Capella* cognominatus est, et multi alii. Juvenalis, satirâ XIV, *vitem poscenti* libello (id est, centuriatum) *caput intactum buxo*, *nares pilosas*, et *grandes alas*, id est, hirsutas attribuit : minus ut mireris centurionem supra ab eodem Juvenale *Capellam hirsutum* vocari. H.

NOTAE IN SATIRAM SEXTAM.

Hæc satira in veteri codice Cadurcensi inscripta est L. *Fursedio*, Postumo (ait Pithoeus), sed male. Nam poëta ipse *Ursidium* vocat :

Sed placet *Ursidio* lex Julia.

Item :

. . . . . si jungitur ulla
Ursidio?

Ibidem :

Certe sanus eras, uxorem, *Postume*, ducis?

dicebatur ergo Ursidius Postumus. H.

v. 19. Paullatim deinde ad superos *Astræa* recessit
Hac comite, atque duæ pariter fugere sorores.]

Astræa, Δικαιοσύνη ἀς Ἰουβενάλιος, ut legimus in glossario Latino-Græco veteri. At hunc locum ita interspunge:

. . . . . Astræa recessit,
Hac comite atque duæ pariter fugere sorores,

id est, et hac comite pariter duæ sorores aufugerunt. H.

v. 25. Conventum tamen, et pactum, et sponsalia nostrâ
Tempestate paras: jamque a tonsore *magistro*
Pecteris, et digito pignus fortasse dedisti.

Ita, puto, omnes libri Juvenalis habent cum scripti tum editi. Mihi tamen persuadere non poteram tonsorem *magistrum* sanum esse aut sine menda, pro tonsore libero, Romæ officinam suam aut tonstrinam habente, qualem nos vulgo dicimus, *un maître barbier*. Quare olim emendabam, *tonsore ministro*. Vetus tamen interpres exhibet in notis, *tonsore magistro*. Forte *tonsorem magistrum* Juvenalis appellavit hominem tondendi peritissimum, qui suam artem docere alios posset. H.

v. 28. Certe sanus eras. Uxorem, Postume, ducis?
Dic, quâ Tisiphone, quibus *exagitare* colubris?]

Forte melius:

Dic, quâ Tisiphone, quibus *exagitate* colubris
Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam?

H.

v. 41. Quid fieri non posse putes, si jungitur ulla
Ursidio? si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capistro.]

Id est, si velit nubere ulla Ursidio mœchari solito, et si Ursidius, olim mœchorum notissimus, velit subire leges matrimonii, et continens esse atque uxorius. Putabam locum hunc satiræ nonæ de eo dictum,

Notior *Aufidio* mœchus celebrare solebas,

et legebam notior *Ursidio* mœchus, etc. levi mutatione unius aut alterius litterulæ. Tu notior mœchus Ursidio notissimo

mœchorum. Potest tamen quilibet priscam lectionem retinere, si velit. H.

v. 44. Quem toties texit *perituri* cista Latini?]

Legendum forte est *perjuri*: nisi *periturum* referamus ad mortis discrimen in quo versatur mœchus superveniente marito. H.

v. 51. *Quarum* non timeat pater *oscula.*]

A. Gellius, lib. X, cap. 23 ex Catone, refert mulieres olim Romæ atque in Latio abstemias fuisse; institutumque, ut *cognatis osculum* ferrent, deprehendendi causâ, ut odor indicium faceret, si bibissent. Malo tamen de *famosis* intelligere, quas cognati *non osculabantur.* Cicero in fragm. 4, de Republ. « Atque etiam si qua erat famosa, ei cognatio osculum non « ferebat; » nisi hæc de spurcis et impuris fellatricibus intelligamus. C.

v. 56. . . . . Vivat Gabiis, ut vixit in agro,
Vivat Fidenis.]

Ego notavi in mediocribus Galliæ urbibus, licet capitibus gentium, amphitheatra et theatra, ac arenas et circos olim sub Romanis Impp. fuisse, ut Parisiis, Suessionis, Meldis, Pictavis, ubique. Vide Notitiam meam Galliarum. Fuit autem Fidenis amphitheatrum Tiberii saltem principatu; fuit tum forsitan etiam et Gabiis. Spectaculis autem publicis mulieres maxime corrumpi solebant, uti omnes antiquarii sciunt. Vult ergo dicere Juvenalis, mulierem quæ in rure suo paterno caste continenterque vixit, si Gabios aut Fidenas se conferat, ne in his quidem urbeculis ac ferme vicis eamdem castitatem ac continentiam esse servaturam. H.

v. 70. Personam, thyrsumque tenent et subligar *Acne.*]

Ita habet Pithoeus, et vetus interpres explicat hoc *vestem tragœdi.* Sed *Acne* nomen ignotum. Cæteri habent:

. . . . . et subligar Accî,

melius omnino. H.

v. 76. Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, ambrosius*que* choraules.]

Lego ambrosius*ve* : quæ lectio retineri debet. H.

v. 78. Longa per angustos *figamus* pulpita vicos,
Ornentur postes, et grandi janua lauro,
Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.]

Id est, duc uxorem, Lentule, ut ex uxoris tuæ adulterio nascatur infans simillimus patris sui Euryali mirmillonis. Et hinc discimus in vicis, qui Romæ angusti erant, secundum parietes magnarum domorum pulpita longa tumultuarie facta erectaque (secundum parietes domorum, inquam, non transversis vicis, ne transeuntibus impedimento essent; quod et significat vox *longa;* nec enim quidquam angustiis utrimque circumclusum *longum* esse potest, latum autem multo minus), in quibus pulpitis poëtæ epithalamia a se composita recitarent, quoties aliquis inter principes civitatis uxorem duxerat. Cæterum, pro *figamus* lego *figantur*. Varro, cap. 11, lib. II, de Re Rustica : quæ ostenderent *fœtas nostras*, quæ in *conopeis* jacent dies aliquot, esse *lenuncidas* ac contemnendas. Loquitur de matribusfamilias Liburnis : alias, *ejuncidas* ex cap. 31. Ab Aegyptiis, qui culicibus ob maris et paludum vicinitatem maxime infestantur, inventum fuit *conopeum*, ut ait Scaliger, in lib. III Propertii. Addo ego fœtas in *conopeis* Romanas opulentas jacuisse ex Varrone et Juvenale. C.

v. 108. Attritus *galeâ*, mediisque in naribus ingens
Gibbus.]

Hæc plane vitiosa : *gibbus in mediis naribus attritus galeâ :* quasi galea vetus Romana usque ad medias nares pertingere, ibique gibbum aut creare, aut incumbendo premere potuerit. Sic ego Juvenalem emendo :

Attritus *galeæ*, mediisque in naribus ingens
Gibbus,

Tria hîc vitia in facie Sergii gladiatoris notat Juvenalis : quorum primum est frons galeâ attrita ac sulcata ; alterum, ingens

gibbus in medio naso : ultimum, oculi lacrymantes. Primum illud vitium pro *attritu frontis attritum galeæ* vocavit Juvenalis, hoc est, attritum a galea fronti invectum, seu crebro ferreæ galeæ usu nimioque pondere fronti impressum. Hac emendatione nihil certius. H.

v. 122. . . . . Tunc nuda *papillis*
Prostitit auratis.]

Sic Pithoeus et Rigaltius, bene : at Raphelengius, *constitit*, minus bene. *Papillis* habent omnes editiones, at male omnino. Lego omnium primus :

. . . . . *capillis*
Prostitit auratis,

certissimâ conjecturâ. Nimirum *flavo galero* tecta ; qui color capillorum et *aureus* vocatur Apuleio, ni fallor. Nam quid est, nuda *papillis* prostitit *auratis ?* Quid sunt *papillæ auratæ ?* Nulli enim pili in papillis, neque nuda femina papillas auro tegebat, quod non diceretur *aurare ;* et hæ comæ *flavæ* forte etiam ramentis auri ad ornatum inspersæ erant, ut Commodum Imp. et alios fecisse legimus. Nisi forte per *papillas auratas* intelligat poëta *papillas annulo* aut circulo aliquo *aureo* inclusas et cohibitas ad ornatum, et ut firmiores sint tactuque gratiores. Sed prior sensus mihi magis arridet. C.

v. 127. Mox lenone suas jam dimittente puellas
Tristis abît, *et* quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ.]

Sic Pithoeus et Rigaltius edidêre : at Raphelengius, *sed* quod potuit, etc. Ibidem :

Et lassata viris, *nec dum* satiata recessit.

Sic Pithoeus edidit, sic et Rigaltius: Raphelengius vero *nondum*, minus bene. H.

v. 157. . . . . Hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippà sorori.]

Berenicæ, quam modo Βερενίκην, modo Βερνίκην vocat Josephus. Hic autem *Agrippa* rex erat filius regis Agrippæ, nepos Aris-

tobuli, quem pater Herodes Magnus jussit occidi; Herodis Magni pronepos: de quo lib. XX et ultimo Antiquitatum Judaicarum et in libris de Bello Judaico passim legitur. Agrippæ hujus sorores tres erant; Βερνίκη quæ Herodi Tetrarchæ patruo suo nupsit nata annos sexdecim; Μαριάμμη et Δρουσίλλα ex cap. ultimo lib. XIX Antiquitatum Judaic. quæ Drusilla, φύγειν τὸν ἐκ τῆς ἀδελφῆς Βερνίκης βουλομένη φθόνον, διὰ γὰρ τὸ κάλλος παρ' ἐκείνης ἐν ὀυκ ὀλίγους ἐβλάπτετο, nupsit Claudio Felici, Pallantis fratri, Syriæ præsidi, spretis ritibus patriis. Βερνίκη δὲ μετὰ τὴν Ἡρώδου τελεύτὴν ὃς ἀυτῆς ἀνὴρ καὶ θεῖος ἐγεγόνει (de quo duos liberos susceperat Bernicianum et Hyrcanum), πολὺν χρόνον ἐπιχηρεύσασα, φήμης ἐπισχεύσης, ὅτι τ'ἀδελφῷ (Agrippæ scilicet, unico fratri) συνήει, πείθει Πολέμονα Κιλικίας βασιλέα, περιτεμόμενον ἄγεσθαι προς γάμον αὐτὴν, ὀυτως γὰρ ἐλέγξειν ὤετο ψευδεις τὰς διαβολὰς; et eum paullo post reliquit propter intemperantiam; ut patet ex cap. 5, lib. XX Antiquit. Judaic. Hæc postea Romam ad Titum venit, cum Agrippa fratre, cui Prætoria ornamenta dedit; interjectoque aliquantulo temporis spatio eam Titus Imperator, cui nuptias pollicitus ferebatur, dimisit invitus invitam ob rumores vulgi; ut testantur Dio et Suetonius in Tito. C.

v. 158. Observant ubi festa *mero pede* sabbata reges.]

Id est, ubi reges observant festa sabbata, seu septimum quemque diem ignaviâ et desidiâ sacrum habent, cessando servant, *mero pede* (novum genus loquendi), id est, non *moto pede*: scilicet, ut *aqua mera*, *vinum merum*, etc. *mera* enim dicuntur, quæ *mixta* non sunt. Sic *pes merus* dici potest, qui non *miscetur* seu *movetur*. *Miscere* autem pedes apud poëtas dicuntur ingredientes, maxime saltantes. Hic sensus hujus elocutionis aliis ante, ut puto, incognitus, mihi primum apparuit. Nam *mero pede* pro *nudo pede* non placet, etsi multi hunc locum ita interpretati sint. Quis unquam *merum hominem* dixit pro *homine nudo*? At *mere nudum hominem*, *puellam mere nudam* Latini dixêre; *merum hominem*, *meram puellam* eodem sensu nemo, nisi barbarus et ignarus. C.

v. 167. Malo Venusinam, quàm te, Cornelia mater

Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.]

Id est, quæ non solum dotem suam numerat marito, sed nobilitatem gentis suæ, triumphos atavorum, consulatus, dictaturas, censuras, iisque stolide intumescit. H.

v. 175. Extulit ergo *gregem natorum*.]

Homerus pueros puellasque Niobes *bis senos* dicit fuisse, Euripides *bis septenos*, Ovidius, lib. VI Metamorph. *septem filios totidemque filias*, Sappho *bis novenos*, Bacchylides et Pindarus *bis denos*. Quidam alii scriptores tres fuisse solos dixerunt, ut ait A. Gellius, cap. 6, lib. XX. Ego secundum eos sentio, qui majorem numerum ponunt; Juvenalis certe hîc *gregem natorum* vocat, meamque confirmat opinionem. Locus Homeri est Λ. ω.

. . . . . Νιόβη ἐμνήσατο σίτου,
Τῆπερ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάρσιν ὄλοντο
Ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες. C.

v. 181. . . . . Quis deditus autem
Usque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inque *dies* septenis oderit horis?]

Lege ex me : inque *die*, scilicet, *uno quoque die*. Id est, Quis ita uxori deditus est, quis ita uxorius est, ut non *quotidie* per septem horas uxorem suam, quantumlibet alias et laudatam sibi et amatam, oderit. C.

v. 196. . . . . Quod enim non *excitet* inguen
Vox blanda et nequam? digitos habet.]

Ita Pithoeus, bene : sic et Raphelengius, nisi quod habet *excitat*. Ibidem :

. . . . . ut tamen omnes
Subsidant pennæ, dicas hæc mollius Aemo
Quanquam et Carpophoro, facies tua computat annos.

Sic Pithoeus, Rigaltius et Raphelengius : quæ ego ita emendo :

. . . . . et tamen omnes
Subsident pennæ, etc. (seu *penes*).

Hoc est, licet ζωὴ καὶ ψυχὴ mollissime dicas, ô vetula, tamen super te omnes penes jacebunt, quia facies tua annos tuos, ac senium tuum indicat, et quemquam vetat ad te arrigere. H.

v. 255. Quale decus, rerum si conjugis auctio fiat,
Balteus et manicæ, et cristæ, crurisque sinistri
Dimidium tegmen.]

Ita interpungo, et Lipsius ita legit, id est, quale decus, si auctio fiat rerum conjugis tuæ viventis, quale, inquam, decus ejus supellectilis erunt balteus, manicæ, cristæ, femoralia, quæ supellex scilicet alicujus militis aut gladiatoris esse debet, non feminæ?

. . . . . vel si diversa movebit
Prælia,

id est, vel si aliam armaturam eligat : nam varii erant ordines et nomina et armaturæ gladiatorum.

. . . . . Tu felix ocreas vendente *puellâ*.

O fortunatum te, cujus *uxor* ocreas suas vendit! Sic et sat. II :

Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto, dederit vivus cur multa *puellæ*,

id est, uxori suæ. H.

v. 259. *Hæ* sunt, quæ tenui sudant in cyclade, etc.]

Bene, id est : hæ ludiæ et gladiatrices, quæ virilibus exercitationibus gaudent, eædem, inquam, tenuem cycladem et vestem Coam ac Bombycinam, quod mireris, ferre non possunt. Hæ ipsæ sunt, quæ, etc. Sic Pithoeus, et Rigaltius : at Raphelengius,

Hæc sunt, quæ tenui sudant in Cyclade,

male omnino. H.

v. 264. Et ride, positis *scaphium* cùm sumitur armis.]

Vetus interpres Juvenalis explicat *vas potorium* aut pocu-

lum; male : quid enim hîc ridiculum vel in viro, si post longam et laboriosam exercitationem fessus bibat? Designat omnino *scaphii* nomine Juvenalis *matellam*, non ornamentum capitis, *escofion* vulgo dictum a *scaphio*. Magis enim derideri potuere et debuere mulieres, quæ post gladiatorias exercitationes matellam sumebant palam, ut meierent, quàm quæ muliebria capitis ornamenta resumerent. H.

v. 273. Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque exspectantibus *illam*,
Quo jubeat manare modo.]

Lego :

. . . . . atque exspectantibus, *illas*
Quo jubeat manare modo,

id est, quo modo *se* manare velit. Quis enim dicat lacrymas exspectare mulierem, quo modo jubeat. H.

v. 306. I nunc, et dubita *quâ* sorbeat aëra *sannâ*
Tullia.]

Ammianus Marcellinus, lib. XIV, cap. 6, ait plebeios pugnaciter aleis certare, *turpi sono fragosis* (*rugosis* malo) *naribus introrsum reducto spiritu concrepantes*. Hoc est, quod ait Petrus Alexandrinus Episcopus in epistola ad Ecclesias de Lucio pseudo-episcopo Ariano, et militibus in Ecclesiam ab eo introductis (hanc Petri Alexandrini Episcopi epistolam vide apud Theodoritum Eccl. Hist. lib. IV, cap. 22.): Αὐτοὶ τοίνυν ὗτοι ὀργῆς σκεύη τυγχάνοντες, κατερτισμένα εἰς ἀπωλειαν, τὴν ῥῖνα σιμώσαντες, ψόφον ἀσελγῆ διὰ τῶν μυκτήρων μακρὸν, καὶ ἵν' ὕτως εἴπω, ὡς ἀπὸ κρουνοῦ προχέοντες, τὴν μὲν ἐσθῆτα διέῤῥησσον τῶν ἁγίων Χριστοῦ παρθένων ὧν ἡ ἄσκησις τύπον ἁγίων ἀγγέλων ἐχαρακτήριζεν· Isti vero, utpote vasa iræ ad exitium præparata, expanso naso turpem sonum per nares edentes, et tubis, ut ita dicam, ac fistulis procul emittentes, sanctarum Christi virginum vestem discinderunt; quarum continentia sanctorum Angelorum similitudinem exprimebat. Sic Severus Minoricensis Episcopus æqualis Honorii Aug. in epistola data ad omnes Episcopos de Meletio quodam, et adjecit etiam illud, ut verba quædam profana et

turpia loquéretur, *et nunc naribus corrugatis aërem sorbens, inhonestos strepitus promeret* (id est, *ederet;* sic omnino, ut Juvenalis Tullia); nunc fœtidis risibus cachinnaretur. Hæc Severi Minoric. Episc. epistola affertur a doctissimo Card. Baronio in tom. Annal. V, ad annum Christi 418. C.

v. 307. Tullia, quid dicat notæ collactea Mauræ,
Maura Pudicitiæ veterem cùm præterit aram.]

Sic Rigaltius et Raphelengius. Deerat in vetustissimo exemplari Pithoei primus hic versus. H.

v. 320. Lenonum ancillas positâ Laufella coronâ
Provocat, *et tollit* pendentis præmia coxæ.]

Id est, tollit coronam præmium coitûs, victis ancillis multitudine concubitûs. *Pendentis coxæ*, idem quod apud Apuleium *pendulæ Veneris*. « Photis spinam mobilem quatiens, ac « super me crebro subsiliens pendulæ Veneris me fructu sa- « tiavit. » P. Pithoeus habet attŏllit, male, pro *ac tollit* aut *et tollit* pendentis præmia coxæ. Præmia autem, id est, coronam positam in medio ex poëta. H.

v. 322. Ipsa Medullinæ *fluctum* crissantis adorat.]

Ita P. Pithoeus, ita Rigaltius et vetus interpres ita legit, ac explicat motum sive sinum obscœnum. At Raphelengius habet *frictum*, male. Adorat, id est, admiratur, osculatur sinuata femina Medullinæ. Ego *fluctu, frictuque* sepositis, legendum omnino puto *rictum;* quid autem *rictus* significet apud Martialem aliosque passim, nemo nescit. Sed hactenus de re tam turpi: nam si plura adjiciam, te violem, ô Pudor! C.

v. 329. Jam fas est; admitte viros: jam dormit adulter.
Illa jubet sumpto juvenem properare cucullo.]

Sic Pithoeus et Rigaltius et alii bene : at Raphelengius *dormitat* adulter, male. H.

v. 371. Ergo exspectatos ac jussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum *rapit* Heliodorus.]

Id est, *avellit*, excidit chirurgus, solius tonsoris damno.

Nam in spadonis genis barba non crescet, nihilque erit, quod ibi agat tonsor, aut medicus. Sic, sat. I, versu 135 :

Optima silvarum interea, pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque toris *tantum* ipse jacebit.

Loquitur de divite lurcone et decoctore : *tantum* ipse, id est, ipse solus, ut supra tonsoris *tantum*, pro solius vel unius tonsoris damno : quæ parum Latina sunt omnino. H.

v. 377. . . . . Sed tu jam durum, Postume, jamque
Tondendum eunucho *Bromium* committere noli.]

Id est, huic spadoni, qui consuevit uxori tuæ, capillatum tuum instar Bacchi concubinum, sed jam exoletum et prædurum noli committere; ne et a spadone ut uxor tua corrumpatur. Hic est omnino sensus planissimus. At Scaliger *Bromium eunucho committere*, ἐυνουχίζειν οἶνον putat : παραλόγως. C.

v. 391. . . . . Dictataque verba
Pertulit, ut mos est.]

Ita Pithoeus, ita Rigaltius. Sic vetus interpres, *pertulit* ad Deos, secundum consuetudinem explicat. At Raphelengius *protulit*, ut mos est, forte melius. H.

v. 400. Cùmque paludatis ducibus præsente marito
Ipsa loqui rectâ facie, *strictis*que mamillis.]

Lego, *rectisque mamillis*, et ita omnino legendum, non *strictis* : quid enim illud est *strophio revinctis* ? sed *rectis*, id est, *stantibus*, ut nudatas intelligi oporteat; et elegans allusio est. Forte quoque scripserat Juvenalis *exertisque mamillis*, scilicet *exertis e sinu*, quod unum idemque est cum *rectis*. Novi nobilem quemdam ac notæ probitatis virum, qui mihi narrabat aliquando se in cubiculum Magnatis unius intromissum fuisse, cujus uxor, ante focum stans, marito præsente, quocum ipse disserebat, indusium ad talos usque dejecerit, nudataque omnino coram ipsis aliquantulum temporis remanserit, donec indusium aliud una ex famulabus calefactum subministraret. Adjiciebat inverecundiam mulieris sibi ruborem commovisse, ipsâ non erubescente, viroque aut non curante,

aut saltem dissimulante. Femina erat egregiæ formæ, et corpore perpulchro, niveque ipsâ candidiore, uti ille memorabat. Nil igitur mirum, tam parum frontis in ethnicis ipsisque lascivis feminis olim fuisse; cùm idem nostrâ ætate a Christiana, nobili, casta (etsi suspicari fas sit) muliere perpetrari videamus. C.

v. 404. . . . . Quis *diripiatur* adulter?]

Quis spolietur a mœcha, quis ab amica sua denudetur? Ita Pithoeus, ita Rigaltius. Sic et vetus interpres. *Quis deripiatur adulter?* explicat male, quis ad pœnam raptus est? *Decipiatur* adulter, legit Raphelengius, male. H.

v. 422. Callidus et *cristæ* digitos impressit aliptes,
Ac summum dominæ femur *exclamare* coëgit.]

Cristæ, id est, labro pudendi, quod a colore *cristæ* galli gallinacei *cristam* vocat, quod si digito trahas, necesse sit summum femur, id est, pudendum vel naturalia resonare, seu *exclamare*, ut vocat, ac ποππύζειν. Sic Martialis, lib. VII, epigram. 18. Sic Juvenalis *exclamare* dicit cunnum, id est, *resonare*: et Statius *exclamare* ignem, qui crepitat, dicit lib. VI Thebaïdos:

Jam face subjectâ primis in frondibus ignis
Exclamat,

et lib. X Thebaïdos:

Ne gravis *exclamet* portæ mugitus ahenæ.

H.

v. 449. . . . . *Curtum* sermone rotato
Torqueat enthymema.]

Sic Rigaltius, bene: at *curvum*, Pithoeus et Raphelengius, male. H.

v. 459. Auribus *extentis*.]

Ita Pithoeus et Rigaltius; at *extensis*, Raphelengius. H.

v. 461. Interea fœda aspectu ridendaque multo
Pane tumet facies, et pinguia *Poppæana*
Spirat.]

Poppæanum non unguentum est, sed medicamentum ad

faciem erugandam et expoliendam cutem (nec enim bene olet); quod ex lacte asinæ et pane madido fiebat; *Poppææ* Neronis uxoris inventum. Ut mulieres ergo, sic et viri molles *panis madidi* ceu juris collyrici illitu genis splendorem conciliabant; unde Juvenalis paullo post *coctæ siliginis offas* vocat; ex pane enim siligineo id fiebat. Sic de Othone, sat. II:

Et pressum in facie digitis extendere panem.

Sic Suetonius in Othone, cap. 12. « Quin et faciem quotidie « rasitare, ac pane madido linere consuetum. » *Collyridas* vocat Tertullianus de cultu mulierum a succo crassiore. C.

v. 464. Ad mœchum lotâ *veniunt* cute.]

Sic Pithoeus et Rigaltius : at Raphelengius *veniet*, sat bene ex conjectura. H.

v. 474. Est *pretium curæ* penitus cognoscere toto, etc.]

Sic Pithoeus et Rigaltius, bene : at Raphelengius, est *operæ pretium* ex conjectura. H.

v. 476. . . . . Periit libraria.]

Sic omnes, et vetus interpres ipse *lanipendia* explicat contra meam emendationem, *pueri tibialia ponunt*. Cosmetæ tunicas, scilicet ut vapulent, qui ornamentis præsunt. Sed forte *periit libraria* est, actum est de libraria, vapulet necesse est aut verberetur. H.

v. 497. Est in consilio materna *admotaque* lanis.]

Sic omnes, non *amotaque* lanis; quæ cessat, id est, matris lanipendia, aut liberta, aut ornatrix, nunc cessat seu veterana et emerita, ac prima a dominis consulitur de ornamentis capitis; prima ferț de omnibus sententiam, *materna admotaque lanis*, id est, quæ matris lanipendia et ornatrix fuit, nunc est emerita. Codex Cadurcensis vetus habet, *amotaque lanis*, ex Pithoeo, bene; ut postea ex ipso Juvenale,

Emeritâ quæ cessat acu.

Materna autem lege, non *matrona;* ut male quædam editiones habent. H.

v. 502. Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput; Andromachen (erat longissima
ex Ovidio Hectoris uxor) *a fronte* videbis
***Post* minor est, aliam credas.]**

Post, id est, retro, a tergo, aversa. Irridet Juvenalis morem qui ætate suâ primum cœpit, ut ex solis nummis discimus; nimirum Trajano Imperante, et annos circiter quadraginta duravit. Plotina enim Augusta Trajani Augusti uxor habet *a fronte* in modum turriculæ vel turbanti capillum elatum admodum, *retro* autem depressum et in varios orbes volutum. Tamen in nummo Græco Domitiæ Augustæ Domitiani Aug. conjugis ab Ephesiis et Smyrnæis percusso, Domitia habet anteriorem capillum in quatuor orbes volutum et elatum. Marciana Augusta soror Imperatoris Trajani *a fronte* duas ejusmodi eminentias, velut duos grandes modulos, habet alteram post alteram, ab una aure ad alteram pertinentes, crescentesque, donec ad mediam frontem perveniant, quarum priore posterior excelsior et altior est: *retro* autem capillum, ut Plotina, in orbes volutum habet. Matidia Augusta Divæ Marcianæ filia, ut mater sua Marciana compta est. Plotina Trajani Imperatoris uxor capillos anteriores in altum suggestum exaggeratos et duabus fasciis inclusos habet in nummo Hadriani, in quo cum viro suo Trajano cernitur, cum inscriptione: DIVIS PARENTIBVS. Sabina Augusta Hadriani Augusti conjux, filia Matidiæ, Marcianæ Trajani Augusti sororis neptis, capillos anteriores nequaquam plexos, ac in unum tantum veluti suggestum exaggeratos et fasciâ compressos habet, posteriorés autem depressiores ac plexos, et variis orbibus distinctos ex nummis. Sed Annia Galeria Faustina Annii Veri filia, L. Aelii Cæsaris soror formosissima femina Antonini Pii Augusti uxor hunc morem prima damnavit, ut invenustum, et cæteræ eam matronæ secutæ sunt. Faustina Augusta ejus filia, Marci Aurelii Antonini Augusti uxor, et Lucilla uxor L. Aurelii Veri Augusti, M. Aurelii Antonini et Faustinæ filia, nihil a fronte editum habent, sed omnem capillum in gradus aliæ, aliæ in annulos fractum ac bene compositum, retro decenter in tres aut quatuor orbiculos desi-

nentem, ita et Crispina Commodi uxor et aliæ : nec postea hic mos repetitus est. Juvenalis ergo hos versus probe nummi explicant. H.

v. 514. Mollia qui *ruptâ* secuit genitalia *testâ*.]

Lego *rubrâ*, non *ruptâ* : *Samiâ* enim *testâ* Galli Matris Deûm sacerdotes virilitatem amputabant, ut ait Plinius. H.

v. 519. Et xerampelinas veteres donaverit *ipsi*,
Ut quidquid subiti, et magni discriminis instat,
In tunicas eat, et totum semel expiet annum.]

Lege ex me indubie : xerampelinas veteres donaverit *igni*. Sic in satira septima :

. . . . . Et quæ
Componis, dona *Veneris*, Telesine, *marito*.

Id est, Vulcano, igni. H.

v. 524. . . . . Inde *Superbi*
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus.]

Id est, *Campum Martium* ex me, quem, cùm prius Tarquinii Superbi ager fuisset, Marti Brutus consecravit. Christiani ætate Prudentii *Apostolorum et Martyrum exosculabantur limina*. Et Pippinus Francorum rex, cùm Romam adîsset aliquando, *omnes gradus singillatim sacratissimæ B. Petri Ecclesiæ*, teste Anastasio, *deosculatus est*. « Vidimus haud raro mulieres « *reptando in genua* non solum ad Scalam sanctam, ad quam « vix unquam aliter ascenditur, sed etiam ad Sanctam Mariam « Majorem, et ad Basilicam, quæ Ara Cœli dicitur, *ex vicinis* « *domibus progredi;* » ait vir doctissimus Dominus Johan. Mabilio, in suo Itinere Italico, pagina 50. C.

v. 533. Qui grege *linigero* circumdatus.]

Sic omnes fere : tamen Pithoeus ait legi in tribus codicibus, quorum primus vetustissimus est, *lanigero*, quod præfert et reponi vult. H.

v. 535. Ille petit veniam quoties non abstinet uxor
Concubitu, sacris observandisque diebus;
Magnaque debetur *violato* pœna *cadurco*.]

Isidorus in glossis explicat *cadurcum* aut *cardudum* (seu potius *cadurdum*) membrum feminæ; et *carduda*, *cadurda*, inquam, labra pudendi muliebris, vel spondam lecti, ubi legendum *cadurca*. Et frater meus ita vult intelligi de mulieribus, quæ castum Isidis non servârant pure. Certe hîc Juvenalis *cadurcum* ponit pro ea parte, quâ mulier est, non vero pro sponda lecti, aut pro lecto; mirorque hoc interpretes omnes latuisse. H.

v. 551. Pectora pullorum rimabitur, exta catelli,
Interdum et pueri : faciet quod deferat ipse.]

Diis Manibus evocandis ab haruspice Commageno rem divinam factam intelligit Parrhasius, male. Nunquam enim, quod sciam, haruspex evocat Manes; ejus enim est tantum ex inspectione extorum futura prædicere. Pausanias ait *neminem* (nisi Thrasibulum augurem et vatem arcano et peculiari ritu) *exta canis consuluisse;* ut ego sic legendum putem :

. . . . . exta catelli
Interdum, et pueri: faciet, quod deferat ipse,

id est, patrabit infanticidium, quod indicio suo postea detegat, ut præmium delationis consequatur. C.

v. 560. Inde fides *artis*, sonuit si dextera ferro
Lævaque, si longo castrorum in carcere mansit.]

Sic Pithoeus et Rigaltius; at Raphelengius, *inde fides arti*. H.

v. 569. *Hæc* tamen ignorat quid sidus triste minatur
Saturni.]

Hæc, quæ, ut supra dixit, de morte matris uterinæ et viri sui et sororis ac patruorum Chaldæos vel Astrologos consulit. Ita Pithoeus et Rigaltius et Raphelengius ac cæteri, bene; nec legendum est, *nec* tamen ignorat, ut olim putaveram, nam

statim post loquitur Juvenalis de altera muliere doctiore, his verbis :

Illius occursus etiam vitare memento
In cujus manibus ceu, etc.

Quæ nullum consulit (ut superior consulit Astrologos), *et jam consulitur.* H.

v. 575. . . . . Quæ castra viro *patriamque* petente
Non ibit pariter.]

Id est, simul. Sic Pithoeus, Rigaltius, Raphelengius : at omnino legendum ex me, *patriamve :* nam castra a patria distinguuntur. H.

v. 580. Aegra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.]

S. Aug. in Expos. Epist. ad Gal. cap. 4, *hos dies Aegyptiacos* vocari ait, in quibus aliquid inchoari aut ædificiorum, aut hujusmodi quorumlibet operum infaustum putabant : ita autem dicebantur ab *Aegyptiis* observationis hujus auctoribus. Amm. videtur omnino ad hunc locum respexisse. Multi apud eos negant esse superas potestates in cœlo, nec in publicum prodeunt, nec prandent, nec lavari arbitrantur se cautius posse, antequam *ephemeride* scrupulosissime *sciscitatâ* didicerint, ubi sit v. g. signum Mercurii, vel quantam Cancri sideris partem, polum discurrens, obtineat luna. C.

v. 585. Divitibus responsa *dabunt* Phryx augur et inde
Conductus dabit astrorum mundique peritus.]

Sic Pithoeus et Rigaltius : at Raphelengius, *divitibus responsa dabit,* melius ut videtur, scilicet *Augur Phryx* et *e Phrygia conductus,* qui unus idemque est. H.

v. 618. Ardebant cuncta et *fractâ* compage ruebant.]

Sic P. Pithoeus et Rigaltius et cæteri, bene : at Raphelengius, *factâ* compage, male ex typographia Plantiniana. H.

v. 661. *Pontica ter victi* cautus *medicamina regis.*]

Mithridatis ter victi, nempe a Sylla, Lucullo et Pompeio.

A. Gellius lib. XVII, cap. 16 : « *Anatês Ponticas* dicitur edundis « vulgo venenis victitare. Scriptum etiam a Lenæo Cn. Pompeii « liberto, *Mithridatem illum Ponti regem*, medicinæ rei et reme- « diorum id genus solertem fuisse, *solitumque earum sanguinem* « *miscere medicamentis, quæ digerendis venenis valent, eumque* « *sanguinem vel potentissimum esse in ea confectione* : ipsum « autem regem assiduo talium medelarum usu a clandestinis « epularum insidiis cavisse. » Et Paullo post. « Hujus regis an- « tidotus celebratissima est, quæ *Mithridatios* vocatur. » Hinc *Pontica* ter victi *medicamina* regis omnino Juvenali dicuntur ab *Anatibus Ponticis* ob causam superius allatam, non vero propterea quod Mithridates rex Ponti esset. Cæterum, hîc quoque notandum est ex Gellio Mithridatem non (ut vulgò aiunt) venenis victitavisse, at suâ antidoto firmam adeo sibi comparasse valetudinem, ut, cùm a Romanis victus decrevisset mori; festinandæ necis gratiâ venena violentissima frustra expertus, suo se ipse gladio transfodere coactus fuerit. C.

NOTAE IN SATIRAM SEPTIMAM.

v. 12. Halcyonem, *Bacchi* Thebas, et Terea Fausti.]

Lego et interpungo hoc modo omnium primus.

Halcyonem *Bassi*, Thebas et Terea *Fausti.*

Halcyonem Bassi, id est, *Saleii Bassi*, poëtæ celebris, at pauperis, tempore Flaviorum principum: *Thebas et Terea Fausti;* id est, tragœdias has duas a *Fausto* poëta compositas. Quid enim est *Bacchi Thebas?* Quis nescit Thebas Bacchi patriam esse? C.

v. 23. . . . . Atque ideo *croceæ* membrana *tabellæ* Impletur, etc.]

Ita duo Juvenales mei : at P. Pithoeus habet :

. . . . . atque ideo croceâ membrana tabellâ
Impletur.

H.

v. 38. Ipse *facit* versus, atque uni *cedit* Homero
Propter mille annos. At si dulcedine famæ
Succensus recites, *Maculonis* commodat ædes.]

Ita tres mei Juvenales. Malim tamen *facis* et *cedis*. *Maculonis* in nominativo singulari nomen mihi ignotum; ne *Maculo* quidem dicitur, et tamen hîc opus est nominativo singulari, *commodat ædes* (*tel prête sa maison*). Alioquin si in genitivo, *commodat* a poëta positum esset, male pro *mutuatur* (*emprunte*): quod suspicari non fas. Nam et post est; *scit dare libertos*, scilicet, *Maculonis*. Farnabius legit hîc *Maculonus*: sed nec Latina magis hæc vox mihi videtur. H.

v. 41. *Hæc* longe ferrata domus servire jubetur.]

Ita Pithoeus et Rigaltius habent: at Raphelengius edit, *ac longe*, etc., forsan melius. H.

v. 46. Et quæ conducto pendent *anabæthra* tigillo.]

Sic habet Raphelengius; cùm Pithoeus *anabetra*, Rigaltius *anabathra* legat. H.

v. 87. Esurit, *intactam* Paridi nisi vendat *Agaven*.]

Vetus interpres explicat, nisi cantionem inauditam pantomimo vendiderit, non habebit, unde se sustentet infeliciter. Hunc secutus Farnabius *intactam Agaven* explicat, *Fabulam de matre Penthei conscriptam, eamque novam;* male quoque omnino. Sensus hic est. De sterilitate studiorum totâ hac satirâ loquitur Juvenalis, et postquam exposuit complures ex celebribus poëtis usque eo inopiæ pervenisse, ut balnea Gabiis, ut Romæ furnos ad victitandum conducerent, ex iisque etiam nonnulli fieri præcones haud erubescere, ad Thebaïdem, quæ tunc Romanis in deliciis erat, venit; dicitque Statium, tanti nominis poëtam, nil præter famam inanem esse consecutum; longeque melius ei fuisse, si, relictâ poësi, quacum esuriebat, ad lenocinium se contulisset, lepidamque *aliquam virginem* histrioni Paridi suppeditâsset: hac enim arte potius, quam poëticâ, Statium Romæ ditescere potuisse. *Intactam* ergo *Agaven*, hoc est, *nulli viro tactam, nulli cognitam puellam.*

Agave, nomen puellæ. Cæterum, *Lycen*, *Glyceren*, *Aguven*, et mille alia similia apud Romanos nomina esse meretricularum nemo nescit. C.

v. 92. Præfectos Pelopea facit, *Philomela* Tribunos.]

Propter hunc versum Juvenalis missus est in exilium a *Claudio Nerone*, ait vetus interpres: imo a *Domitiano Calvo Nerone* ex me. Sic idem in vita Juvenalis vocat Paridem pantomimum poëtamque *Claudii Neronis*, cùm Domitiani Aug. fuerit. De *Philomelo* sic Martialis:

Plus habuit Didymus, plus *Philomelus* habet.

Erat ergo dives et potens hic histrio: quem nomine feminino *Philomelam* vocat Juvenalis, quòd histriones molles ac impudici omnes erant, unde Apuleius de quodam ait: *Nihil histrionis habuit præter impudicitiam.*

Præfectos *Pelopea* facit, *Philomela* Tribunos,

id est, *Pelopeus* et *Philomelus*. Martialis de eo in lib. IV, epigr. 5:

Unde miser vives (Romæ, Fabiane,) homo fidus, certus amicus?
Hoc nihil est: nunquam sic *Philomelus* eris,

id est, nunquam tu his moribus Romæ ditesces, ut *Philomelus*. C.

v. 96. *Tunc* par ingenio pretium, *nunc* utile multis
Pallere, et vinum toto nescire Decembri.]

Tunc, id est, sub Proculeio, Fabio, Cotta, Lentulo merces erat: *nunc* utile multis, poëtis scilicet, etiam optimis, aquam bibere hyeme ineunte ac frigore sæviente, bene: et ita correxi ex conjectura certissima, cùm editio P. Pithoei anni 1585, Parisiensis, et editio Nicolai Rigaltii, anni 1616, Parisiensis, aliæque habeant *tunc utile multis pallere*, etc. *nunc* habet editio Lugduno-Batava anni 1600, Raphelengiana: ut postea reperi. H.

v. 114. Parte aliâ *solum* russati pone *Lacernæ*.]

Ita P. Pithoeus et Nic. Rigaltius: at Raphelengius:

Parte aliâ *solum* russati pone *Lacertæ*.

Male omnino. Quid enim hîc *solum*? Vetus interpres ait Lacer-

nam aurigam fuisse sub Domitiano, quem ex colore *russatum* vocat poëta. Ego pro grammatico aut rhetore recitaturo sumpsi, atque ita corrigo :

Parte aliâ *solium* russati pone Lacernæ (aut Lacertæ).

Solium, id est, cathedram *Lacernæ* grammatici, aut potius rhetoris. Nam quid Auriga vel agitator *factionis russatæ* ad solium vel cathedram? Quid ad declamationes fictas pro libertate Ajacis nescio cujus apud rusticum judicem? H.

v. 119. Quod vocis pretium?]

Heic incipit Juvenalis iterum loqui de causidicinæ utilitate, quanta et qualis sit. H.

v. 120. . . . . Aut veteres, *Maurorum epimenia*, bulbi.]

Quidam ex Athenæi lib. II, sic emendant hunc locum; *aut veteres Afrorum ormenia bulbi :* alii ex Theophrasto et Plinio *epimendia* : pessime uterque. Legendum enim, ut vulgo legitur, *Epimenia*. *Afrorum epimenia* vocat munuscula, quibus solebant illi singulis mensibus Romanorum procerum gratiam demereri. Ἐπιμήνια, Græcis, *pensio menstrua*. Arr. Dissert. Ep. lib. I, cap. 7, et Polybius in Fragm. Legationis 94, hoc verbum usurpant, sed et Planciades in Gloss. *Epimenia*, xenia, quæ dantur *per singulos menses*. C.

v. 124. Aemilio dabitur, quantum petet, etc.]

Sic Rigaltius et Raphelengius, bene : at P. Pithoeus, *quantum licet*, male omnino. H.

v. 152. Nam quæcumque sedens modo legerat, hæc
eadem stans
Proferet.]

Sic Raphelengius, bene. At Pithoeus et Rigaltius habent, *perferet*, male et nullo sensu : et ita ego conjeceram. H.

v. 154. Occidit miseros *crambe* repetita magistros.]

Sic Raphelengius, bene ex grammatico proverbio : at

Pithoeus, *crambre*; Rigaltius, *cambre*; utrique male: *cambre* et vetus interpres Juvenalis, male. H.

v. 166. . . . . *Hæc* alii sex
Vel plures uno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto.]

Sic Pithoeus et Rigaltius: at Raphelengius, *ast* alii sex, *et* plures, etc. H.

v. 188. . . . . Unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? Exempla novorum
Fatorum transi: felix, et pulcher, et acer,
Felix et sapiens, et nobilis, et generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ:
Felix, orator quoque maximus, et jaculator,
Et si perfrixit, cantat bene.]

Et quæ sequuntur, et alibi:

. . . . . exspectas ut Quintilianus ametur?
Ergo Juvenalis parvi Quintilianum facit, et felicitati ac formæ vel pulcritudini magis multo quàm meritis ejus incrementa ac magnas opes et senatoriam dignitatem adscribit. Et acrem, sapientem, nobilem, generosum, oratorem maximum, jaculatorem etiam, et cantorem bonum, vel si perfrixerint ipsius fauces, per jocum et ludum satirice appellat, omnia omnibus fuisse indicans. Quare non existimo Quintilianum Juvenali amicum fuisse, aut de eo loqui voluisse, ut P. Pithoeus putavit, qui Quintiliani in lib. X Institut. Orator. hæc de satiræ scriptoribus suæ ætatis verba de Juvenale interpretatur: *Sunt clari hodieque* (satirici), *et qui olim nominabuntur*. Ego hæc Turno, Martiali, et Rutilio Numatiano notissimo ejus ætatis satirico, et Persio paullo antiquiori convenire existimo. H.

v. 204. Sicut Trasymachi probat exitus, atque Secundi
Carrinatis.]

Ita Rigaltius et P. Pithoeus, qui ait in optimo exemplari repositum *Lysimachi*. H.

v. 204. Sicut *Thrasymachi* probat exitus.]

Hic est omnino *Thrasymachus* percelebris philosophus, de quo ita Cicero, lib. III de Oratore : « Quid de Prodico Chio, de « *Thrasymacho Chalcedonio*, de Protagora Abderita loquar? « quorum unusquisque plurimum temporibus illis etiam de « natura rerum et disseruit, et scripsit. » Idem Θρασύμαχος Χαλκηδόνιος inducitur a Platone in Dial. de Repub. Dionysius Halicarn. in fragm. περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων passim; et ibi *Thrasymachus Chalcedonius* etiam nuncupatur. C.

v. 234. Nutricem Anchisæ, nomen patriamque novercæ
Archemori, dicat quot *Acestes* vixerit annos.]

Hic Drepani regulus erat;

Quot *Siculus* Phrygibus vini donaverit urnas.

Siculus legit Cl. vir Nic. Rigaltius (malim tamen *Siculi*, nempe *vini*, ad quod refertur). Bis scilicet Aeneas in hanc Siciliæ oram delatus est, ac primum quidem Drepani patrem amisit; tum reversus ex Africa huc iterum ventis actus est. Bis ergo Acestes eos excepit, scil. cum Aenea Trojanos. Alludit autem Juvenalis, ut puto, ad Tiberium, de quo Suetonius in ejus vita. « Maxime curavit notitiam historiæ fabularis, usque ad ineptias « atque derisum : nam et grammaticos ejusmodi fere quæstio- « nibus experiebatur; *quæ mater Hecubæ, quod Achilli nomen « inter virgines fuisset, quid Sirenes cantare sint solitæ.* » C.

v. 242. Hæc, inquit, *cures*, et cùm se verterit annus, etc.]

Ita Raphelengius : at Pithoeus et Rigaltius, *curas*. Malim *Hæc, inquam, cures*, ita ut loquatur poëta grammatices professori, et vertente anno,

Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

Hæc *cura* vel *cures;* et exeunte anno, pro mercede laborum accipe aurum. Non dixisset Juvenalis, *hæc curas, et accipe*. Forte potius legendum :

Hæc inquis curas, etc.

Id est, hæc omnia curas, inquis, aut respondes mihi, grammatice. H.

NOTAE IN SATIRAM OCTAVAM.

v. 4. Et Curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem?]

Hunc versum habere optimum exemplar et alia duo ait P. Pithoeus. H.

v. 13. Natus in Herculeo *Fabius* lare.]

Hic est omnino *Q. Fabius Maximus*, Q. Fabii Maximi Allobrogici filius, de quo Valerius Maximus, lib. III, cap. 5 : « Quinti Fabii Maximi Allobrogici et civis et imperatoris cla- « rissimi filius *Quintus Fabius Maximus* quàm perditam luxu- « riâ vitam egit! cujus, ut cætera flagitia oblitterentur (im- « pudicitia, veneficium, cupiditas), tamen abundè illo dedecore « mores nudari possunt, quòd ei Quintus Pompeius Prætor Ur- « banus, paternis bonis interdixit decreto suo. » Cæterum, in *Herculeo lare* dicit Juvenalis, id est, in *penatibus Herculeis*, seu *Herculeæ gentis*. Sic Ovidius, initio eleg. 3, lib. III de Ponto, ad Fabium Maximum sui amicissimum :

O sidus Fabiæ, *Maxime*, gentis ades!

Et circa finem :

Conveniens animo genus est tibi nobile : namque
Pectus et *Herculeæ simplicitatis* habes.

Scilicet *Fabii* ad Aborigines primos Latii populos originem generis, stirpem ad *Fabium Herculis filium* referebant, quem ideo principem et auctorem suæ gentis amplissimæ clarissimæque *Fabii* nuncupabant; ut testatur Plutarchus, in Q. Fabii Maximi vita. Locus hic est. « Dicitur *Fabius*, a quo maxima « et nobilissima gens orta *Fabiorum*, *Herculem patrem* habuisse ; « qui hoc in littore obviam forte virginem gravidavît. » C.

v. 18. *Tota* licet *veteres* exornent undique *ceræ*
Atria.]

Romani nobiles *imagines* quidèm majorum suorum habebant in atrio, quod τὸν ἐπιφανέστατον τῆς οἰκίας τόπον vocat Polybius; eorum autem quos amaverant, in cubiculo, ut testantur Sue-

tonius in Caio, et Plinius, lib. XXXV. At viri docti in bibliothecis dedicatas habebant veterum Auctorum imagines, ut ex Cicerone, Plinio et Sidonio ac aliis constat. Videturque ad hunc morem respexisse Juvenalis, cùm in satiræ secundæ initio dixit :

Si quis *Aristotelem*, similem vel *Pittacon* emit.

Hæ vero *majorum imagines* in atriis nobilium ordine quæque suo collocatæ et dispositæ gentilia funera sequi solebant. Quòd autem *cereæ* essent, testes sunt Sallustius et Juvenalis, qui eas *ceras* vocant. C.

v. 19. . . . . Nobilitas sola est atque unica virtus.]

Tum inducit Juvenalis virtutem ita nobilitate tumentem aliquem alloquentem :

Paullus, vel Cossus, vel Drusus moribus *esto*.

Lego *es tu*, optime : id est, si tu es moribus Paullus, Cossus, Drusus, si eos virtute refers, eorum mores imitaris, tunc hos ante effigies majorum tuorum pone, per me licet :

Præcedant ipsas illi te Consule virgas.

Tu Consul ante lictorum tuorum secures horum; Paulli, scilicet, Cossi, Drusi imagines ferri jube (mos mihi nondum lectus auditusve) ;

Prima mihi debes animi bona,

id est, si animi bona (bonos mores), potiora prioraque corporis bonis, nobilitate, formâ, etc. a me accepisti, a me habes; si

. . . . . sanctus haberi,
Justitiæque tenax factis dictisque mereris,
Agnosco procerem,

te procerem et vere nobilem agnosco :

. . . . . salve, Gætulice, seu tu
Silanus, etc.

usque ad exclamare libet. Virtus loquens inducitur : tum poëta suo nomine. Si loco, *prima mihi debes animi bona*, legeretur, *prima tibi debes animi bona*, poëta sine interruptione loqueretur. H.

v. 28. Exclamare libet, populus quod clamat Osiri
Invento.]

Id est, exclamare mihi libet quod exclamant populus et Isiaci invento, quem diu plangentes quæsierunt, Osiri; εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν! invenimus, gaudeamus! Ut enim Osiris nec reperitur, nec reperiri potest (finguntur enim hæc omnia in memoriam quæsiti olim ab Iside Osiris), ita nec ullus ferme, qualem peto, vere nobilis invenitur.

. . . . Quis enim *generosum* dixerit hunc, qui, etc.

id est, *nobilem*, quod notandum. Sic in sat. VII:

Felix et sapiens, et *nobilis* et *generosus*.

Sic et alibi:

Et Capitolinis *generosior* et Marcellis,

id est, *nobilior*, *nobiliori genere*. Et in sat. VI, de Messalinæ stupris loquens, ait:

Ostenditque tunm, *generose* Britannice, ventrem,

id est, ô princeps nobilissime, mater tua ostendit præbetque cuilibet de plebe ventrem illum, unde tu ortus eras! C.

v. 36. . . . . Ergo cavebis,
Et metues, ne *tu sis* Creticus, aut Camerinus.]

Ita P. Pithoeus, et Rigaltius, et vetus interpres Juvenalis: *ne sis tantum nominibus nobilis, ac turpiter vivas*. At Raphelengius:

. . . . . ne *tu sic* Cretieus, aut Camerinus,

supple *sis*, sat bene. Certe subintelligendum est necessario *sic* aut *ita* apud Juvenalem hîc, si ponatur *sis*; et si legatur *sic* apud Juvenalem, subaudiendum est *sis* similiter. H.

v. 66. Segnipedes *dignique molam versare Nepotis*.]

Supple equi. Nomen hoc est pistoris alicujus tunc Romæ noti. De hujusmodi mola machinaria Apuleius de Asino Aureo, lib. VII et lib. IX fuse, quo modo in pistrino hæ machinæ ac molæ verterentur ac circumrotarentur a jumentis, describit. Ad hanc operam eligebantur *muli senes*, *cantherii debiles*, paleâ vesci, et baculorum ictibus et copulæ sparteæ tritura

continuâ exulcerari soliti, ut ibidem. idem memorat quales illic, nempe in pistrino, muli senes, cantherii debiles, et quæ fuse persequitur. H.

v. 88. . . . . Miserere inopum sociorum,
Ossa *vides* regum vacuis exsucta medullis.]

Ita et Plautus :

Ossa atque pellis totus sum præ aritudine.

Vocat hîc Juvenalis socios inopes *ossa* regum veterum, quòd reges eorum majores usque ad ossa corroserint, exsuctisque medullis, id est, bonis, vacuos et inanes reliquerint : itaque parcere eorum reliquiolis et copiolis præsides provinciarum monet; non enim credendum est eum jubere præsides inspicere regum in sepulcris corpora et ossa arida, ut mortalis conditionis admoniti mitius agant cum provincialibus, et amari malint quàm metui et odio esse. Eo sensu primo, qui omnino verus est, legendum pro *ossa vides regum*, *ossa videns regum*, id est, considerans socios inopes seu provinciales esse velut ossa arida et exsucta a regibus suis relicta : vel *ossa vide*, id est, considera eos esse velut ossa; itaque pone modum avaritiæ. H.

v. 104. Inde *Dolabella est*, atque hinc Antonius.]

Sic Pithoeus, sic Rigaltius : at Raphelengius, inde *Dolabella*, *atque*, etc. habet, ut optimum exemplar, teste Pithoeo. Ex quo Josephus Scaliger legendum censet *Dolabellas*, quod et mihi in mentem venit, et præplacuit. H.

v. 128. Nec per *conventus*, et cuncta per *oppida* curvis
Unguibus ire parat *nummos raptura Celæno*.]

Tempore Augusti, ejusque exemplo, sed magis Tiberio principe, legati *uxores* in provincias secum duxerunt, quod antea non licebat rectoribus provinciarum, durante scilicet in republica veteri frugalitate et austeritate morum. Vide Tacitum, lib. III Annal. C.

v. 154. Interea dum lanatas, *torvumque* juvencum
More Numæ cædit Jovis ante altaria.]

Legunt alii, *furvumque juvencum*. Sed ex Pithoeo, *furva* hostia nisi Jovi Stygio aut infero non cædebatur. H.

v. 157. Sed cùm pervigiles placet instaurare popinas
Obvius *assiduo* Syrophœnix udus amomo
Currit.]

Legendum puto omnino : *Assyrio* Syrophœnix udus amomo. Quid enim est illud *assiduo* amomo? Et amomum nascitur in Media Assyriæ confini, ex Plinio, lib. XII. C.

v. 166. . . . . Lateranus ad illos
Thermarum calices inscriptaque *lintea* vadit.]

Id est, *vela*, ὀθόνια, foribus appendi solita. Legebam olim *culices*, quod non opus est. Thermas autem videtur vocare popinas, quæ erant *Thermopolia*, ut Plautus, si bene memini, vocat; ita dicta, quòd calida ibi edulia vendebantur, apponebanturque venientibus : unde et Juvenalis, sat. XI, v. 81 :

Qui meminit, *calidæ* sapiat quid vulva *popinæ*.

Calida popina, id est ad verbum, θερμοπωλεῖον, vel θερμοκαπηλεῖον. H.

v. 172. . . . . In magna legatum quære popina,
Invenies aliquo cum *percussore* jacentem,
Permixtum nautis, aut *furibus*, aut fugitivis.]

Sic Apuleius, de Asino Aureo, lib. VIII. Erat in proxima civitate juvenis natalibus prænobilis, sed luxuriæ *popinalis*, scortis et diurnis potationibus exercitatus, atque ob id factionibus *latronum* male sociatus, nec non etiam manus infectus *humano cruore* (id est, *percussor*). Vides qui essent tum *popinones*, ut et hodie permulti, scilicet, *fures*, *percussores*, *pedicones*, ex Juvenale et Apuleio. C.

v. 195. Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:
Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi.]

Finge, id est, patriciis tamen illis si necessitas imponeretur, aut arenæ, aut scenæ operas suas locandi, id est, vel inter gladiatores, vel inter histriones, mimos, psaltrias, nomen dare, utrum vitæ genus satius est? utra conditio melior? Estne quisquam ex patriciis illis decoctoribus et famosis adeo

vitæ suæ metuens, ut invidere Thymelæ velut nobiliori mimæ, aut stupidus Corinthi collega haberi malit (ut faber fabro invidet), quàm gladiator? C.

NOTAE IN SATIRAM NONAM.

v. 14. *Bruscia* præstabat calidi tibi fascia visci.]

Sic Pithoeus et Rigaltius; at Raphelengius:

Præstabat calidi circumlita fascia visci.

Optimum exemplar habet, *Brustia*, ex Pithoeo; Latiniacense autem *Bruccida*. Forte (ait Pithoeus) Bruscia a Brusco, de quo Plinius, lib. XVI, cap. 17. H.

v. 22. Nuper enim (ut repeto) fanum *Isidis*, et Ganymedem
Pacis, et advectæ secreta *palatia* Matris,
Et Cererem (nam quo non prostat femina templo?)
Notior Aufidio mœchus *scelerare* solebas.]

Ponit hîc Juvenalis templum *Isidis* primum inter ea, in quibus prostarent matronæ. Sic in sat. VI:

Aut apud *Isiacas* potius sacraria *lenæ*.

Isim lenam vocat, quòd in ejus templo plurimæ prostarent feminæ, plurimique pueri. Ita et Ovidius, lib. I de Arte Amandi, de ejusdem Deæ fano loquitur:

Neu fuge *Niligenæ* Memphitica sacra *Juvencæ*:
Multas (mœchas nempe seu pellices, sicut et ipsa pellex fuit Jovis) illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Cæterum, ita habent omnes Juvenalis editiones, exceptâ Roberti Stephani, quæ habet *celebrare*. Grangæus et Schrevelius, seu potius Lubinus apud Schrevelium notant, quosdam legere *celebrare*, id est, frequentare. Ego lego:

Nuper enim (ut repeto) fanum Isidis, et Ganymedem
Pacis, et advectæ secreta *salacia* Matris.

Cybeles Matris Deûm e Phrygia advectæ templum, quod in Palatio erat, ait Farnabius, male. Dicit autem *salacia*, id est, *obscœna*, ob ea quæ ibi fiebant, et retineo *celebrare*. Nam et ubi *palatia* pro templis? H.

v. 28. . . . . Pingues aliquando lacernas
Munimenta togæ, duri crassique *coloris*,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus.]

Lego omnium primus :

. . . . . duri crassique *solocis*;

id est, e lana dura et crassa : nam *durus et crassus color*, qui et a quo unquam dictus? Ita corrigo indubie contra omnes editiones. H.

v. 35. Quamvis te nudum *spumanti* Virro *labello*
Viderit.]

Ore scilicet ad fœdissimam patientiam *composito*. Ita Martialis, epigr. lib. I :

Una lavamur, aspicit nihil sursum,
Sed spectat oculis devorantibus draucos ;
Nec *otiosis* mentulas videt *labris*.

C.

v. 43. An facile et pronum est agere intra viscera penem
Legitimum, atque *illic* hesternæ occurrere cœnæ?]

Ita habent omnes editiones, sed, ut arbitror, male. Lego :

. . . . atque *illinc externæ* occurrere cœnæ?

id est, et eo se quæstu tueri, nec alienâ quadrâ opus habere. Si tamen prior retineatur lectio, obscœnior est sensus, quàm ut explicari possit. H.

v. 50. En cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, et longâ positus stratâque cathedrâ
Munera femineis *tractas* secreta kalendis.]

Femineis kalendis, id est, *Martiis*; quo tempore puellis et feminis ab amatoribus munera mittebantur, ut et hodie apud nos kalendis Maiis fieri solet. Ita Pithoeus, ita Rigaltius et Raphelengius : at contra omnes lego, *tractat*, scilicet, mollis illo et effeminatus. C.

v. 61. Cum matre et *cæculis* et *conlusore* catello.]

Sic Pithoeus et Rigaltius: ὁ *cacula*, *læ*, ἀκόλουτος, comes. At editio Roberti Stephani habet:

Cum matre, et *casulis*, et *cum lusore* catello,

Cum Romani proferebant *con*, Cicero in lib. Epistolarum IX, epist. 22, ad Papirium Pœtum: *Quid, quod vulgo dicitur, cum nos te volumus convenire, num obscœnum est?* Obscœnitas scilicet in pronuntiatione erat, prioris syllabæ ultimâ litterâ *m* corruptâ, et transeunte in naturam insequentis, scilicet *n*, sic: *cùm nos*, *con nos* te volumus convenire. H.

v. 84. Tollis enim, et *libris* actorum *spargere* gaudes
Argumenta viri.

Sic Pithoeus, Rigaltius, Raphelengius: at Servius, II Georgicôn:

Tollis enim, et *titulis* actorum *aspargere* gaudes
Argumenta viri.

Lege ideo:

. . . . . *titulis* actorum *aspergere* gaudes.

H.

v. 92. Negligit, atque alium *bipedem* sibi quærit *asellum.*]

Asellum, hoc est, *pediconem* bene mentulatum, asini more. Sic Commodus habuit hominem pene prominente ultra modum animalium, quem *onon* appellabat. Sic Elagabalus *onobeles*, ὀνοβελεῖς, bene *vasatos* subactores legebat. Sic eos appellabat (ut ex Lampridio patet), qui viriliores viderentur. At in MS. legitur *monoboles*. Phædrus, fabulâ ultimâ lib. III, de Gallis Matris Idææ, qui asino suo cutem detraxerant, ut sibi tympana facerent:

Rogati mox a quodam, *delicio suo*
Quidnam fecissent.

Nimirum *delicium Gallorum* vocat *asinum*, ut et Virgilius in Copa:

Huc Alibida veni, fessus jam sudat *asellus*;
Parce illi: *vestrum delicium est asinus.*

Ratio autem, cur *asinus Gallorum delicium* vocetur, ea est,

quòd Gallis illis nimium lascivis fœdæ libidinis ministerium præstabat, ut docet Apuleius in Milesia. C.

v. 105. Vela tegant rimas, junge ostia, *tollite* lumen
E medio.]

Ita Petrus Pithoeus, male : at Robertus Stephanus *tollito lumen e medio :* bene ac indubie. H.

v. 118. Vivendum recte est, cùm propter plurima, *tunc* his
Præcipue causis.]

Sic Pithoeus : at Rigaltius, *tum his prœcipue causis :* at Raphelengius :

> Vivendum *recte*, cum propter plurima, *tunc* his
> Præcipue causis.
>
> H.

v. 130. Ne trepida : nunquam *pathicus* tibi deerit amicus
Stantibus et salvis his collibus.]

Ita habent omnes Juvenalis editiones, at male omnino. Scribe *paticus*, sine aspiratione. *Paticus*, cinædus, πασχητιῶν, in glossis veteribus explicatur, seu in Onomastico Latino-Græco, et ponitur inter *patibulum* et *patientia :* quod confirmat opinionem fratris ita scribi oportere dicentis et a *pateo* deducentis, cùm *pathicus* nomen Græcum non sit. Ita tamen scribi solet ubique, sed mendose. Legimus in Priapeiis :

> . . . . . nec tibi tener puer
> *Patebit* ullus,

et apud Martialem :

> At mihi nuda satis nulla puella *patet.*

Item apud Catullum :

> Ah ! tum te miserum, malique fati,
> Quem attractis pedibus, *patente* portâ,
> Percurrent raphanique mugilesque.

Paticus ergo a *patente* deducitur, id est, εὐρύπρωκτος, λαικόπρωκτος ex fratre. Sic de cunno in Priapeiis :

> Qui tanto *patet* indecens hiatu :

et apud Virgilium :

> Incidi in *patulum specum* procumbente Priapo.

Indubie igitur *paticus patens* aut *patulus* est. Martialis :

Et pædagogo non *vidente* lascivi
Patere gaudent villico capillati,

id est, se ei præbere. Vulgo legitur *jubente* et *parere*, male omnino ex me, qui ita corrigo. Veteres etiam *patio*, *patis*, protulerunt, teste Diomede (ait Nestor in vocabulario), qui et Nævium refert scribere,

In projecto populus *petit*, tu *patias* modo,

stuprum scilicet, ô puer projecte! H.

v. 131. . . . . Undique ad illos
Conveniunt, et carpentis et navibus omnes,
Qui digito scalpunt uno caput.]

Ita editio Roberti Stephani bene : at *convenient*, cæteræ omnes. H.

v. 135. Hæc exempla para felicibus, at mea Clotho
Et Lachesis gaudent, si *pascitur inguine* venter.]

Id est, at meo fato sufficit (fata enim regunt Parcæ), si me eo questu tuear, et meo me inguine pascam. Sic Martialis :

Mentula quem pascit, non puto purus homo est.

C.

v. 139. Quando ego *figam* aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A *tegete* et *baculo*.]

Teges lectuli plebeii erat culcita, baculus vero pauperum lectica, aut sella; sic sæpe solet loqui :

Primo *fige* loco,

id est, primo loco *pone*, *habe*. Sic, quando ego *figam*, hoc est, quando ego *habebo* aliquid quod meam senectutem de egestate securam faciat. C.

v. 141. . . . . *Argenti* vascula *puri*,
Sed quæ *Fabricius* Censor notet.]

Pura lanx, *purum vas cœlato* opponitur; *argentum purum cœlato et aspero* : vide Ciceronem, VI Verrinâ, et Plinium,

lib. XXI, cap. 3. *Sed quæ Fabricius censor notet;* id est, sed plura decem pondo. Scilicet, *Fabricius Luscinus* censor, Cornelium Rufinum virum consularem et dictatorium, quòd *decem pondo vasa argentea* comparâsset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in ordine senatorio non retinuit (id est, senatu movit), ait Valerius Maximus, lib. II, cap. 9, et subdit: vix enim credibile est intra idem pomœrium *decem pondo argenti*, et invidiosum fuisse censum, et inopiam haberi contemptissimam. C.

v. 146. Qui *multas facies pingat* cito.]

Sic Rigaltius et Raphelengius, bene: sic Juvenalis, sat. XII, vers. 26:

> . . . . pars dira quidem, sed cognita multis,
> Et quam votivâ testantur fana tabellâ
> Plurima (pictores quis nescit ab *Iside pasci?*).

Idem, sat. XII, v. 100:

> *Legitime fœis* vestitur tota *tabellis*
> Porticus.

Ergo pictores Romæ multum lucrabantur. At Pithœus habet, *Qui multa facies pingit cito*: ita et optimum exemplar habere ait, et putat cum Scaligero scriptum prius fuisse, *Qui malthâ facies pingit cito*: quod non puto. H.

v. 146. . . . . Sufficiunt hæc.
Quando ego pauper ero?]

Ita Pithœus, et Rigaltius, et vetus interpres Juvenalis. Id est, quando ad hanc paupertatem, seu ad hæc parva et pauca perveniam, ne semper, ut nunc, inops et egens sim? Ego interpunxi olim:

> . . . . . *suffiojunt* vel *sufficient hæc*,
> Quando ego pauper ero.

Id est, cùm pauper ero, et potiar supradictis. Raphelengius quoque ita sine interrogatione. Sed melius est, ut supra, cum interrogatione. Nam hæc interrogatio optantis est, et votum hominis Nævoli continet: quâ sublatâ, votum non est proprie. H.

NOTAE IN SATIRAM DECIMAM.

v. 52. . . . , . . . Cùm fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.]

Apud Apuleium, lib. IX, de Asino Aureo : Potens juvenis, qui vicini pauperis agellum vi occupare volebat, amico pauperis quodam legum sese admonente; *ad extremam insaniam vecors suspendium sese et totis illis* (sic legitur passim pro omnibus illis) *et ipsis legibus mandare proclamans* (hæc sunt Apuleii verba, quæ Italico charactere notantur), *canes pastoricios in eos immiti præcepit. Suspendium mandans, et ipsis pauperis amicis ac propugnatoribus, et legibus*, id est, *eos contemnens ac irridens*. Sic vulgo solebant loqui. Sic omnino Juvenalis :

Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.

Sic in Priapeiis ;

Derides quoque fur, *et impudicum*
Ostendis digitum mihi minanti.

Sic et Martialis, lib. II, epigr. 28 :

Rideto malluli, qui te, Sextile, cinœdum
Dixerit, et *digitum porrigito medium.*

Ergo, cùm *medius digitus* alicui porrigebatur, signum derisionis et contumeliæ erat. Hunc veteres et *impudicum* et *infamem* vocitabant; cujus denominationis causa est in promptu. C.

v. 55. Propter quæ fas est *genua incerare Deorum.*]

Votum nuncupatum, et in charta conceptum, Deorum genibus cerâ obsignatum affigebant veteres; *incerabat enim Deorum genua*, qui votum susceptum signabat, seque voti reum constituebat. Vota ergo insculpebantur aut inscribebantur in cera in genibus statuarum. Apuleius in Apol. Votum alicujus statuæ femore assignasti; igitur magus es, aut cur obsignasti? Hinc omnino natum verbum noto Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, de re desperata, pro qua vota suscipiuntur, et solum Deorum auxilium exspectatur. C.

v. 62. Ardet *adoratum* populo caput, et crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.]

Faciebant enim sacra statuis ejus, non aliter quàm statuis Tiberii, ut refert Xiphilinus in Tiberio. Dio, lib. LVIII in Tiberio: Τάς τε εἰκόνας αὐτοῦ (Σηϊανοῦ) πάσας κατέβαλον, καὶ κατέκοψαν, καὶ κατέσυρον, ὡς καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον αἰκιζόμενοι· Et paullo post; καὶ οὕτω δικαιωθεὶς (Σηϊανὸς) κατά τε τῶν ἀναβασμῶν ἐρρίφη, καὶ αὐτὸν ὁ ὅμιλος τρισὶν ὅλαις ἡμέραις ἐλυμήνατο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνέβαλε· Hæc illustrant versus superiores de Sejani morte, sicut et Plinii in Panegyrico Trajani locus, de aureis et argenteis statuis Domitiani innumerabilibus eo cæso dejectis et comminutis in usus publicos. « Juvabat illidere solo superbissimos vultus, instare « ferro, sævire securibus; ut si singulos ictus sanguis dolorque « sequeretur. Nemo tam temperans gaudii seræque lætitiæ, « quin instar ultionis videretur cernere laceros artus, truncata « membra, postremo truces horrendasque imagines abjectas, « excoctasque flammis, ut ex illo terrore et minis, in usum « hominum ac voluptates ignibus mutarentur. » *Deinde ex facie toto orbe secunda*, id est, ex statuis æreis Sejani, quæ post Tiberii statuas toto orbe Romano maxime colebantur, cujus et imagines aureæ passim colebantur, ex Suetonio in Tiberio, cap. LXV, *fiunt urceoli*, et quælibet alia rei culinariæ necessaria. C.

v. 72. . . . *Bene habet;* nil plus interrogo.]

Bene habet, formula est gratulantis suæ fortunæ. Statius, lib. XII Thebaïdos:

Sed bene habet, Superi, gratum est, fortuna peracta est.

Quin et in sepulcris olim usurpabatur, ut patet ex inscriptione aræ, quæ exstat Tarracone, quam refert Gruterus, pag. 339:

CONTEGIT OSSA LAPIS. BENE HABET. FORTVNA VALEBIS
FVNDIMVS INSONTI LACRYMAS. NVNC VINA PRECAMVR
VT IACEAS PLACIDE. NEMO TVI SIMILIS.
ΤΟΥC COΥC ΑΓΩΝΑC ΑΥΩΝ ΑΑΑΗCΕΙ.

C.

v. 74. . . . . Si *Nyrtia* Tusco
Favisset.]

Sic Pithoeus; Rigaltius, *Nurtia; Nortia*, Raphelengius. Exemplar Latiniacense *Nursia* habet, ait Pithoeus, ut ex Livio et Tertulliano patet. H.

v. 74. . . . . Idem populus, si *Nurtia Tusco*
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hâc ipsâ Sejanum diceret horâ
Augustum.]

Aelius Sejanus (ut refert Tacitus, lib. IV Annal.), genitus *Vulsiniis*, quæ est urbs Etruriæ; unde Juvenalis ait, si *Nurtia Tusco* favisset, id est, si *Nurtia, Vulsiniensium Dea, Sejano* favisset. *Nurtia* autem aut *Nortia* vulgo legitur, male omnino, pro *Nurscia* (ut libri veteres habent), *quæ Volsiniensium Dea peculiaris erat;* ut Livius, lib. VII, et Tertullianus docent. « Asculanorum, ait, Ancaria Dea; *Volsiniensium Nurscia;* « Otriculanorum *Valentia;* Sutrinorum *Nortia.* » Ergo *Nurscia* et *Nortia* duæ sunt duorum oppidorum Deæ, maximeque inter se differunt, cùm *hæc Sutrinorum* tutelaris sit, *illa Volsiniensium.* C.

v. 77. . . . . Jampridem ex quo suffragia nulli
Vendimus, *effudit* curas.]

Sic Rigaltius; at P. Pithoeus, *effugit* curas. Robertus Stephanus, Schrevelii editio et Grangæi utrumque habet. H.

v. 94. . . . . Vis certe *pila, cohortes,*
Egregios equites, et *castra domestica.*]

Pila, id est, *primum pilum*, seu *centuriatum; cohortes*, id est, *tribunatum, egregios equites*, id est, *magisterium equitum; castra domestica*, id est, *præfecturam prætorianam*, et præesse prætorianis castra habentibus ad urbem Romam, velut Domestica. C.

v. 148. . . . . Hic est, quem non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti,

Rursus ad Aethiopum populos, *aliosque* elephantos. Additur imperiis Hispania.]

Ita omnes editiones. Lego :

Versus ad Aethiopum populos, *altos*que elephantos,

id est, ad Aethiopiam versus, aut adversus Aethiopiam et terram elephantorum, optime. Ab eo ergo Africæ magnitudine non contento additur imperio Carthaginensi Hispania. H.

v. 150. Rursus *ad Aethiopum populos, aliosque elephantos Additur imperiis Hispania :* Pyrenæum Transilit.]

Ex Silio Italico, in lib. III, venere Aethiopes et Nubæ (Aethiopum hi populi) cum Hannibale in Italiam, et omnium pæne Africæ et Hispaniæ populorum magna colluvies. Elephantos autem secum duxisse præter historicos referunt Silius, lib. IV, IX, X et XVII, et Plinius, cap. 7, lib. VIII, et ipse Juvenalis, alio loco : *Tyrio servire solebant Hannibali;* qui in Hispania dux salutatus post Asdrubalis patrui cædem, Hispaniâ et Africâ præsidiis missis munitâ, Pyrenæum transiit. Cæterum, primo intuitu, Latina mihi locutio non videbatur, *additur id alicui ad aliquid :* fallebar tamen. Ut Latinum enim est, *adduntur tibi divitiæ ad divitias*, sic et, *additur imperiis Hannibalis* (quem non capit Africa) *ad copias* quas ducit et regit *maximas*, *ad Aethiopes et elephantos*, *additur*, inquam, *rursus*, id est, *adhuc Hispania*, quam pæne totam subegit, certe majorem ejus partem. Nec quidquam est his in versibus immutandum præter *alios* in *altos* (ut ibi optime ac indubie corrigit pater); hic enim verus omnino Juvenalis sensus mihi videtur. Emendat tamen pater pro *rursus*,

Versus ad Aethiopum populos, *altosque* elephantos,

quare videant docti, utram lectionem malint. C.

v. 162. Donec Bithyno libeat *vigilare* tyranno.]

Ita omnes editiones. Alii legunt, *jugulare*, ait Lubinus, ut et ego pridem conjeceram. H.

v. 164. . . . . Sed ille
Cannarum vindex ac *tanti sanguinis* ultor
Annulus.]

Id est, tantæ cædis, Cannensis scilicet. Annibal, ne Romanis traderetur, hausto, quod sub annuli gemma habebat, veneno absumptus est, ut legimus in libro de Viris Illustribus, quem Aurelii Victoris esse putant, non Plinii Junioris, aut Suetonii. Plutarchus tamen in vita Q. Flaminii ait quosdam putare Annibalem a servo se strangulari jussisse. H.

v. 170. Ut *Gyaræ* clausus scopulis, *parvâque* Seripho.]

Gyari malo, legoque contra omnes editiones, *parvâve Seripho.* H.

v. 172. . . . . Mors sola *fatetur*
Quantula sint hominum corpuscula.]

Fatetur, id est, indicat, ostendit. H.

v. 196. Plurima sunt juvenum discrimina, pulchrior ille
Hoc, atque *ille* alio; *multum* hic robustior illo.]

Ita habent omnes editiones, sed male. Lego, atque *iste* alio: cæterum, debuit dicere Juvenalis, *multo* hic robustior illo, nisi se adverbio excusat *multum.* H.

v. 210. . . . . Nam quæ cantante voluptas,
Sit licet eximius *citharœdo*, sive *Seleuco?*]

Ita Rigaltius et Raphelengius; alias ex Pithoeo:

. . . . . *citharœdus*, sive *choraules?*

H.

v. 248. Felix nimirum, qui tot per sæcula mortem
Distulit, atque suos dextrâ jam computat annos.]

Id est, tria sæcula vixit rex Pylius Nestor, inde *triseclisenex* a poëta quodam dictus. Sæcula autem hîc accipe non pro centum annis, sed pro hominis ætate, quam Græci γενεὰν dicunt, quæ triginta tres annos efficit. Sic sæcularis possessio dicitur Symmacho. Et Livius, lib. IX, ita sumit: « Non intelligunt

« unius se hominis (nempe Alexandri Magni) res gestas et ejus « juvenis cum populi jam quingentesimum annum bellantis « rebus conferre, miremur si cùm ex hac parte *sæcula plura* « numerentur *quàm* ex illa *anni*, plus in tam longo spatio quàm « in ætate tredecim annorum fortuna variaverit. » C.

v. 271. Exitus ille utcumque hominis : sed *torva* canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.]

Legi alicubi κύνα Græcis dictam et cognominatam fuisse Hecubam, quòd conviciis Græcos, qui in liberos suos sævierant, semper insectaretur, et canis instar allatraret : indeque fabulæ occasionem natam. Idem ferme ait Plautus in Menechmis, sc. 1, act. V :

Mnn. Non tu scis, mulier, *Hecubam* quapropter *canem*
Graii esse prædicabant ? Mvl. Non equidem scio.
Mnn. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis :
Omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat,
Itaque adeo jure cœpta appellari est *canis*.

Tryphiodorus in Ilii alosi Cassandram introducit vaticinantem et dicentem (v. 389) :

Μῆτερ ἀριστοτόκεια, σὲ δὲ βροτέης ἀπὸ μορφῆς
Δυσσαλέην ἐπὶ παισὶ θεοὶ κύνα ποίησουσι. C.

v. 309. Strumosum, atque *utero* pariter, gibboque tumentem.]

Ita omnes, at male omnino. Lege ex me, atque *itero* pariter, etc. Ἧτρον et ἴτρον, abdomen, imus venter, pars inter umbilicum et virilia posita. In glossario ἰτρίον, *iterum*, et in glossis Isidori *iterum*. Nam et *uterus* de puero non dicitur et de viro. Vide Salmasium in Historia Aug. de voce *iterum*, an hoc notârit jam apud Juvenalem, dignum omnino notari. *Ventriosum* ergo, ut loquitur Plautus, innuit Juvenalis adolescenti. C.

v. 312. . . . Et pœnas metuet, quascumque mariti
Exigere irati.]

Vulgo ita legitur, male ; subaudiendum enim foret, *solent*,

aut quid ejusmodi; quæ locutio et parum Latina esset et obscurior. Rigaltius legit, *quascumque mariti irati debent.* At in Juvenalis manuscripto codice, quem ait se habuisse Canterus, legitur, *quascumque mariti exigere ira potest.* Quæ genuina lectio omnino mihi videtur. C.

v. 317. . . . Quosdam mœchos et *mugilis* intrat.]

Legibus Atheniensium adulteri ἐν ἔργῳ deprehensi pœna fuit ῥαφανίδωσις· *Raphani* loco aliquando utebantur *mugile* pisce: ita Casaubonus in Athenæum, ubi et hunc Juvenalis locum citat. Adde Catulli versus supra citatos (pag. 188). C.

v. 323. Deterior totos habet illîc femina *mores.*

Sic omnes editiones. Lego *amores*, optime; scilicet, in udis et juvenilibus mentulis vel inguinibus. H.

v. 346. *Nil ergo optabunt homines?* Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, etc.]

Ex Xenophonte Apomn. lib. I, discimus Socratem Deos rogare solitum, quæ sibi convenirent; hos enim optime nosse, quæ bona essent. C.

NOTAE IN SATIRAM UNDECIMAM.

v. 2. . . . . Quid enim majore cachinno,
Excipitur vulgi, quàm pauper *Apicius?*]

Is est, ut puto, *Cælius Apicius*, cujus de re culinaria libros decem habemus sapientes antiquitatem, sed valde corruptos, de quo Athenæus, qui Trajani tempore vixit (nam cum *minutal Apicianum, patinam Apicianam, conciclam Apicianam, offellas Apicianas, jus frigidum Apicianum* describit, seu potius, ut conficienda sunt, præscribit, ab *Apicio*, qui Augusti et Tiberii temporibus luxo nobilissimus fuit, hæc dicta sunt et cognominata. Unum angit, quòd *conciclam Commodianam*, lib. V, cap. 4, describit, quam tamen non a *Commodo Impe-*

ratore, sed alio quopiam *antiquiore Commodo*, denominatam fuisse oportet). Is ergo, lib. IV, cap. 3, *minutalia*, hoc est, edulia ex rebus minutatim et tessellatim concisis faciendi modum præscribit, minutal marinum, minutal Tarentinum, minutal Apicianum, minutal Matianum, minutal dulce, minutal ex præcoci, minutal leporinum, seu ex jocinoribus et pulmonibus leporis, minutal ex rosis, seu rosatum; in singulis autem his minutalibus porrum capitatum, aut porrum simpliciter (id est, sectivum), minutatim concidi vult; unde Juvenalis alibi:

> *Hesternum* solitis medio servare *minutal*
> Septembri . . . . . .
> *Fila*que sectivi numerata includere *porri*.

Quæ *fila porri* idem *Apicius*, cap. 8, lib. VIII, vocat *capillum porri*. *Tres* autem *Apicios* diversis temporibus fuisse animadvertit ante me Lipsius ad Annal. Tac. Fuit enim *Apicius* vetere republicâ luxuriosus, auctor mittendi in exilium Rutilii, de quo Athenæum vide, lib. IV, cap. 20. *Alter* Augusti et Tiberii principatu, *M. Gavius Apicius*, lib. LVII Dioni dictus, luxu gulâque famosissimus, de quo Seneca Consol. ad Helviam, Plinius, et Tacitus, lib. IV Annalium. *Tertii* tantum Suidas meminit in ὄρεα· Τραιάνῳ ἐν Πάρθοις ὄντι, καὶ τῆς θαλάσσης ἀπέχοντι ἡμερῶν πολλῶν ὦδον (lego ὁδόν) Ἀπίκιος ὁ ὀψοφάγος ὄρεα νεαρὰ διεπέμψατο, ὑπὸ σοφίας τεθησαυρισμένα· Et est *hic Apicius* omnino (inquam ego, nec Lipsius vidit; quin dubitat de nomine Trajani, an sit incorruptum hîc), de quo Juvenalis, *multa videmus, quæ miser et frugi non fecit Apicius*. In hac autem satira, *pauperem* dicit *Apicium*, unde videtur gulosus ille decoxisse bona, et tandem coactus esse propter rei familiaris angustias parce tenuiterque vivere: nisi *Apicium* hîc appellativè pro *quolibet guloso* poni dicamus; quod tamen non æque mihi arridet. C.

v. 5. . . . Nam dum valida ac juvenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumque *ardens* sanguine fertur
Non cogente quidem, sed nec prohibente Tribuno,
(plebis, an militum?)

Scripturus leges et regia verba Lanistæ.]

Ita omnes editiones. Lego et interpungo :

. . . . . dumque *ardent* sanguine : fertur
Non cogente quidem, sed nec prohibente Tribuno, etc.

optime. Ad quid enim referretur *scripturus* ? Sed jam prævenit Rigaltius; ita enim habet. H.

v. 6. . . . . Dumque ardent sanguine: fertur
Non cogente quidem, sed nec prohibente *Tribuno*,
Scripturus leges et regia verba lanistæ.]

Loquitur hîc poëta de quodam nobili juvene, qui cùm decoxisset et patrimonium absumpsisset, lanistæ scriba, ut puto, factus est, lanistæ a manu, aut certe potius lanista : *Tribuno* autem, id est, non *Tribuno militari*, ut videri posset ex his verbis, *nam dum valida et juvenilia membra sufficiunt galeæ, dumque ardent sanguine*, sed Imperatore ipso Domitiano *Tribuno plebis*, seu *tribuniciæ potestatis* : quæ *tribunicia potestas*, seu δημαρχικὴ ἐξουσία jam inde ab Augusto imperio connexa est, nec ullum deinceps Imperatorem Romanum non *tribunicia potestate* fuisse inscriptiones et tituli cum Latini tum Græci declarant, præter historicos. Erant tamen quidam sub Imperatoribus *tribuni plebis*, ut in Domitiani vita *tribuni plebis* a Suetonio memorantur, sed nullius fere potestatis. C.

v. 32. Ancipitem, seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas, te consule, dic tibi quis sis,
Orator vehemens, an *Curtius et Matho, Buccæ*.
Noscenda est mensura *sui*. Spectandaque rebus
In summis minimisque, etc.]

Buccæ, id est, rabulæ, clamosi et ignari ac ridiculi advocati. Vide ergo an tu sis similis his duobus rabulis. Ita Pithoeus in editione sua Juvenalis, ita et Rigaltius; et, ut puto, alii quidam, optime. At Raphelengius, in editione Lugduno-Batava anni 1600 :

. . . . . dic tibi quis sis,
Orator vehemens, an Curtius, *an* Matho ? *Buccæ*
Noscenda est mensura *tuæ*, etc.

Quæ mala est seu lectio seu correctio, mala et interpunctio. Vetus interpres Juvenalis legit etiam, *an Curtius an Matho buccæ*. Jactanticuli (ait) qui tantum buccas inflant, et nil dicunt. Item : *Noscenda est mensura sui*, legit bene. H.

v. 42. Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, et digito mendicat Pollio nudo.]

Eques enim Romanus imminuto equestri censu annulum aureum suæ dignitatis insigne deponere cogebatur. Hunc locum eximie illustrat Apuleius Apolog. « Pater ejus plurimis credito-« ribus defeneratus, maluit pecuniam retinere quàm pudorem. « Nam cùm undique versum tabulis flagitaretur, et quasi insanus « ab omnibus obviis teneretur, *flax* (lego *pax*, ex Plauto et « aliis), inquit, negat posse dissolvere; *annulos aureos* et om-« nia insignia dignitatis abjicit, cùm creditoribus depaciscitur, « pleraque tamen rei familiaris in nomen uxoris callidissimâ « fraude confert; ipse *egens*, *nudus*, et ignominiâ suâ tectus « (forte *solâ*, non *suâ*), reliquit Rufino huic, non mentior, « HS. XXX. devorandum. » C.

v. 63. *Alter aquis*, *alter flammis* ad sidera missus.]

Alter aquis, scilicet, *Aeneas*, qui situs est super Numicum flumen, in quo periit, ex Livio et aliis. Ex Servio in XII lib. Aeneidos, aut sacrificans aut Mezentium aut Messapum hostes fugiens in Numicum fluvium cecidit, nec ejus cadaver est repertum, et ob id a filio Ascanio est consecratus. *Alter flammis*, nempe *Hercules*, qui in Oeta monte se ipse combussit. H.

v. 65. De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hœdulus, *et* toto grege mollior.]

Melius *ex* toto grege mollior, aut potius *e* toto grege mollior. H.

v. 75. Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Autumnum, et crudi posuêre pericula succi.]

Sic Pithoeus, et Rigaltius, et Raphelengius, et vetus in-

terpres Juvenalis, bene omnino : nec opus *siccarunt* legere, ut olim existimaveram. H.

v. 78. . . . *Curius*, parvo quæ legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula.]

Valerius Maximus, lib. IV, cap. 3 : « *M. Curius*, exactissima « norma Romanæ frugalitatis, idemque fortitudinis perfectis- « simum specimen, Samnitium legatis agresti se in scamno « assidentem foco, ac ligneo catino cœnantem (quales epulas « apparatus indicio est) spectandum præbuit, et eorum munera « remisit, his sane aureis usus verbis : *Istud ut pretiosum, ita* « *malo hominum excogitatum munus refertote, et mementote* « *me nec acie vinci, nec pecuniâ corrumpi posse.* » Idem cùm Italiâ Pyrrhum regem exegisset, nihil omnino ex præda regia, quâ exercitum Urbemque ditaverat, attigit; decretis etiam a senatu septenis jugeribus agri, sibi autem quinquaginta; *popularis* assignationis modum non excessit. C.

v. 82. Sicci terga suis rarâ pendentia *crate*
Moris erat quondam *festis* servare *diebus*.]

Sic Ovidius famem describit, lib. VIII Metamorphos.

Ventris erat pro ventre locus : pendere putares
Pectus, et a spinæ tantummodo *crate* teneri,

id est, a costis. Virgilius :

Transadigit costas et *crates* pectoris ense.

Et Tertullianus de Resurrectione carnis cadaverum *crates* memorat : id est ergo, terga suis sale siccati *costis* pendentia. Cæterum, debuit dicere Juvenalis, *in festos dies* servare, non *festis diebus*, quæ locutio parum Latina est, nisi forte *apponenda* subaudias. H.

v. 105. . . . . Et geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo *venientis* et hastâ;
Pendentisque Dei perituro ostenderet hosti.]

Ita Pithoeus, et Rigaltius, et vetus interpres Juvenalis; Raphelengius etiam, *effigiem clypeo venientis et hastâ*, nisi

quòd habet, *et geminos sub rupe Quirinos*. Et tamen lego, *in* clypeo venientis et hasta; nam id lex linguæ Latinæ jubet. Quis enim dicat, *venire aliquem gladio, aut hastâ*, pro *cum gladio* aut hasta, aut *in gladio* et hasta? Quis, inquam, nisi barbarus et ignarus? Quidam alii legunt clypeo *fulgentis* et hasta, satis bene quoque. H.

v. 115. Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, et nullo violatus *Juppiter* auro.]

Sic Plinius, sic Apuleius, sic et Valerius Maximus in fine cap. 4, lib. IV : « Exsurgamus potius animis, pecuniæque as-« pectu debilitatos spiritus pristini temporis memoriâ recree-« mus : namque per Romuli casam, perque *veteris Capitolii* « *humilia tecta*, et æternos Vestæ focos, *fictilibus etiamnum* « *vasis contentos* juro, nullas divitias talium virorum paupertati « posse præferri. » Seneca, Cons. ad Helviam, cap. X : « Itaque « tunc *per fictiles Deos* religiose jurabatur. » C.

v. 118. . . . . *Hoc* lignum stabat *ad* usus.]

Ita omnes, præter Grangæum, qui habet *hos* melius, ut puto; et jam olim ita conjeceram. Alii habent, *hos* lignum stabat *in* usus, haud absurde. H.

v. 127. . . . . Hinc surgit *orexis*,
Hinc stomacho vires.]

Ita Aelius Lampridius in *Heliogabalo* (aut potius, in *Elagabalo*, ut ex nummis passim discimus) : Amabat sibi pretia majora dici earum rerum quæ mensæ parabantur, *orexim convivio hanc* esse asserens. Sic et poëta noster initio hujus satiræ :

. . . . *magis illa juvant, quæ pluris emuntur.*

C.

v. 136. Sed nec structor erit, cui *credere* debeat omnis
Pergula, discipulus *Tripheri doctoris*.]

Ita habent plurimi; alii legunt *cedere*, ut Rigaltius; quod et Lubinus notat. H.

v. 136. Sed nec *structor* erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus *Trypheri* doctoris.]

Dicitur hîc a Juvenale *structor*, qui et sat. V, *chironomus* (cùm magis proprie *structor*, Petronio *instructor ferculorum* dicatur). Ipse Juvenalis aptiori vocabulo *carptorem* alibi vocat, quem Petronius in Satirico *scissorem*. Locus hic est. « Processit « statim *scissor*, et ad symphoniam ita gesticulatus laceravit « opsonium, ut putares Sybaritam hydraule cantante pugnare. » Seneca, epist. 15 : « In rhetorum ac philosophorum scholis « solitudo est; at quàm celebres culinæ sunt! » Et alibi : « In- « felix! qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi « quòd miserior est, qui hoc voluptatis causâ docet, quàm qui « necessitatis discit. » Erant ergo *coqui*, qui docerent *scindere*; ut et hîc innuit Juvenalis. *Doctores* autem isti in *pergulis* morabantur, ut plerique artifices, pictores, ludimagistri et alii. *Trypherus doctor* nomen videtur fictum a luxu, aut certe alicujus ævo suo celebris coqui : ex quo loco discimus hos doctores habuisse in *pergula* aves et quaslibet gulæ cupedias ex ulmo aut alia arbore, quas obtusò cultro scinderent coram discipulis. *Pergula* autem fuit tantum appendix ædificii (ita ego semper existimavi) et in publicum spectabat (*échoppe* nos Galli dicimus); ob id artifices et magistri minus noti in illis *pergulis* opera sua proponebant, aut docebant, ut innotescerent. C.

v. 137. . . . . *Apud quem*
Sumine cum magno lepus atque aper, et pygargus,
Et Scythicæ volucres, et phœnicopterus ingens,
Et Getulus orix, *hebeti lautissima ferro*
Cæditur, et totâ sonat ulmea cœna Suburrâ.]

Accepi ab illustriss. viro Dionysio *De Sallo*, Regio in Suprema Franciæ Curia Consiliario, quemdam a se visum, qui capones ligneos cæterasque ejusmodi aves et epulas ligneas secum ipse portaret, et ubi eas furcillâ apprehendi, quâque arte et ratione singulas partes carpi et truncari oporteret, doceret. Quo gestu lepus, quo gallina secaretur. Idem narrabat

mihi duo fuisse foramina vel cavos in pectore caponis lignei, et similiter in aliis, quibus insertâ furcillâ sublimem hic carptor avem suspensamque tenebat, et hebeti suo cultro, quî singulas ejus partes detruncari oporteret, edocebat. H.

v. 144. . . . Et exiguæ *furtis* imbutus ofellæ.]

Quidam legunt, *frustis*, quæ quidem lectio mihi magis arridet. H.

v. 156. Nec *pugillares* defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas,
Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.]

Pugillares, id est, qui manum impleant, vel certe qui sint *pugilli* mensurâ : sic in sat. VI :

Ergo exspectatos, ac jussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres, etc.

Tegit inguina gutto : ne scilicet a molli quopiam et cinædo divite in balneis conditiones legente rapiatur admissarius futurus. *Pugil* tamen cùm primam syllabam corripiat, ita et *pugillares* : verum *pupillares* alibi legi, et ita omnino scripserat Juvenalis, sed corruperunt imperiti. *Pupillares*, id est, pueriles, juveniles, et ita legendum indubie. C.

v. 158. *Crassa* nec opposito pavidus tegit *inguina* gutto.]

Ita Petronius in satyrico. « Illum autem frequentia ingens « circumvenit, cum plausu et admiratione timidissima : habebat « enim *inguinum pondus* tam grande ; ut ipsum hominem laci- « niam fascini crederes. Itaque statim invenit auxilium, etc. » Seneca, lib. I Natural. Quæst. de *Hostio* quodam impurissimo divite : « In omnibus quidem balneis agebat *ille* delectum, et « apertâ mensurâ legebat viros. » Vide quæ de Faustina, atque de Elagabalo notantur apud historicos. C.

v. 162. Forsitan exspectes, ut *Gaditana* canoro
Incipiant prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram *tremulo* descendant *clune* puellæ.].

Gaditana cantica desaltabant hæ Gaditanæ puellæ. Sic Mar-

tialis, lib. V, epigramm. 78, de parva cœnula et frugi:

Nec crassum dominus (convivii scil.) leget volumen
Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos *docili tremore* lumbos.

Ergo hic tum Romæ mos erat. Harum lascivarum saltationum modos tres refert Jul. Cæsar Scaliger in cap. 18, lib. I Poëtices. H.

v. 169. Non capit has nugas humĭlis domus: *audiat ille*
Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet.]

Testulæ et *ossicula* usum aliquando crotali præstabant, quæ vocabantur *crumata*. Martialis:

Edere lascivos ad Bœtica *crumata* gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Quod hodieque Cantabri et Gaditani in more habent usuque. C.

v. 169. . . . . *Audeat* ille
Testarum crepitus cum verbis.]

Ita pleræque editiones: at Grangæus et alii, *audiat*, melius, ut et ego. *Testarum* crepitus, hoc est, *crotalorum* e *testis* et conchyliis, quibus in India saltantes feminæ utuntur; cujusmodi *crepitacula* Galli *castagnettes* vocant; quodquidem instrumenti genus videtur ad Venerem incitare, ideoque proprium esse mulierum impudicarum. Sic Virgilio Copa meretrix dicitur

Crispum sub crotalo docta movere latus.

Sed hactenus ea de re. H.

v. 173. Qui *Lacedæmonium pedeumate* lubricat *orbem*.]

Mire laceratus fuit hic versus, quia non intelligebatur. Domitius *pytismate* emendat, et *Lacedæmonium orbem* annulum exponit. Merula saltationis Laconicæ genus esse ait, quod tamen nusquam fatetur legisse. *Pitylismate* Politianus legendum censuit, id enim ex Galeno esse genus exercitationis, quo in Laconicis, id est, sudatoriis uterentur, peruncto prius corpore: obtineret hæc sententia, si docti eam, cum his, de quibus loquitur

Juvenalis, cohærere animadvertissent. Flavius quidam *orbis Lacedæmonii* nomine intelligit *nates*, et ita ab eo Lipsius, ut apud Suetonium in Augusto, seu σφιγκτῆρα, et *poppysmate* reposuit absurdissime. *Hunc orbem* tripudii genus esse Brodæus censet, in quo diu se in gyrum versantes hodie quoque mimi subinde emicant ac subsiliunt. Sed quare *Lacedæmonium?* Hæc omnino non satisfaciunt. Turnebus, *pytisma* sputum, *orbem* trochum videri voluit. Ipse Muretus explicat *petteumate* a verbo πεττεύω, et putat innui divitem aleatorem, idque confirmari versibus sequentibus :

> Namque ibi fortunæ veniam damus. Alea turpis
> Turpe et adulterium mediocribus : hæc eadem illi
> Omnia cùm faciant, hilares nitidique vocantur.

Orbem autem *Lacedæmonium* explicat *mensam* ex marmore Laconico (mallem *alveum* dicere), ut Martialis *Libycos orbes* vocat *mensas* ex marmore Africano; et Seneca ad Albinam *magni levatique mensarum orbes*. Lubricantur autem, id est, *levantur*, levia redduntur assiduâ tractatione marmora, super quibus assidue alea luditur; et hæc sententia videtur cæteris verisimilior. Ego posthabitis tot doctorum virorum sententiis, huncce Juvenalis locum ex Ael. Lampridii loco, qui commodùm incidit, ita restituo :

> Qui *Lacedæmonium pytismate* lubricat *orbem*.

Id est, *Lacedæmonia saxa*, seu marmorea pavimenta Lacedæmone advecta, maximi pretii, *sputis* lubricat, *conspuit*, pede terit; qui dives est (nec enim ita aream sternere, aut triclinia nisi dives potest, cùm id Elagabalus fecisse dicatur). Et certe post habet *mediocribus*, et antea *divitis urticæ*, ut eos opponat hîc Juvenalis. Lampridii locus hic est in Elagabalo : « Stravit et « *saxis Lacedæmoniis*, ac porphyreticis *plateas* in palatio, « quas *Antoninianas* vocavit. » Hinc omnino lucem accipit Juvenalis. Quàm fatua autem (si ita loqui liceat), explicatio omnium aliorum, qui de nescio quibus saltibus exponunt! C.

v. 175. . . . . Hæc tamen illi
Omnia cùm *faciant*, hilares nitidique vocantur.]

Lego primus : omnia cùm *faciunt*, quod certe melius. C.

NOTAE IN SATIRAM DUODECIMAM.

v. 3. . . . . Niveam reginæ *ducimus* agnam.]

Sic Rigaltius; sic vult reponi pro *cædimus*, ex Latiniacensi codice P. Pithoeus. *Reginæ*, supple Deorum, *Junoni* scilicet, cui albæ hostiæ immolabantur, sicut et cæteris majoribus, seu superis Diis; ad differentiam minorum, sive inferorum, quibus nigræ tantum offerebantur victimæ. H.

v. 17. Nam præter pelagi casus et *fulminis* ictus
Evasi.]

Sic in Latiniacensi exemplari, et ita Rigaltius habet; sic et Pithoeus vult reponi pro *fulguris ictum evasi.* H.

v. 47. . . . Biberat quo *pallidus* emptor Olynthi.]

Philippus scilicet rex Macedonum. Ita Pithoeus, Rigaltius, vetus interpres: at Raphelengius, *callidus* habet ingeniosius forte quàm verius. H.

v. 53. . . . . Tunc, adversis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro summitteret.]

Ita Pithoeus, Rigaltius, Raphelengius et vetus interpres, qui explicat, *res pervenit ad hoc, ut arborem* (id est, malum), *succideret, ac per hoc breviorem navem faceret. Fit autem navis brevior sublatâ arbore, id est levis* (imo, id est, minor; nam malus pars est altissima navis). Nil ergo mutandum in *illuc recidit*, ut feci olim: *illuc res cadit*, si bene memini. H.

v. 58. . . . . Digitis a morte remotus
Quatuor, *ac* septem, si sit *latissima* tæda.]

Ita Pithoeus, Rigaltius, Raphelengius. Pithoeus in vetustissimo et optimo exemplari ait legi:

Quatuor, *aut* septem, si sit *lautissima* tæda.

Bene, nisi quòd *latissima* legendum. H.

v. 62. . . . . Tempora postquam
Prospera *vectoris*.]

Legendum puto *vectori*, contra omnes editiones. H.

v. 75. Tandem intrat positas inclusa per æquora moles.]

Id est, ut puto omnino : intrat æquora inclusa per moles positas, hoc est, inclusa molibus jactis. H.

v. 76. Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum,
Quæ pelago *currunt* medio, longeque relinquunt Italiam.]

Sic Pithoeus, Rigaltius et vetus interpres explicans, *intrant mare*. At Raphelengius,

Quæ pelago *occurrunt* medio.

Malim *occurrunt*, quod bene respondet *porrectis*. H.

v. 84. Sertaque *delubris* et farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebamque virentem, etc.]

Quid est hoc, serta *delubris* imponere? Legendum puto : *sertaque polubris* vel *pollubris ; delubrum* enim est, καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα, ex veteribus grammaticis : *polubrum* autem poculum, seu potius vas, quod *trullum* vocamus, ait Nonius. Fabius Pictor, lib. XVI, aquam manibus pedibusque dato : *polubrum* sinistrâ manu teneto (unde aquam pedibus des) dextra vasum cum aqua (unde aquam manibus infundas). Hæc autem *polubra* aquam continebant abluendis post immolationem victimis; serta vero et coronæ sacrificiis inserviebant, nam et sacrificantes coronabantur et aræ frons seu pars anterior sertis redimita erat in modum hemicycli, ab utroque aræ latere dependentibus fasciis, quibus vincta erant, ut videmus in nummis. Sic et lebetes coronabantur, et tripodes ac canthari. Sequitur apud Juvenalem :

Ac molles ornate focos, aramque *virentem*.

Id est, aram cespiticiam et tumultuariam : sed *molles focos* quid est? Ornate, id est, parate ignes in altari. Ut placavi Tarpeium in suo templo, vitulo cæso, ita *hîc* nostrum placabo Jovem, id est, domi Jovem domesticum placabo sacrificio; nam initio satiræ ait *hostia Tarpeio servata Jovi, vitulus :* scilicet, in templo Jovis Capitolini victimas immolârat, sed et domum

post peractum sacrificium reversus eum levi aliquo sacrificio; scilicet ture placavit, ut et Penates seu Lares. *Nostrum Jovem*, id est, meum Jovem, quem domi habeo, cujus sigillum domi habeo. C.

v. 86. Jam sequar, et sacro, quod *præstat*, rite peracto,
Inde domum repetam.]

Sic Latiniacense exemplar habere ait Pithoeus: sed, post deletam *p* litteram, sane *restat* bene est. H.

v. 91. *Cuncta nitent*, longos erexit janua ramos,
Et matutinis *operatur* festa lucernis.]

Sic Pithoeus, et Raphelengius: at Rigaltius *operantur festa lucernis*: ita et vetus interpres Juvenalis explicans *sacrificant*. Et ipse Pithoeus sic vult reponi ex optimo exemplari et vetustissimo. Tamen mea mihi conjectura non displicet:

Uncta, *nitens*, longos erexit janua ramos,
Et matutinis *operitur* festa lucernis.

Nam *operantur* ad quid refertur? H.

v. 105. Arboribus Rutulis, et *Turni* pascitur *agro*
Cæsaris armentum.

Id est, in agro *Ardeatino*. Sic Martialis, lib. VII, epig. 12:

Dum *Tiburtinis* albescere *collibus* audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,
Venit in *Herculeos colles*.

Id est, *Tibur*. Sic alibi:

Tibur in *Herculeum* migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi:

ut ebur scilicet, vel dentes eburneos elephantorum Imperatoris, qui ob id eo traducebantur seniores, ut dudum observavi de armento Cæsaris. Cæterum, ut Juvenalis et Martialis concilientur, dicendum est vetulos elephantos de armento Imperatorum Romanorum, quod in agro Ardeatino pascebatur, in agrum Tiburtinum agi solitos, quòd in eo agro elephantorum dentes ætate flavescentes, pristino candori singulari hujus cœli solique beneficio restitui credebantur. H.

v. 109. Horum majores, *ac* dorso ferre *cohortes*,
Partem aliquam *belli*, et euntem in prælia turrim.]

Ita Pithoeus, Rigaltius, Raphelengius, et vetus interpres Juvenalis. Tit. Livius, lib. XXXVII, de Indicis elephantis Antiochi, qui Africis majores et robustiores sunt: « Ingentes, « ait, ipsi erant, addebant speciem frontalia, et cristæ, et tergo « impositæ turres, turribusque superstantes præter rectorem « *quaterni armati.* » Ergo si non plus ferunt *quinque militibus* maximi et maximarum virium elephanti, Juvenalis valde poëticâ usus est hyperbole, cùm ait elephantos dorso ferre *cohortes* partem aliquam belli. Itaque conjectura mea mihi placet :

. . . . . *et* dorso ferre *cohortis*
Partem aliquam *bellis*, et euntem in prælia turrim.

bellis, id est, in *prælia* vel in præliis, et ita legendum arbitror. H.

v. 111. . . . . Mora nulla, per *Istrum*
Pacuvium.]

Ita omnes præter editionem Lugduno-Batavicam Christoph. Raphelengii, anni 1600, quæ habet *Histrum* Pacuvium, bene. *Pacuvius Hister*. H.

v. 129. Possideat quantum rapuit Nero : *Montibus aurum*
Exæquet.]

Aurum, id est, *auri cumulos*. Sic Valer. Maximus loquitur, lib. II, cap. 9 : *Partarum rerum æquatus cœlo cumulus* sedem stabilem non habebit. C.

NOTAE IN SATIRAM DECIMAM TERTIAM.

v. 18. *An* nihil in melius tot rerum *proficit* usu?]

Sic Pithoeus et Rigaltius : at Raphelengius :

At nihil in melius tot rerum *proficit* usu ?

Vetus interpres Juvenalis : an nihil in melius, etc. explicat, *tanti temporis usus non tibi proficit?* ita ut videatur legere, *proficis usu?* H.

v. 64. Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, vel *mirandis* sub aratro
Piscibus inventis, et fetæ comparo mulæ.]

Sic Pithoeus et Rigaltius. At Raphelengius :

. . . . . *et miranti jam* sub aratro
Piscibus inventis, etc.

Male. In uno codice Pithoei :

. . . . . vel *miranti* sub aratro
Piscibus inventis, etc.

id est, a mirante inventis. H.

v. 112. Tu miser exclamas, ut *Stentora* vincere possis,
Vel potius quantum *Gradivus Homericus.*]

Innuit locum Homeri Il. ε. loquentis de Stentore :

Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ
Ὃς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα

Item de Deo Marte a Diomede hastâ vulnerato :

. . . . . ὁ δ' ἴδραχε χάλκεος Ἄρης,
Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον, ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ, ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος·

« boatum autem edidit ferreus Mars, quantum novies mille « clamant, vel decies mille viri in bello, pugnam Martis com- « mittentes. » C.

v. 138. . . . . Gemmaque princeps
Sardonichum, loculis quæ custoditur eburnis.]

Ita Pithoeus, Rigaltius et Raphelengius. Alii legunt, *sardonyches*. H.

v. 140. Te nunc delicias! extra communia censes
Ponendum?]

Sic omnes habent editiones. Calvinum *delicias* vocat Juvenalis pro delicato. Interpres vetus, in sat. IV Juvenalis legit de Crispino :

. . . . . segne, solâque libidine fortes
Deliciæ : vidnas tantum aspernatur adulter;

quod ferri posse videtur. Tamen et Pithoeus, et Rigaltius, et Raphelengius, ac cæteri habent :

. . . . monstrum nullâ virtute redemptum
A vitiis ; æger, solâque libidine fortis,
Delicias viduæ tantum aspernatur adulter.

Id est, viduam delicatam, consuetudinem viduæ contemnit, friget ad viduas et jacet ad viduas, ad solas arrigit nuptas. Puto hanc meliorem esse lectionem. H.

v. 150. Hæc ibi si non sunt, minor *exstat* sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, et faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet, *solitus* totum conflare tonantem?]

Ita Pithoeus et Rigaltius, et Raphelengius, et vetus interpres, *solitus*, male omnino, et sine sensu. Valeat conjectura :

. . . . . minor *est an* sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, et faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat,
An dubitet *stolidus* totum conflare Tonantem?

mutatis duabus litteris, et unâ sublatâ. H.

v. 157. Hæc quota pars scelerum, quæ *custos Gallicus Urbis*.]

Statius, lib. I Silvar. in *soteriis* (*soteria* autem dicendum; τὰ σωτήρια enim sunt *sacrificia* pro *accepta salute*, itemque *gratulationes amicorum*) pro *Rutilio Gallico Valente*, qui tamen paullo post obiit (ex eodem Statio in præfatione) :

Quippe manet longumque ævo redeunte manebit,
Quem penes *intrepidæ mitis custodia Romæ.*

Vel hi soli versus probant esse hunc *Gallicum præfectum Urbi*, rerum potiente Domitiano, qui Juvenali *custos Gallicus Urbis* vocatur, quem et soluta oratione scribere, et legum peritum esse, et in judiciis mitem esse, aliaque de eo multa prædicto libello Statius memorat. C.

v. 187. . . . . Plurima felix
Paullatim vitia, atque errores exuit omnes,

Prima *docet* rectum sapientia.]

Ita Pithoeus et Rigaltius : at Raphelengius :

Prima *docens* rectum sapientia.

Frustra. H.

v. 225. Non quasi *fortuitus*, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, *et* vindicet ignis.]

Sic Pithoeus et Rigaltius : Roberti Stephani editio *fortuitu*, male. Lego quoque :

Iratus cadat in terras, *ut* vindicet ignis,

et ita sensus requirit. H.

v. 246. Aut maris Aegei rupem, scopulosque frequentes
Exulibus magnis.]

Alludit hîc omnino Juvenalis ad proceres in exilium a Domitiano missos, quos omnes magno numero delatos a calumniatoribus in Italiam Nerva Romamque revocavit. Verisimile est autem, ut recte ait Tristanus, nummos Nervæ et Trajani ita inscriptos : LIBERTAS AVG., LIBERTAS PVBLICA., LIBERTAS P. R., SECVRITAS P. R., LIBERTAS RESTITVTA., de ea revocatione exulum et restitutione esse intelligendos. C.

NOTAE IN SATIRAM DECIMAM QUARTAM.

v. 6. Nec de se melius cuiquam sperare propinquo
Concedit juvenis, qui radere *tubera terræ*, etc.]

Tubera terræ vocat Juvenalis ad differentiam tuberum in arboribus crescentium, quos *tuberes* Martialis vocat :

Non tibi de Libycis *tuberes* et apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Ibidem :

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ *tuberes;* quid tibi cum Libycis ?

Tuberes Libycos nasci in arboribus, ait Martialis, at Juvenalis

tubera Libyca, non tuberes Libyos commendat, quæ in terra nascuntur. Uter fallatur, nescio. *Tubera* autem *terræ* Juvenalis cùm vocat, satis indicat se et alia *tubera*, vel potius *tuberes*, alibi quàm in terra nascentes nosse. Unde et Philoxenus ex Juvenale in glossario suo Latino-Græco veteri *tubera terræ* reddit ὕδνα. Cæterum, *tuberes* forte sunt *mousserons*, vel *morilles*; at *tubera*, *truffes*, de quibus et Petronius :

. . . . . rotundo
Horti *tubera*, quod creavit unda.

Id est, pluvia verna. H.

v. 15. Mitem animum, et mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque *animas servorum, et corpora nostra*
Materiâ constare putat paribusque elementis;
An sævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, etc.]

Ex Juvenale Macrobius Saturnaliorum lib. I, cap. 11 : « Tibi « autem unde in servos tantum et tam immane fastidium; « quasi non *ex iisdem tibi et constent et alantur elementis*, « eumdemque spiritum ab eodem principio carpant? Vis tu « cogitare, eos quos jus tuum vocas, iisdem seminibus ortos, « eodem frui cœlo, æque vivere, æque mori? Servi sunt, immo « homines. Servi sunt? immo conservi. » Et paullo ante : « Jocone « an serio putas esse hominum genus, quod Dii immortales nec « curâ suâ, nec providentiâ dignentur? An forte servos in « hominum numero esse non pateris? » In sat. VI Juvenalis virum suum ita loquentem de servo suo,

Nulla unquam de morte *hominis* cunctatio longa est,

ita reprehendit conjux :

O demens! ita *servus homo* est?

Florus, lib. III, cap. 20, de servis : « Nam et ipsi per fortunam « in omnia obnoxii, tamen quasi *secundum hominum genus sunt*, « et in bona libertatis nostræ adoptantur. » H.

v. 18. An sævire docet Rutilus? qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, et *nullam Seirenа flagellis*
Comparat.]

Id est, nullius Siremis vocem, suavitatemque cantûs non

postponendam putat crepitui plagarum, et ictibus flagellorum aut sono verberum. C.

v. 33. . . . . Unus et alter
Forsitan hæc *sperant* juvenes, etc.]

Ita Pithoeus et vetus interpres, male: at Rigaltius, et Raphelengius, et cæteri, *spernant*, bene. H.

v. 74. . . . . *Serpente ciconia pullos*
Nutrit.]

Solinus, cap. 34: « Circa Nili ripas ales est *Ibis*; ea *serpentium* populatur *ova, gratissimamque ex his escam* nidis suis « defert, et *pennatis anguibus* Arabicarum paludum occurrentes « *agmen devorant universum.* » Eæ *Ibes* vocantur et *ciconiæ*: quare hanc forte intelligit Juvenalis, cùm ait, *serpente ciconia pullos nutrit*; quam alibi vocat *saturam serpentibus Ibin*. Quanquam tamen et de *vulgaribus ciconiis* Juvenalis potuit loqui; ex Plinio enim, lib. X, cap. 23, homes *ciconiis* exitio serpentium tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse. C.

v. 83. . . . . Cùm se matura *levaret*
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam, etc.]

Ita Robertus Stephanus. Forte legendum *levârit*. *Levabit*, Rigaltius et Grangæus habent. H.

v. 91. Ut spado vincebat Capitolia nostra *Posides*.]

De eo spadone, Liberto Claudii Imper. cohortibus et provinciis præposito, lecticâ per Urbem vecto, et spectacula publice edente interpres ex Suetonio; de eo et Plinius, cap. 2, lib. XXXI, ex me. H.

v. 130. . . . Nec non differe in tempora cœnæ,
Alterius conchem *æstivam* cum parte *Lacerti*
Signatam.]

Ita P. Pithoeus et Rigaltius, ac vetus interpres: at *æstivi* Raphelengius. Vetus interpres ita explicat: fabam coctam in

alium diem cum sardina servat. Ergo *lacertus* est *sardina*, quod ibidem genus piscis salsi explicat. H.

v. 130. . . . . Nec non differre in tempora cœnæ
Alterius *conchem æstivam* cum parte lacerti
Signatam.]

Quemadmodum hîc ex Juvenale, ita et ex Aristophane in ranis, et ex Plauto in Persa discimus parcos olim et restrictos homines *obsignâsse quæ intacta vellent*, etiam ipsas vilissimas cœnæ reliquias. Sed si parcitas illa in divite privato meritissimo jure sordida avaritia nuncupetur, quod monstrum erit in principe? Et tamen observo ex S. Aur. Victoris Epitome in Sev. Alexandro, Mamæam hujus principis matrem, feminam alioquin laudatissimam, hunc sordidum morem in palatium invito filio invexisse. Hæc sunt Victoris verba : « Hujus mater *Mamæa*, « eo filium coëgerat, ut *illa ipsa, quamvis permodica, si mensæ* « *prandioque superessent, alteri convivio reponerentur.* » C.

v. 134. Invitatus ad hæc *aliquis de ponte* negabit.]

Quia mendici in pontis itinere sedent, ait vetus interpres, bene. H.

v. 153. . . . . Tunicam mihi malo *Lupini.*]

Alii *Lupina*, alii *Lupinæ* legunt, et leguminis putamen exponunt; ego damnati alicujus tunicam molestam. H.

v. 161. Mox etiam fractis ætate ac Punica passis
Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molossos,
Tandem pro multis vix *jugera bina* dabantur
Vulneribus: merces ea sanguinis atque laboris
Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ.]

Omnia hæc conveniunt Juvenalis verba : conveniunt, inquam, præterquam hæc, *Punica passis prælia :* nam tum primum cœperat hoc bellum Punicum : sed conjiciendum est (nam Livii

libros de primo Punico bello non habemus), etiam confecto primo bello Punico emeritis et veteranis in colonias deductis non plus duo jugera in singula capita fuisse data. Nam et Carthaginensibus cum Hannibale domitis, et stipendiariis factis, ut et Antiocho ac Philippo regibus, Mutina et Parma coloniæ civium Romanorum sunt deductæ bina millia hominum in eo agro, qui proxime Boiorum, ante Tuscorum fuerat, *octona jugera Parmæ, quina Mutinæ* acceperunt ex Livii lib. XXXIX, viritim scilicet, seu singuli coloni (cùm potentissima esset Respublica, et luxuriâ Asiaticâ laboraret). H.

v. 163. Tandem pro multis vix *jugera bina* dabantur
Vulneribus.]

Plinius, lib. XVIII, cap. 2: « Arvorum sacerdotes Romulus « in primis instituit. » Et paullo post: « *Bina* tunc *jugera* populo « Romano *satis erant*, nullique majorem modum attribuit « (Romulus) quo servos paullo ante principis Neronis con- « temptu hujus spatii *viridaria* et *piscinas* juvat habere majores, « gratumque, si non aliquem et *culinas*. » Varro, de Re Rust. lib. I, cap. 10: « Antiquus noster (actus scilicet) *ante bellum* « *Punicum* pendebat *bina jugera*, quòd a Romulo primum « *divisa* dicebantur (*bina jugera*, scilicet) viritim. » Sic ipse Juvenalis infra:

Nunc *modus* hic *agri nostro* non sufficit *horto*.

Id est, *bina jugera* non sufficiunt *viridario urbano*. At fallitur graviter ex Varrone et Plinio, cùm ait *bina jugera* Punicis bellis *dari solita civibus Romanis viritim*, cùm post Romulum hic mos non duraverit diu, crescente in dies Republicâ Romanâ, et majorem suis mercedem laborum rependente. Sed (ut puto) de modo *jugerum* loquitur, quæ darentur emeritis singulis in colonias deductis. Plinius, lib. XVIII, cap. 3: « Etiamnunc in « *tabulis censoriis pascua* dicuntur *omnia*, ex quibus populus « *reditus* habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat. » Unde Juvenalis:

Omnis enim populo mercedem solvere jussa est
Arbor.

Erat ergo reditus quidam Urbis seu populi, etiam sub Impe-

natoribus, qualis solet esse nostris municipiis, ad reparationem murorum, et alios usus publicos. C.

v. 184. Contingunt *homini* veteris fastidia quercûs.]

Sic P. Pithoeus, Rigaltius, vetus interpres Juvenalis, et cæteri, bene : at Raphelengius :

Contingunt *homines*,

male omnino. C.

v. 185. Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet *alto*
Per glaciem *perone* tegi.]

Eo sensu accipit *perones* Sidonius Apollinaris, lib. IV Epist. cùm ait, quorum pedes primi *perone setoso* talos adusque vinciebantur; genua, crura, suræque sine tegmine. Ergo *pero* usque ad suras tantum pertinebat, ut hodie *les guêtres*; et his peronibus per nivem, imbrem et glaciem utebantur. His contrarii erant mulleoli lunulatique, ex alutis, id est, mollioribus pellibus facti : alii enim puri erant calcei, isti lunâ notati, aut certe ex molliori pelle. C.

v. 199. . . . Et *trepidum* solvunt tibi cornua ventrem
Cùm lituis audita.]

Ita Pithoeus, ita Rigaltius et alii : at Raphelengius et Farnabius : *trepido solvunt tibi cornua ventrem*; frustra. C.

v. 201. . . . . Nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandæ Tiberim ultra.]

Sic Martialis, lib. VI, epigr. 93 :

Non detracta cani Transtiberina cutis.

Ergo omnia vilia et fœtida in Transtiberina regione Romæ servabantur, et merces putidæ, ut coria ex Juvenale, ibidem et interprete. Idem Martialis, lib. I, epigr. 42 :

Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pellentia sulfurata fractis
Permutat vitreis, etc.

Idem, lib. I, epigr. 109 :

Est tibi, sitque precor, multos crescatque per annos
Pulchra quidem, verum *Transtiberina domus*.

Ergo *domus Transtiberinæ* viliores erant et minoris pretii, ob

causam supra notatam, scilicet ob pelles, et coria, et merces fœtidas ibi ferri solitas et exponi. H.

v. 205. . . . Illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Diis atque ipso Jove digna, *poëtæ.*]

Ita Pithoeus, Rigaltius et Raphelengius. Illa sententia *poëtæ* nescio cujus. At Pithoeus, ex optimo exemplari, reponi vult *poëta.* H.

v. 208. Hoc monstrant vetulæ *pueris repentibus assæ.*]

Ita P. Pithoeus, et Raphelengius, et vetus interpres, qui *nutriculam siccam* interpretatur. At Rigaltius, *pueris poscentibus assem*, cum quibusdam aliis. Ego primam lectionem retineo. *Assæ* enim hic non Sole coloratæ, aut ætate siccæ, rugosæ, passæ (ut senes vocantur Lucilio), sed quæ pueris *aderant* teneris. *Assas* nutrices dictas ait Nonius, quòd *adsint* his, quos nutriant, nec vel exiguo divellantur. Eo sensu Juvenalis omnino assas, non tamen nutrices (nam vetulæ hæ esse non debent), sed puerorum custodes et *mammas* intelligit, quod nescio an quisquam observârit. C.

v. 215. Parcendum est teneris, nondum implevêre medullas.
Naturæ mala; *nequitia est.*]

Ita Pithoeus et Rigaltius: at Robertus Stephanus habet: *Nativæ mala nequitiæ:* quæ lectio mihi non displicet. H.

v. 221. . . . . *Quibus* illa *premetur*
Per somnum *digitis!*]

Alluditne Juvenalis ad Calpurnium Bestiam, de quo ita Plinius, lib. XXVII, cap. 2: « Hoc fuit venenum (aconitum) « quo interemptas dormientes a Calpurnio Bestia uxores M. « Cæcilius accusator objecit. Hinc illa atrox peroratio, *ejus in « digito eas mortuas?* ». An potius *premetur* posuit pro *suffocabitur*, strangulabitur, spiritu incluso, faucibus elisis? C.

v. 293. Frumenti dominus clamat, piperisque *coëmpti.*]

Sic P. Pithoeus et Rigaltius legunt, bene: at Raphelengius, *coëmptor*, male. H.

v. 295. Aestivum tonat. Infelix, *ac* forsitan ipsâ
Nocte *cadit*, fractis trabibus, fluctuque *premetur*
Obrutus, et zonam lævâ morsuque *tenebit*.
Sed cujus votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus et rutilâ volvit Pactolus arenâ,
Frigida sufficient velantes inguina panni.]

Sic edidit Pithoeus, sic Rigaltius, sic et Raphelengius Lugduni-Bat. anno 1600, et alii, male tamen. Nam omnino legendum est ex me:

. . . . . Infelix *hâc* forsitan ipsâ
Nocte *cadet*, fractis trabibus; etc.

id est, infelix fortasse hâc ipsâ nocte, seu primâ aut proximâ nocte, naufragium faciet: sed Schrevelius me in hac emendatione prævenit. *Hâc ipsâ nocte*, dixit Juvenalis, satirâ decimâ quartâ, ut *hâc ipsâ horâ*, satirâ decimâ:

. . . . . hâc ipsâ Sejanum diceret horâ
Augustum.

H.

v. 305. Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu *Licinus* jubet, etc.]

Licinus ille (ait vetus interpres Juvenalis) ex Liberto Claudii: de quo superius dixit:

. . . . . ego possideo plus
Pallante et *Licinis*.

H.

v. 309. . . . . Altera fiet
Cras domus, *atque* eadem plumbo commissa manebit.]

Lego ex fratre, *aut eadem*; sed jam præter cæteros ita notavit Grangæus ad oram libri. H.

v. 326. Sume duos equites, fac *tertia quadringenta*.]

Juvenalis hîc *censum senatorium* vocat *tertia quadringenta*; ut recte Torrentius notat. *Fac tertia quadringenta*, id est, sume trium equitum censum, seu unius senatoris. Suetonius

in Augusto, cap. 41 : « *Senatorium censum* ampliavit, ac pro « octingentorum millium summa duodecies HS. taxavit supple- « vitque non habentibus. » C.

NOTAE IN SATIRAM DECIMAM QUINTAM.

v. 1. Quis nescit, *Volusi Bithynice*, etc.?]

Suidas, ex Lampria quodam, scripta Plutarchi inter, citat numeratve πρὸς Βιθυνικὸν περὶ φιλίας, ad *Bithynicum* de amicitia libellum, qui est, ut puto, *Volusius ille Bithynicus*, ad quem hîc scribit Juvenalis. C.

v. 1. . . . . Qualia demens
Aegyptus *portenta* colat? *Crocodilon* adorat
Pars hæc; illa pavet *saturam* serpentibus *Ibim*.

Sic Virgilius dixit, Aeneidos lib. VIII :

Omnigenumque Deûm *monstra*, et latrator Anubis.

Amici *crocodili* sunt *Ombitæ*, *Coptitæ*, *Arsenoitæ*, a quibus divino honore afficitur, foveturque ab his in paludibus manufactis, et capitibus hostium alitur, proprio nomine compellatus; ut refert Aelianus de Animal. lib. X, capitibus 21 et 24. *Tentyritæ* autem *Ibes crocodilis* inimicas adorant, quarum *pennæ* si crocodilis admoveantur, protinus obtorpescunt, teste Aeliano, lib. X, cap. 30. Quam vero turbam ridiculorum Deorum coluerint Aegyptii nullus ignorat, cùm omnes auctorum paginæ loquantur. Nam (ut latratorem Anubim, reliquaque id genus monstra prætermittam), quemadmodum permulta animalia, ita et inanimata, et cepe et porrum, atque quædam alia olera pro Diis habuerunt. Quin et ipsum ventris flatum seu potius crepitum Pelusiotæ adorârunt sub ridicula cacaturientis specie. Hujus ventriosi numinis signa duo ærea peranfiqua singularitatis, raritatisque eximiæ asservantur cum mille aliis variæ eruditionis monumentis in cimelio clariss. et doctiss. nec non mihi amicissimi viri Caroli Cæsaris Baudelotii, qui doctam de hoc Deo Crepitu, nulli antiquariorum antea unquam viso, disserta-

frontem propediem est editurus, cùm antiquæ suæ supellectilis pretiosiora quæque cælo typisque mandabit. C.

v. 7. Illîc *cæruleos*, hîc piscem fluminis, illîc
Oppida tota canem venerantur; nemo Dianam.]

Cæruleus piscis quis est? Lego, illîc *ælaros*, etc. αἴλουρος, id est, feles. Vide apud Herodotum in Euterpe, cur ab Aegyptiis æluri sive feles colantur. Atque hæc indubio retinenda est lectio. H.

v. 7. . . . . Illîc
Oppida tota *canem* venerantur, nemo Dianam.]

Id irridet Juvenalis ab Aegyptiis multis in locis coli *canem*, quòd animal rationis expers sit, et Dianæ venatricis comes adjungi soleat, Dianam Latonæ ex Jove filiam non coli. Canes Dianæ adjungi solitos ex Apuleio alibi notavi, et ex nummo Commodi, in quo altera pars Commodum, altera Dianam venatricem refert cum inscriptione, ΡΑΦΙΑΣ. ΑΣ. id est, ἀσύλου: Dianam, inquam, bis cinctam vel succinctam exertis seu apertis manibus et lacertis, arcum læva tenentem, et retorto brachio dextro ex pharetra, quæ ex humero dependet, sagittam depromentem. Ad ejus pedes *canis* est, ejus, quem leporarium vocamus, similis. *Raphia* autem est urbs vicina Gazæ in Palæstina, ubi Diana colebatur ex eo nummo, et templo ejus asyli jus erat. Satirice autem hîc magis quàm vere Juvenalis coli ab Aegyptiis Dianam negat, quæ peculiariter in urbe Bubasti colebatur; ut jam ante me notavit vir doctiss. Laurentius Pignorius, in Isiaca mensa. C.

v. 8. Oppida tota *canem* venerantur.]

Κυνῶν πόλις Αἰγυπτία πόλις ἐν ἡ πόλει ὁ Ἄνουβις τιμᾶται· ait Stephanus de Urbibus. Juvenalis ergo intelligit hoc oppidum et hunc Deum, *Anubim* scilicet, qui modo *latrator*, modo *canis* dicebatur. Sita est autem *Cynopolis* ad occidentalem Nili ripam, inter Oxyrinchum et Hermopolin, sic dicta a *cynocephalis Anubi*, seu Mercurio, in cujus honorem Cynopolitæ

canes quoque omnes venerabantur, cibariis publicis illis assignatis, ut refert Strabo, lib. XVII. C.

v. 9. *Porrum* et *cepe* nefas violare, et frangere morsu.]

Plinius, lib. XIX, cap. 6 : « *Allium cepasque* inter Deos jure-« jurando habet Aegyptus (*porrum* non nominat, de quo tamen « non dubito). » Idem Plinius, lib. XXXVI, cap. 12 : « Aliqui « prodiderunt in *Syrmæam* (quid hoc?), et *allium* ac *cepas* « (eorum, qui pyramides Aegyptias construxere), mille sexcenta « talenta erogata. » Ut significet Aegyptios jurare quidem per *allium et cepas*, tanquam per Deos, ab eorum tamen esu non abstinuisse; cùm tamen hîc contrarium Juvenalis dicat. C.

v. 12. . . . . Nefas *illic fetum* jugulare *capellæ*.]

Nimirum apud *Mendesios*, quorum urbs *Mendes*, Μένδης vocabatur, juxta Lycopolim sita; Μενδήσιον τὸν Πᾶνα τιμῶσι καὶ τὸν τράγον, ait Stephanus de Urbibus, et omnes sciunt. Herodotus, lib. II, existimat hoc oppidum sic a *Pane*, qui ibi sub *hirci* specie colebatur, denominatum fuisse; Aegyptiorum enim linguâ *Mendes hircum* sonat. Innuit autem Juvenalis absurditatem horum populorum, qui hædulum occidere et manducare nefas putent, cùm carnibus humanis vesci non inhorrescant. C.

v. 19. Nam citius Scyllam, vel concurrentia saxa
Cyaneis.]

Alii *Cyanes* habent, male. Ego *Cyaneas* lego. Pomponius Mella, lib. II, cap. 7 : « Contra Thracium Bosporum duæ « parvæ, parvoque distantes spatio, et aliquando creditæ dic-« tæque concurrere, et *Cyaneæ* vocantur et Symplegades. » Plinius, lib. IV, cap. 13 : « *Cyaneæ* in Ponto duæ, ab aliis « Symplegades appellatæ, creditæque fabulis inter se concur-« risse, quoniam parvo discretæ intervallo ex adverso intrantibus « geminæ cernebantur, paulumque deflexâ acie coëuntium « speciem præbebant. » Juvenalis ergo parvas insulas has duas saxa vocat concurrentia. H.

v. 27. Nos miranda quidem, sed nuper Consule *Junio*
Gesta super calidæ referemus moenia *Capri*.]

Ita P. Pithoeus et Bigaltius : at Raphelengius, consule

Vinco, male. At infra Juvenalis ait: « Ardet adhuc *Ombos* « et Tentyra: » non autem *Coptos* et Tentyra: H.

v. 35. . . . . Ardet adhuc *Ombos* et *Tentyra*.]

Supra diximus *Ombitas* crocodilos adorâsse, *Tentyritas* autem infestissimam crocodilis gentem fuisse, ut patet ex Plinio, lib. VIII, cap. 25: « Quin et gens hominum est huic belluæ ad- « versa in ipso Nilo *Tentyritæ*, ab insula, in qua habitant, appel- « lata. » Et paullo post: « Itaque uni ei insulæ crocodili non ad- « natant, olfactuque ejus generis hominum, ut Psyllorum ser- « pentes, fugantur. » Idem Plinius, lib. XXVIII, cap. 3: In *insula* « Nili *Tentyri* nascentes tanto sunt crocodilis terrori, ut vocem « quoque eorum fugiant. » Seneca, lib. IV Nat. Quæst. cap. 2: Ultro insequuntur crocodilos, fugientesque injecto trahunt hamo (de Tentyritis loquitur). His consentit Strabo, lib. XVII: « *Crocodilorum* oculos, axillas, et ventrem maximè petunt « *Tentyritæ*, quia his partibus facillime vulnerantur. » Ex hac ἀντιπάθεια crocodilorum et Tentyritarum nata quoque inter *Ombitas* crocodilorum amicos, et Tentyritas eorum hostes inimicitia. Dio, lib. XLII, in Caio Julio Cæsare: Θρησκεύουσί τε γὰρ (Αἰγύπτιοι, de his enim loquitur) πολλὰ περισσότατα ἀνθρώπων, καὶ πολέμους ὑπὲρ αὐτῶν καὶ πρὸς ἀλλήλους, ὅτε μὴ καθ' ἓν ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ ἐναντιωτάτου καὶ αὐτοῖς τιμῶντες τινὰ ἀναιροῦνται· (alias, ἀναιροῦσι) id est, ipsi enim multitudine eorum, quæ venerantur, Numinum omnibus mortalibus præpollent, et, quia non est una ipsis religio universis, sed inter sese diversissimi cultus, bellis quoque ejus rei causâ mutuis se impetunt. Idem scribit Athanasius in libro contra Gentes; idem Plutarchus luculenter in fine tractatûs de Iside et Osiride. C.

v. 47. Adde quod et facilis victoria de *madidis*, et
Blæsis, atque *mero titubantibus*.]

Φιλοίνους καὶ φιλοπότας τοὺς Αἰγυπτίους Athenæus Deipnosoph. lib. I, esse probat. C.

v. 63. Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere, domestica *seditione*
Tela, etc.]

Sic Pithoeus, Rigaltius, Raphelengius, omnes. Olim correxi

domestica seditioni tela, id est, familiaria, consueta, solita. Id confirmat interpres Juvenalis, qui *domestica seditione tela* explicat competentia vicini furori. Nam nulla sic sunt domestica rixantibus tela. Domestica rixantibus, competentia furori vel furentibus idem est ac domestica vel familiaria seditioni vel seditiosis. H.

v. 76. Qui *vicina* colunt *umbrosæ* Tentyra *palmæ*.]

Id est, *palmetis*. *Palmæ Aegyptiæ* et *palmæ Thebaïcæ*, cap. 26, lib. II, de aliment. facultatibus Galeno memorantur. *Palmæ* Aegyptiæ et *Thebaïdes* Plinio, lib. XIII, cap. 4. C.

v. 93. *Vascones*, ut fama est, *alimentis talibus* olim
Produxere animas.]

Id est, *carnibus humanis*, ad id, scilicet miserâ longæ obsidionis necessitate, coacti. Sic de Saguntinis obsessis ab Hannibale Silius Italicus, lib. II :

Est taeitus fessis per ovantia pectora sensus
Vel leto graviora pati, sævasque ferarum
Attentare dapes, et mensis addere crimen.
Sed prohibet culpâ pollutam extendere lucem
Casta fides, *paribusque* famem compescere *membris*.

Id est, *humanas* carnes parum abfuit quin ederint; de edendo certe cogitârunt fame pressi. *Vascones* autem et *Cantabros* ob viciniam alterum pro altero populum ponit Juvenalis. Intelligit enim *Vascones*, Οὐάσκωνες, gentem Hispaniæ Tarraconensis, inter quorum Mediterraneas urbes Καλαγορίνα Ptolemæo memoratur, id est, *Calaguris*, quam hîc Juvenalis innuit; quæ Καλάγουρις Οὐασκόνων πόλις Straboni vocatur. Plinius duos populos *Calaguritanos* vocat in Tarraconensi, et cognominibus distinguit, quorum hi *Nasici*, hi *Fabularenses* cognominantur. C.

v. 103. . . . Quisnam hominum veniam dare, quisve Deorum
Viribus abnuerit dira atque immania passis,
Et quibus ipsorum poterant ignoscere Manes,
Quorum corporibus vescebantur?]

Ita omnes, malè : *viribus* enim pro *viris* non dicitur, quid

quid dicat Lubinus, qui et *urbibus* legi posse ait, nugæ. Ego lego omnium primus *ventribus*, pars pro toto, id est, *viris*, optime. Sic alibi idem :

Servorum *ventres* modio castigat iniquo.

Id est, *servos*. Item, satirâ quartâ :

Montani quoque *venter* adest abdomine tardus.

Id est, Montanus ventrosus. Sic quoque :

Vivite lurcones, comedones, vivite *ventres*.

Id est, homines gulosi, *ventri* dediti : et Cretes pigri *ventres* dicti, γάστερες ἀργαὶ. Error natus ex scripturæ compendio tali : *ūtribus*. H.

v. 110. Nunc totus Graias, *nostras*que habet orbis Athenas.]

Legendum olim putabam :

Nunc totus Graios, *notasque* habet orbis Athenas.

Id est, Græcos, Græcorumque philosophiam, et Athenas notas habet. Nam *nostras* Athenas, pro Roma non placebat. At nil muto. Sensus enim hic est. Græcam et Latinam linguam, artesque discit, et Graias Athenas ac nostras, id est, Romam, quam Græcam urbem alibi vocat, totus orbis Romanus imitatur. H.

v. 126. *Hâc* sævit *rabie* imbelle et inutile vulgus.]

Gens rixosa dicuntur *Aegyptii* Tertulliano ad Nationes, lib. II: Δεινὴ τίς ἡ παρὰ τοὺς θομοὺς ὠμότης γίγνεται τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἀνθρώπων, ait Polybius, lib. XV. Aegyptii dum fervent irâ, mirum in modum sunt crudeles : quod cum aliæ historiæ, tum vel maxime Ecclesiasticæ, et hæc satira Juvenalis ostendunt. C.

v. 126. . . . . Imbelle et inutile vulgus
Parvula *fictilibus* solitum dare vela *phaselis*,
Et brevibus *pictæ* remis incumbere *testæ*.]

Testeis navigiis, ait vetus interpres Juvenalis, id est, testaceïs, fictilibus. Talibus enim navigiis in Nilo utuntur. H.

v. 127. Parvula *fictilibus* solitum dare vela *phaselis*,

Et brevibus *pictæ* remis incumbere *testæ*.]

Virgilius, lib. IV Georgicôn :

> Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
> Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
> Et *circumpictis* vehitur sua rura *phaselis*.

Quibus *pictis phaselis* seu *naviculis* stagnante Nilo Aegyptios uti ait Servius Grammaticus. Neuter tamen *fictiles* fuisse dicit, ut Juvenalis testis ocularis hîc refert. Nec vidi aut audivi quemquam hujusmodi lemborum meminisse. Ex corio quidem in Oceano Britannos, et Saxones aliosque usos legimus; et, si quid ad rem facit, Procopium mentionem facere *navis cujusdam lapideæ*, quæ *navis Aeneæ* Romæ diceretur. De picturis autem navium Aegyptiarum non item : de iis silet nemo. Apuleius, libro ultimo de Asino Aureo, loquens de festo Isidis die, magnâque pompâ et solemnitate, qua in oppido Cenchreïs mare tunc primum aperitur, hæc ait : « Simulacris rite dispositis « (Dèorum in ripa maris), navem faberrime factam, *picturis* « *miris Aegyptiorum* circumsecus (id est, undequaque) varie« gatam, summus sacerdos, tædâ lucidâ, et ovo, et sulphure « solemnissimas preces de casto præfatus ore, quàm purissime « purificatam Deæ (Isidi) nuncupavit, dedicavitque. » C.

v. 154. . . . . Tutos vicino *limite* somnos
Ut collata daret fiducia.]

Ita Pithoeus et Rigaltius : at Raphelengius, *limine*, sane melius. H.

NOTAE IN SATIRAM DECIMAM SEXTAM.

v. 13. *Bardaicus* judex datur hæc punire volenti
Calceus, et grandes magna ad subsellia suræ.]

Id est, Bardaicus calceus datur judex. Calceus pro homine judice, ex veteri scholiaste, id est, pro centurione militariter calceato. H.

v. 20. Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli

Consensu magno *officiunt. Curabitis*, ut sit
Vindicta gravior quàm injuria?]

Hæc sunt verba militum ad litigantem, et ad patronum ac testes; bene omnino. Vulgo legitur :

Consensu magno *efficiunt*, curabilis ut sit
Vindicta, et gravior quàm injuria.

Malo sensu et contrario rationi. *Curabitis*, forte bene; id est, tu, qui læsus es, et tui testes ac patronus tuus. Lego primus:

. . . . . *curabit is*, ut sit
Vindicta gravior quàm injuria?

ut sint verba militum ad læsum et litigantem, de quo paullo supra :

. . . . . Nec mihi deerit
Ultio, si justæ defertur causa querelæ.

Is dictum per contemptum, id est, læsus. An dabit operam iste nescio quis, ut vindicta facinus excedat? an ille nescio quis vindictam exiget aut exigere conabitur acceptâ injuriâ majorem, graviorem? H.

v. 24. . . . . Offendere tot *caligatos*,
Millia clavorum.]

At in editione Schrevelii ex Lubino, ut et ex me :

. . . . . offendere tot *caligas*, *tot*
Millia clavorum.

H.

FINIS.
D. D.

Ego Carolus Valesius, Hadriani filius, has Patris measque in Juvenalem notas manu propriâ scripsi, pridie Kalendas sextiles, anno Domini nati M. DC. XCIX.

J'ai lu par ordre de Monseigneur le Chancelier ces *Notes sur Juuénal*, et i'ai cru que l'utilité dont elles peuuent être pour l'intelligence de ce Poëte, et le nom de leurs auteurs les rendroit recommandables au Public. Fait à Paris ce 1 feu. 1705.

Fontenelle

IN D. JUN. JUVENALIS

SATIRAS

VETERES COMMENTARII

A P. PITHOEO IC^to

PRIMUM EDITI LUTETIAE AN. MDLXXXV.

NOVA EDITIO.

PARISIIS

SUMPTIBUS ET TYPIS FIRMINI DIDOT.

MDCCCX.

P. PITHOEUS JURISCONSULTUS,

LECTORI (1).

In hac editione, Lector, illud potissimum nobis propositum fuit, ut inter plura variaque, nec contemnendæ vetustatis exemplaria, unius omnium sane optimi atque antiquissimi scripturam curaremus exprimi, quod de Budensis cladis reliquiis in Thassillonis quondam ducis cœnobium relatum fuisse ex Matthiæ adscripto nomine facile adductus sum ut crederem. Id ad nos tandem per-

(1) Nobis primum in animo non erat vet. schol. Pithoei notas nostræ editioni subjungere : at eruditis et sapientibus nonnullis viris, quorum consiliis in hujus operis curriculo usi sumus, perutile fore visum est, si eas integras daremus; ita ut nihil optandum linqueret nostra editio, et omnes antea emissas non modo copia, sed et delectu materiarum superaret; et iis morem gessimus. Editionem Pithoei Parisinam, an. 1585, fideliter secuti sumus; eam expressimus cum mendis, quibus scatebat codex vetustate prope deletus. Notas Pithoei in veterem commentarium, quæ loca difficiliora interpretantur, addidimus : quæ omnia consulto et libenter ad lectoris utilitatem commodumque fecimus. De vet. schol. Pithoei, vide nostr. edit. T. II, p. 75. Numeri autem parenthesi inclusi notas Pithoei in veterem comment. ad calcem rejectas indicant, et asterisci vel lacunas cod. explendas, vel ea quæ notatione nobis digna sunt visa. *(Editoris nota.)*

venit Francisci fratris carissimi dono, cui plura longe ac meliora, ut spero, posteritas debitura est. Atque utinam veteris librarii manum omnibus omnino locis adsequi licuisset; verum nescio quo malo genio factum est, ut exemplar illud nulla parte melius esset, quàm qua imperiti lectoris impio et infelici stylo erasum, infeliciori etiam calamo emendatum, aut mendatum potius et contaminatum fuit: adeo ut mihi recentioris scripturæ vestigia quasi notæ indicesque fuerint ad veterem indagandam atque eruendam, quam adjectæ passim ad utrumque marginem interpretationes interdum suppeditarunt, sæpe nos et ipsæ deseruerunt. Earum porro quem auctorem nominatim laudem, non habeo, cùm nullum præferat codex ille, quo hac parte usi sumus unico: quanquam non ignoro a plerisque non postremæ notæ scriptoribus Probo tribui commentaria non in Juvenalem modo, sed et in A. Persii satiras illa, quorum hic quoque bonam partem emendatiorem damus, usi etiam hac in re consilio judicioque amicorum, atque imprimis Jos. Scaligeri viri incomparabilis, de quo quidquid præterea dixero, minus erit. Id vero illi an ex veterum librorum fide, an ex conjectura potius faciant, non satis scio. Illud dissimulare non possum, quòd Berytium nonnulli vocant, frustra eos, et parum critice facere, si ad Valerium Probum referre velint, cujus hæc ætatem ferre nullo privilegio possunt. Sed nec Probo quidem illi tribuam, quem Lupus noster sub Carolo Calvo Imp. in Germaniæ saltu liberales disciplinas tractasse, satiram etiam tentasse ait. Nam et ista litteratioris sunt sæculi, et quòd ex Taciti historia Moysen repetunt, vereor ne sit hominis Chris-

tiana religione nondum imbuti. At illa sane de crucis supplicio, et Alamanniæ nomen, aliaque ejus generis nonnulla, post Constantinum Magnum scripta nemo nisi historiæ ignarus negaverit. Ego vero quod cæteris fere veterum grammaticorum glossis et commentariis, idem et huic nostro accidisse video, ut ex variorum diversæ, ut ætatis, sic eruditionis interpretum notis conflatum, instar et ipsum satiræ esset. quin et in antiquo exemplari sæpe me ab initio ex marginum diversitate, interpretationum etiam diversitatem notasse memini: quam tamen in hac editione repræsentare neque potui, neque, opinor, debui. Valla et ipse vir diligentissimus sui nobis Probi fragmenta ad satiras tantum aliquot pro captu atque arbitratu suo exhibuit, quæ tamen adjumento non levi plerisque locis fuerunt, quos ex illis vel emendavimus, vel supplevimus, adjecta etiam sua cuique nota, quod hic ab operis prætermissum video. Cætera omnia ex nostro illo unico exemplari non sine magno labore ac tædio expressa sunt, ea plane fide et religione, ut quodam modo verendum nobis videam ne superstitioni plerique aut negligentiæ, nonnulli etiam imperitiæ adscribant, quod veteris scripturæ vitia interdum retinere maluimus, quam conjecturis ex ingenio emendare, quod nobis quidem non difficile fuisse, locis saltem aliquot haud negaverim: at erit illis fortassis perfacile omnibus, quibus ad spicilegium plura superesse reliquæ messis interesse putavi. Ne tamen omnes omnia sibi quoque in hæc temere licere arbitrarentur, passi sumus quædam ex illis adjici quæ inter legendum ad oras libri adnotaveramus memoriæ magis causa, quàm ut in pu-

blicum exirent: verum ea lege, ut cui usui non forent, possent illa sine fraude sua, pace etiam nostra a corpore reliquo disjungere, et si videretur, abjicere. Vale.

COMMENTARII VETERES

IN SATIRAS

D. JUNII JUVENALIS,

EX VETUSTISSIMO EXEMPLARI.

IN SATIRAM PRIMAM.

CUR SATIRAS SCRIBAT.

V. 2. *Theseïde Cordi.*] Cordus hic poëta fuit vitiosus, qui tragœdiam Thesei scripsit : de quo Virgilius dixit :

. . . . Sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus.

V. 3. *Ille togatas.*] Togatæ sunt comœdiæ Latinæ : Palliatæ Græcæ, quales Afranius fecit.

V. 5. *Summi plena jam margine.*] Notandum marginem feminino genere dici, cùm Ovidius masculino dixerit.

V. 7. *Quàm mihi Lucus Martis.*] Lucum Martis dicit, qui Romæ est in Appia, in quo solebant recitare poëtæ ; aut illum, qui apud Colchos est, in quo fuit pellis aurea ; aut in quo Ilia peperit.

V. 9. *Vulcani venti.*] Pro follibus posuit.

V. 12. *Frontonis platani.*] In Horatiana domo in qua poëtæ recitabant.

V. 20. *Magnus eq. Aur. fl. alumnus.*] Turnum dicit Scævæ Memoris Tragici poëtæ fratrem. Turnus hic libertini generis ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum Titi et Domitiani ; vel Lenium dicit, qui et ipse satiras scripsit ; vel Silium, et ipsum sui temporis Satiricum ; qui omnes ex Aurunca fuerunt.

V. 26. *Canopi.*] Canopus oppidum Aegypti, dictum a gubernatore Mænalio, qui ibidem morsu serpentis exstinctus est.

V. 27. *Crispinus.*] Niliacus unus de Consulibus Licinïæ, ac de plebe Aegypti fuit, magnarum postea Romæ facultatum.

V. 28. *Ventilet æstivum.*] Per luxuriam enim annulos æstivos, et hiemales invenit.

V. 32. *Mathonis.*] Advocati, qui sceleribus dives effectus est; et lectica, genus vehiculi quo nobiles vehebantur; plena autem ipso, quia crassus fuit.

V. 33. *Magni delator amici.*] Heliodorum dicit Stoicum philosophum, qui Licinium Silanum discipulum suum, cùm argueretur conjurationis, inficiantem, præter domesticam delationem, etiam testimonio oppressit. Alii philosophum Egnatium Celerem, Bareæ Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit, et damnavit: et ipse postea sub Vespasiano, hoc ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est. Nonnulli Demetrium causidicum (1) dicunt, qui multos Neroni detulit.

V. 34. *Et cito rapturus.*] Delatione Siciliæ maximam partem proscripserunt: Ex quorum bonis multa deripuerunt. Namque hoc, quod rapturum dicit, ad crudelitatem refert. Et a Sylla multi occisi sunt et proscripti.

V. 35. *Quem Massa timet.*] Massa morio fuisse dicitur, et Carus mimus: Latinus vero, actor mimicus. Hi omnes Neronis fuerunt liberti, et delitiæ Augustis: sed et nequissimi delatores. Latinus autem mimus, quasi conscius adulterii Messalinæ uxoris Neronis, ab ipso occisus est. Massa autem et Carus Heliodoro deferente occisi sunt, cujus futuram delationem ita metuebant, ut ei munera darent. Nam Latinus mimus Thymelem mimam summittebat ad mitigandum.

V. 43. *Palleat.*] Nimia coïtûs libidine fatigatus, aut exspectatione hereditatis, aut pretii adulterii.

V. 47. *Inani Judicio.*] Non ademptis bonis: Decius (2) dicitur, sine litium æstimatione. Legis æstimatio illi non profuit: subauditur nota.

V. 49. *Ab octava.*] Qui judicio vacabant, decima hora cœnabant. Hie enim ab octava.

V. 51. *Venusina digna lucerna.*] Lucernam dicit, quia satirici

ad omnium vitia, quasi lucernam admovent, et ut adurant, et ut ostendant crimina. Venusinam autem ideo, quia hæc fuit civitas Horatii. Sive a Venusio (3), ubi laternæ leves fuerunt, quæ vilissimi venibant.

V. 52. *Non agitem.*] Non persequar, ut Virgilius: *Palantes Troas agebat.*

Ib. *Heracleas.*] Aut columnas in Hispaniis, aut Atlantem.

V. 55. *Sit capiendi jus null. uxori.*] Si uxor ejus jure impediatur adultero succedere, ipse maritus leno succedit adultero heres, ut per fideicommissum res adulteri ad adulteram veniant.

V. 58. *Curam cohortis.*] Militum tribunatum.

V. 59. *Præsepibus.*] Propter equos hoc dixit, et Neronem tangit.

V. 62. *Lacernatæ.*] Satirice, habitu virili feminam describit.

V. 64. *Sexta cervice.*] Lectica, faciente luxuria, a sex hominibus portabatur.

V. 68. *Gemma f. uda.*] Saliva tacta, propter signaculi impressionem.

V. 71. *Locusta.*] Locustam ex Galliis matronam veneficam Nero exhibuit ad se, propter venena conficienda; quoniam magnæ famæ erat, et in familiaritate habuit, ut etiam eum doceret venena miscere. Inde ait Turnus in satira:

> Ex (4) qua Cæsareas soboles horrida Locusta
> Occidit cura sui verna nota Neronis.

Hæc increpitata a Nerone, quòd lentum venenum Britannico privigno suo parasset, tam efficax dedit, ut antequam poculum Britannicus exhauriret, in convivio Neronis exspiraret: propinquas autem dicit, tanquam a Locusta doctas, vel, ut quidam, uxores.

V. 76. *Extra pocula caprum.*] Dicit emblematum opus. Caper hic præcipue ab omnibus prædicatur, quem etiam Martialis carmine suo laudavit:

> Stat caper in phiala, Thebani vellere Phrixi
> Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror.

V. 82. *Sortesque poposcit.*] A Themide, quæ ante Apollinem responsa dabat.

V. 83. *Paul. anima cal. mollia saxa.*] Anima, id est, spiritus. Et mollia saxa, ut Virgilius:

Inde homines nati; durum genus.

Et quod addit, *Et maribus*, per consensum ostendit esse durissimum.

V. 92. *Armigero.*] Metaphora a bellantibus, id est, qui arma præbet, tesseras et tabulas, et ipse qui nummos sub pignore portat, vel qui subministrat pecuniam.

V. 95. *Secreto.*] Non in publico convivio, sed privato. Moris autem erat apud antiquos, ne quis adderet possessionibus suis, aut ex illis minueret.

V. 100. *Trojugenas.*] Patricios majorum gentium.

V. 104. *Natus ad Euphratem.*] Mesopotameni homines effrenatæ libidinis sunt in utroque sexu, ut Sallustius meminit.

Ibid. *Molles q. in aure fen.*] Arguit homines, qui cùm propter libidinem libertatem meruissent, et in libertinorum corpus et tribus relati essent, pertusis auribus, signa libertinorum celare non poterant.

V. 106. *Quadringenta.*] Qui erat census antea Equitum Romanorum.

Ibid. *Purpura major.*] Laticlavium (5).

109. *Pallante et Licinis.*] Pallas et Licinius in aula Claudii Cæsaris præpositi, curam reip. gesserunt, cùm libertini essent. Pallas libertus Claudii Cæsaris, officium rationum administravit, et in numero Prætorum relatus, quòd primum percunctantem Cæsarem de incestu Agrippinæ ad nuptias confirmasset. Eamque ipse consuetudinem stupri adeo palam fecerat, ut in quodam simulacro Palatinæ Minervæ adscriptum sit, ΠΑΛΛΑC. ΑΙΤΙΩΤΑΙ. Licinius ex Germania puer captus, tantæ industriæ fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos feneraret, et cui quid credidisset, quali poterat chirographo pugillaribus subnotaret : quos cùm in expeditione quadam transiturus flumen, in vestimentis recondidisset, C. Julio Cæsari quondam deneganti ei pugillaribus quicquam annotatum, barbarus lugens eos obtulit, statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est, dein curationi Galliarum ab Augusto

præpositus, eas spoliavit: et cùm flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Julii Cæsaris ædificavit. Decessit sub Tiberio, proinde dives, quòd Cassii opes (6) etiam exhausisset, et dictus est habuisse nummos quantum milvi volant. Unde Persius:

Nunc Licinî in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

V. 111. *Pedibus qui venerat albis.*] Ostendit plus honoris videri in calceis, quàm in persona. Illo enim tempore necdum senatores nigris calceis utebantur: sed nudis pedibus, vel pulverulentis, vel braccis, vel pedules novos in braccis quos pedornis (7) dicunt, ut peregrinus.

V. 113. *Funesta.*] Quoniam per scelera adquiritur: vel quòd funerum faciendorum sit causa: vel quòd per parricidia congeritur.

V. 116. *Concordia nido.*] Ciconia quæ contra templum Concordiæ ex consilio, rostri sonitum fecit. Et satirice salutato nido, non templo. Templum Concordiæ vetus, in quo ciconia multa est.

V. 117. *Summus honos.*] Senatorum.

V. 119. *Comites.*] Quid facient parasiti, cùm senatores sic avidi sint ad sportulam?

V. 121. *Lectica petit.*] Lecticarum usum primi dicuntur invenisse Bithyni. Cicero (8): Nam una haud mos est Bithyniæ regibus vehi lectica, id est, octophoro.

V. 127. *Ipse dies.*] Totos dies sic consumunt divites, dum sportulam, aut ad templum Apollinis tractandum vadunt.

V. 128. *Jurisque peritus Apollo.*] Aut quia juxta Apollinis templum jurisperiti sedebant, et tractabant: aut quia bibliothecam juris civilis, et liberalium studiorum in templo Apollinis Palatini dedicavit Augustus. Nam hic est Apollo, cujus et Horatius meminit:

. . . . Sic me servavit Apollo.

Sive quòd Cicero domum Scævolæ oraculum dixit, sive quòd tam devia (9) jurisperitorum responsa sint, quàm Apollinis.

V. 129. *Atque triumphales.*] Id est, itur ad rostra, ubi habere solent triumphales statuas viri magni, sive quadrigas.

V. 138. *Mensa.*] Mensis citreis, quas antiquitus magno in pretio habebant; aut de ebore.

V. 141. *Ponit apros.*] Apud antiquos munificentia videbatur apparatior, si in convivio aper integer fuisset exhibitus.

V. 142. *Pœna.*] Quòd solus voraverit, quod multis sufficere potuisset.

V. 146. *Iratis plaudendum f. a.*] Quòd de indigestione sit mortuus intestatus, de cujus testamento nihil consecuti sunt.

V. 151. *Priorum.*] Lucillii, et cæterorum.

V. 155. *Pone Tigillinum.*] C. Fulcinius (10) Tigillinus patre Agrigentino, Scylaceum relegatus, juvenis, egens, verum admodum pulcher, in concubinatum à Bincio, et Lucio Domitio maritis Agrippinæ, et Fulviæ, sororum Cæsaris, atque in utrisque uxoribus suspectus, ob hoc Urbe summotus, piscatoriam machinam exercuit : quoad accepta hereditate reditum sub conditione impetravit, ut concubitu Claudii abstineret. Quare saltibus in Apulia et Calabria comparatis, cùm studiosius equos quadrigarios aleret, amicitiam Neronis nactus, primus illum ad studium Circensium movit. Mortuo autem Nerone, Galba imperator populo Romano deposcente supplicium Haloti et Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis, vel maleficentissimos, incolumes præstitit: atque insuper Halotum procuratione amplissima ornavit. Pro Tigillino etiam sævitiæ populum edicto increpuit.

Ibid. *Pone.*] Hoc est, in satira ponere, vituperare Tigillinum, quem si læseris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cùm fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines teda et papiro et cera supervestiebat, et sic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent.

Ibid. *Pone Tigillinum.*] Nunc, sicut olim Mutium Lucillius, ut Persius :

> . . . . Secuit Lucillius Urbem,
> Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.

Hunc tamen Mutius fortiter ac sapienter tulit, quanquam in eum dictum sit, si Mutium insectabere, futurum est ut miser sis. Vel, utrum ignoscat Mutius an non, haud laboraveris: sed

si Tigillinum læseris, vivus ardebis, quemadmodum multi imperante Nerone. Aut, non tantum non deserenda libertas, sed etiam maxima persona carpenda in vitiis, cùm etiam si tacueris, plebeio funere moriturus sis. Vel, quasi ex persona alterius sit, quæ communem futuram cum vulgaribus cadaveribus ustrinam denuntiet, etiam si a satira abstineat: notiorem vero futurum, si insignem notaverit, ut sit locus hic ita accipiendus: Pone Tigillinum, nobilem ut Tigillinum; quod nisi facias, in rogum cadaver tuum mittetur, in quo non jacentia corpora, sed ad lignorum parcimoniam, stantia exuruntur. Unde putant dici:

Et latum media sulcum deducit arena.

Quod parcus ustor subditi ligni inopia scrobe subter facto subcavet, ut ardere possit.

V. 157. *Et latum media.*] Adductus cùm per arenam traheretur, sulcum corpore suo fecit. Vel fossam, in qua stipites fiebant (11), in quibus ardebant.

V. 159. *Pensilibus plumis.*] Lectica plumis strata (12) pensilibus, in altum exstructis.

V. 162. *Securus licet Aenean.*] Securus de mortuis loqueris, nec metuis legem Juliam, quæ vivorum vitia carpit (13).

V. 164. *Aut multum quæsitus Hylas.*] Virgilius:

Ut littus Hyla Hyla omne sonaret.

V. 168. *Inde iræ.*] Virgilius:

Hinc mihi prima mali labes.

Iracundia accenditur nocens, criminum conscientia lacessitus.

V. 169. *Galeatum.*] Metaphora: tarde pœnitet indixisse bellum, cùm jam pugna commissa sit.

V. 171. *Quorum Flamin.*] Viæ in quibus nobiles sepeliebantur.

IN SATIRAM SECUNDAM.

DE PHILOSOPHIS OBSCŒNIS.

V. 1. *Ultra Sauromatas.*] Sarmatæ ultimi ultra Pontum sunt, vicini Amazonum, unde Sauromatibus * appellantur.

V. 3. *Bacchanalia vivunt.*] Criminose vivunt: id est, qui sub figmento severitatis, sunt impudici. Nam sacra Bacchanalia ex iis condemnata sunt (1), cùm probatum esset senatui honestissimas feminas ad Stimulæ deæ lucum fœde adulterari.

V. 6. *Aristotelem similem.*] Aristotelis imaginem similem, ut statuam.

V. 7. *Pluteum.*] Armarium.

V. 10. *Inter Socraticos.*] Aristophanes lacerat Socratem, et discipulos ipsius: cùm sit et ipse pejor plerisque.

V. 13. *Medico ridente.*] Nam invenientes stupri vestigia, medici rident.

V. 16. *Peribonius.*] Nomen archigalli cinædi, quem magulum conspurcatum dicimus, qui publice impudicitiam perpessus est (2).

V. 21. *Clunem agitant.*] Ad patiendum stuprum.

Ibid. *Ceventem.*] Inclinatum ad stuprum, et sustinentem.

Ibid. *Sexte.*] Senator.

V. 23. *Loripedem.*] Solutum pedibus, aut curvis.

V. 27. *Clodius.*] Clodius C. Cæsaris uxorem in templo bonæ Deæ adulteravit: et licet Ciceronis testimonio gravatus, tamen absolutus est. Sed et Clodius * frâtris Domitiani filiam Juliam in adulterio sumpserat maritam, cùm ipse de adulteris leges severissimas promulgaret.

V. 28. *Discipuli tres.*] Cæsar, Pompeius, Crassus, qui Sullæ fuere discipuli, aut certe Augustus, Lepidus, Antonius triumviri, qui per cruentum fœdus juncti, cùm rempublicam invasissent, Sullam imitati, senatum, et equestrem ordinem proscripsere.

V. 29. *Qualis erat tragico.*] Id est, scelerato. Claudium Cæsarem dicit, qui occisa Messalina, uxorem impudicissimam Agrippinam fratris germani matrem Neronis, revocatam ab insula, in matrimonium accepit, concesso jure talium nuptiarum ex SC. quam dicit etiam frequenter abortum fecisse, ne ex ipso coheredem Neroni filio pareret, cui illa præparavit imperium.

V. 37. *Lex Julia.*] Julii Cæsaris de damnandis adulteris.

V. 40. *Tertius e. c. c. Cato.*] Multi fuerunt Catones, e qui-

bus duo nobilissimi, prior Censor, posterior nepos ipsius, qui de mortis loco dictus est Uticensis.

V. 44. *Scantinia.*] Lex de infamibus puniendis.

V. 46. *Defendit numerus.*] Lucanus :

. . . . Quidquid multis peccatur, inultum est.

Metaphora a bellantibus.

V. 50. *Hippo.*] Vir gravis corrumpitur a juvenibus, et patitur, et lambit.

Ibid. *Morbo utroque.*] Utriusque sexûs, inguina lambentis et propatientis.

V. 53. *Coliphia.*] Pulmentum, sive membrum virile; aut potius athletarum cibum dicit.

V. 57. *Horrida quale facit.*] Magno odio habetur apud uxorem ea, quæ domino miscetur. Ergo hanc insequens gravioribus pœnis domina, catena vinctam infigit codici, atque ita jubet facere pensa.

V. 58. *Hister.*] Infamis, qui omne patrimonium suum vivus donavit uxori, ob hanc scilicet causam, ut simul dormiret is qui et illum corrumperet, et illi misceretur : puellæ ergo consciæ sibi, quæ noverat eum corrumpi (3).

V. 61. *Cylindros.*] Gemmas pretiosas.

V. 63. *Dat veniam corvis.*] Proverbium est corvorum, de impudicis : discrevit sexum per aves. Unde dicunt coïre corvos per os, et sic parere : columbas retulit ad simplicitatem.

V. 65. *Stoicidæ.*] Dicit contumeliose, ut Virgilius, O vere Phrygiæ, et Persius, Troiades.

V. 66. *Multicia.*] Vestes molli intextas substamine (4), quibus solent uti puellæ.

V. 67. *Cretice.*] Hoc nomine vel quemlibet nobilem significat, vel Julium Creticum, qui sub Cæsaribus illustres causas egit.

V. 68. *Fabulla.*] De centum una.

V. 73. *Vulneribus crudis.*] Recentibus bellis.

V. 81. *Uvaque consp.*] Et Virgilius :

Ne mala vicini pecoris contagia lædant.

Hoc et proverbio sumitur, uva uvam videndo varia fit.

V. 92. *Cecropiam soliti Baptæ.*] Baptæ titulus libri, quo

impudici describuntur ab Eupolide, qui inducit viros Athenienses ad imitationem feminarum salutantes (5), lassare psaltriam. Baptæ ergo molles, quo titulo Eupolis comœdiam scripsit, ob quam ab Alcibiade, quem præcipue præstrinxerat, necatus est.

Ibid. *Cotyton.*] Ad exemplum Cotyti, dicuntur Isiaca sacra celebrari.

V. 95. *Vitreo bibit ille Priapo.*] In vitreum penem, quos appellant drillopotæ.

V. 97. *Galbina rasa.*] Polita, tenuiter rasa.

V. 98. *Et per Junonem.*] Non per Jovem, sed per Junonem. Ita, inquit, servi jurant, quo modo solebant ancillæ Neronis, adulantes, per Junonem tuam.

V. 99. *Ille tenet speculum.*] Occiso Galba imperatore, Otho invasit imperium, qui tam probrosæ curæ in polienda forma fuit, ut humecto pane faciem liniret ad sollicitandum candorem: utebatur et speculo. Hunc incomparabilis vitæ bello civili Vitellius vicit apud Bebryacum Campaniæ. Horum bellum scripsit Cornelius, scripsit et Pompeius Planta, qui ait Bebryacum vicum esse a Cremona vicensimo lapide: aliàs, Bebriaci, id est, Pontici, unde pelles Bebrinæ. Galba enim Ponticus fuit.

Ibid. *Magni gestamen.*] Vide notam (6).

V. 118. *Cornicini.*] Expertus naturam, eumque grande habere cornu.

V. 121. *Censore op. est, an aruspice?*] Quo emendet, aut quo expiet.

V. 124. *Segmenta.*] Profusæ vestes.

Ibid. *Et longos.*] Fimbriarum, sive vittatas vestes, quibus matronæ novæ nuptæ cooperiuntur.

Ibid. *Flamea.*] Vestis pudori similis, quam et propter pudorem accipiebant.

V. 126. *Sudavit.*] Gracchus accepit vestem novæ nuptæ, qui aliquando Salius Martis fuit.

V. 128. *Urtica.*] Prurigo.

V. 132. *Jugeribus campi.*] Recede de Martio campo, quem tenes, et qui tibi cœperat ædificari. Hic enim ager Tarquinii

Superbi fuit : et pro illius fuga, Marti consecratus, dictus est Martius Campus.

V. 133. *In valle Quirini.*] Ad invidiam dixit, in valle.

V. 136. *In acta referri.*] Annalibus contineri.

V. 142. *Nec prodest agili.*] Steriles mulieres februantibus Lupercis se offerebant, et ferula verberabantur. Hoc homine, qui infra tectum* multi seminis credit contractus ob fecunditatem dandam : palmas ideo dicit, quia aut catomus (7) lætabantur, aut quia manibus vapulant cunei per civitatem, tunc et in solio si qua post ipsum descenderit, statim concipit.

V. 143. *Tunicati fusc. Gracchi.*] Qui toga deposita, qua utebantur senatores, tanquam infames tunica utebantur. Hinc lanistæ, vel dissoluti dicuntur.

V. 144. *Gladiator.*] Gracchi filius habitu gladiatoris plerumque ad infamiam* equabat, retiarius enim fuit.

V. 147. *His licet ipsum.*] Nobilibus, non Neroni. Nam et ipse pugnavit in gladiatorem, et cantavit in scena habitu citharœdi, et auriga fuit.

V. 149. *Esse aliquos manes.*] Ἐκφωνή. Cic. Proclamatio.

V. 150. *Et pontum et stygio.*] Virgilius :

> Ipse ratem ponto subiit, velisque ministrat.
> . . . . nunc hos, nunc accipit illos.

V. 152. *Nisi qui nondum ære lavantur.*] Infantes, quia pueri non dant balneaticum.

V. 156. *Tot bellorum animæ.*] Lucanus, *illustres bellis animas*, quæ in bello occisæ sunt.

V. 160. *Jubernæ.*] Juberna insula Britanniæ, sita in Oceano mari, a qua non longe sunt triginta aliæ Orcades insulæ, quas Mela scribit.

V. 161. *Minima cont. n. Brit.*] Circa solstitium in Britannia prope nox nulla est, hac scilicet causa, quia vicinus occasus et ortus ibidem solis. Ex obliquo enim terræ margine lux redundat, et proximam sibi insulam et noctibus et diebus illustrem reddit.

V. 169. *Mittentur braccæ.*] Dimittentur, ἀφαίρεσις.

V. 170. *Sic prætextatos.*] Id est, mores, quos filii senato-

rum intra Urbem habent obsides, redeuntes ad suos reportant, quos cæteri apud se ephebi discunt. Artaxata, civitas Armeniæ.

IN SATIRAM TERTIAM.

QUARE UMBRICIUS URBEM DESERAT.

V. 11. *Substitit ad v. a.*] Stetit exspectans rhedam, ubi solent proconsules jurare in via Appia, ad portam Capenam, id est, ad Cumenas (1). Madidam, ideo quia supra eam aquæ ductus est, quem nunc appellant arcum stillantem. Primum enim usque ibidem fuerunt portæ, quæ porta Capena vocabatur.

V. 16. *Ejectis m. s. c.*] Templa Camenarum Judæis locantur.

V. 17. *Egeriæ.*] Egeria nympha colebatur in Aricino lacu (2), cum qua Numa et concubium et colloquium se habere simulavit, super cultu religionum; quo armorum et pugnæ studio flagrantem populum Romanum abstraheret.

V. 29. *Artorius ist. et Catulus.*] Ignobiles et sordidi, ac malis artibus viventes homines, qui ex sordidis rebus divites sunt facti.

V. 32. *Siccandam eluviem.*] Ut publici fani cloacam.

V. 33. *Domina ven. sub h.*] Qui possunt a fisco vendi, quasi debitores fisci.

V. 34. *Quond. hi cornicines.*] Simphoniaci parasitorum.

Ibid. *Et municipalis aren[illegible]* Gladiatorum, aut venatorum, qui in municipiis pugnaverunt, non in Urbe.

V. 36. *Verso pollice.*] Mutata fortuna.

V. 37. *Vulgus cùm libet occ. pop.*] Ab his populus occiditur, quos ante populus jubebat, id est, imperabat occidi; populariter amabilium (3) favente populo.

V. 38. *Foricas.*] Stercora, hoc est, vectigal; forire est pro deonerare ventrem, Forire est non foras (4) ejicere. Alii tabernas dicunt foro vicinas, alii vectigal vinarium, quod ex Africa in Urbem vehebatur; alii domos publico sumptu ædificatas ad locandum, quarum conductores lucra capiebant.

V. 39. *Quales.*] Ἀνακόλουθον. Dicere ante debuit, tales, et si quales.

V. 42. *Et poscere motus astrorum.*] Maleficus non sum.

V. 43. *Funus promittere.*] His, qui sub severo patre agentes de morte ipsius cogitant.

V. 44. *Ranarum viscera.*] Non sum venenarius.

V. 45. *Ferre ad nuptam.*] Lenocinium exercere non possum.

V. 46. *Me nemo ministro.*] Non possum assessor esse furis judicis: bene allusit de consiliaribus.

V. 56. *Ponendaque præmia.*] Quæ deponere debeas, id est, abjicere, negligere; vel reddenda, ut quæ mala arte quæsita sunt. Tristis, quasi moriturus: ut mala conscientia torquearis.

V. 60. *Non possum ferre Quirites.*] Exclamatio: porro Quirites.

V. 61. *Quota portio.*] Quamvis pauci sunt, tamen Græcam vitiis urbem fecerunt.

V. 62. *Orontes.*] Fluvius in Antiochia civitate, per quem Syros significat: ut Virgilius:

. . . . Et pontem indignatus Araxes.

V. 63. *Cordas obliquas.*] Rusticos tibicines, qui in obliquum tangent.

V. 64. *Gentilia.*] Suæ gentis, orientalia.

V. 65. *Et ad Circum.*] Et hoc a Græcis translatum dicit.

V. 66. *Picta lupa b. m.*] Meretrices.

V. 67. *Rusticus ille tuus.*] Ecce in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam, et palæstris uti, et fracteriis, ut athletæ ad vincendum.

Ibid. *Trechedipna.*] Vestimenta parasitica, ut caligulas Græias currentium ad cœnam.

V. 68. *Niceteria.*] Vestes peregrinas (5) victis convenientes: vel Rechedipna est ipse, qui cœnam facit; ut sit ordo: ô Quirine, ille tuus rusticus rechedipna sumit, et fert niceteria collo ceromatico, et est sensus: en tibi, ô Romule, rustici tui in omnem diffundi luxum jam didicerunt, et palæstris frui et* syllateriis. Nam et niceteria syllateria sunt, quæ ob victoriam fiebant, et de collo pendentia gestabantur.

V. 74. *Et Isæo torrentior.*] Isæus Romæ orator omnibus eloquentior. De hoc Plinius Secundus ait, magna Isæum fama præcesserat : major inventus est.

V. 77. *Schœnobates.*] Funambulus. *Aliptes*, unctor.

V. 79. *Ad summam.*] Ad postremum : ut Virgilius : *Hæc summa est.* Ad ultimum omnem vitam dicam.

V. 81. *Conchylia.*] Vestem fucatam, et togæ erubescendæ fucatos habitus : et Romæ * togæ erubescendus in capicium purpuram quasi conchylia signant.

V. 90. *Vocem angustam.*] Gracilem.

V. 97. *Infra ventriculum.*] Sine pene, id est, inguina feminea.

Ibid. *Et tenui dist. rima.*] Naturam muliebrem significat.

V. 98. *Antiochus aut Stratocles.*] Illius temporis comœdi.

V. 103. *Endromidem.*] Lodicem, qua se cooperiat.

V. 108. *Si trulla.*] Si pepederit : alii sic intelligunt, si calix aureus crepitum dederit, cadens e manu divitis.

V. 112. *Aviam resupinat amici.*] Si nullus horum sit, qui possit corrumpi : si fuerit anus, ad ipsam se convertit.

V. 115. *Facinus majoris abollæ.*] Proverbium, quasi majoris togæ, id est, sceleris potioris. Vel per ironiam dixit, quasi sanctioris philosophi. Abolla, species est majoris vestis, quasi pallii majoris.

V. 117. *Ripa n. in illa.*] Apud Tarson, civitatem Ciliciæ, quam præterfluit amnis Cidnus, cujus urbis conditor Perseus, qui nomen civitati ex facto dedit, quia ibi una ex talaribus pinnis ei excidit.

V. 121. *Qui gentis vitio.*] Græci enim soli volunt majoribus amici esse, hoc est, μονοφιλεῖς.

V. 129. *Dudum vigil. orbis.*] Uti sibi Prætor tutorem det, qui eos contemnens festinat.

V. 131. *Cludit latus.*] Aut in medium servum mittit, aut in sinistra ambulat.

V. 133. *Donat Calvinæ.*] Prætoris cujusdam soror, quæ se occidit, tanquam infamis in fratrem, temporibus Claudii.

V. 136. *Deducere sella.*] Inde sellariæ dicuntur : unam meretricum a sella sua abducere conductam cunctaris, cùm alii adulteri emant.

V. 137. *Quàm fuit hospes.*] Scipio Nasica, quem propter probitatem vitæ senatus elegit, ut simulacrum matris Deûm de Phrygia allatum, domi suæ haberet, dum ei templum fieret. Hic est Scipio, qui oppressit Tiberium Gracchum, leges agrarias ferre conantem.

V. 138. *Vel qui servavit.*] L. Metellum dicit pontificem maximum, qui ardente templo Vestæ, palladium ex mediis ignibus rapuit, ibique cæcatus est. Iste cùm per Latinam viam proficisceretur, augurio corvi in oculos suos involantis, revocatus est: et, palladium cùm ex incendio rapuisset, passus est cæcitatem.

V. 143. *Quantum quisque sua.*] Lucillius:

> Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est.
> Tantum habeas, tantum ipse sies, tantique habearis.

V. 145. *Contemnere ful. paup. cred.*] Pauperi, quasi propter egestatem perjuranti, Dii non irascuntur.

V. 150. *Consuto vulnere.*] A sutriballo sutus.

V. 155. *Cujus res legi non suff.*] Othonis, qua jussit eos, qui quadringentorum sestertiorum haberent reditus, in numero equitum esse.

V. 158. *Pinnirapi.*] Pinnis pavonum ornari solent gladiatores, si quando ad pompam descendunt. Pinnirapes autem dicit lanistas, ex habitu gladiatorum: quia post mortem retiarii pinnam, id est, manicam rapit, ut ostendat populo se vicisse. Aut ideo pinnirapes, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucillius:

> Cùm septem incolumis pinnis redit ac recipit se.

V. 161. *Sarcinulis.*] Nunc doti (6).

V. 167. *Servorum ventres.*] Cibaria servorum.

V. 170. *Veneto, duroq; cucullo.*] Aut crasso habitu, aut quales cucullos habent Perusini, vel a colore, aut provincia, Venetos.

V. 172. *Nemo togam s. n. mor.*] Ut ei supra lectum mittant, dum mortuus effertur.

V. 175. *Exodium.*] Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quòd ridiculus foret: ut quidquid lacrymarum atque tristitiæ coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret. Hujus et Lucillius meminit:

> Principio exitus dignu', exodiumque sequetur.

V. 178. *Orchestram.*] Orchestra, spatium in quo saltat pantomimus, vel qui in orchestra procedit, aut spectatur.

V. 188. *Fermentum.*] Dulcium * malum, quod stomachum indigestum præstat.

V. 189. *Cultis.*] Bene vestitis : quippe festo die suo servis donare cogimur, ut admittamur ad salutationem dominorum.

V. 192. *Simplicibus.*] Non ornatis.

Ibid. *Proni Tiburis arce.*] In præcipiti posita, ut Horatius :

. . . . clivumque supinum.

V. 193. *Tenui tibicine.*] Tibicinatam, tanquam tibicina, id est, materia gracili.

V. 196. *Dormire ruina.*] Erepturas (*rupturas*) parietum calce modica perfundunt, et inquilinos jubent manere, tanquam si restaurassent ruinam.

V. 199. *Tabulata t. jam ter.*] Superiora tecta et tristega.

Ibid. *Ucalegon.*] Ex Virgilio :

. . . . Jam proximus ardet
Ucalegon.

V. 200. *Gradibus ab imis.*] A prima scala.

V. 202. *Columbæ.*] Quia super tecta, columbaria fiunt.

V. 204. *Ornamentum abaci.*] Quod nos Delphicam dicimus (7).

V. 205. *Canth. et recubans.*] Quemadmodum solent e marmoribus facere sigilla diversa : recubans enim a posteriore parte recumbens, Hippocentaurus fingitur.

V. 207. *Et divina opici.*] Opizein (8) Græci dicunt de iis, qui imperite loquuntur. Alii opicos dicunt, eos qui fœdam vocem habent.

V. 210. *Frustra rogantem.*] Aut sine causa, aut pœnem (9) petentem.

V. 213. *Pullati proceres.*] Cum nigris vestibus lugentes.

V. 214. *Tunc odimus ignem.*] Non incendium * laris nostri, aut præ tristitia, aut propter casum, nec focum in domo nostra fieri patimur ; quod et lugentes observare solent.

V. 216. *Candida signa.*] Statuas marmoreas.

V. 217. *Eufr. et Polucleti.*] Atheniensium celatorum.

V. 218. *Hæc Asianorum.*] Superstitiose gentem nominavit.

V. 219. *Et forulos.*] Armariam, sive bibliothecam.

V. 221. *Persicus.*] Persicum, quasi divites posuit: eo quòd Persæ divites. Sic Horat. *Persicos odi.* Terent. *Dinumerat nunc ille Babylonias.*

V. 224. *Aut Fabrateriæ.*] Civitatum nomina Campaniæ.

V. 231. *Fecisse lacertæ.*] Notandum, quia feminino genere dixit lacertæ, cùm Virgilius masculino dixit *lacertos:* et aut ad animal retulit, quia sunt in agro quamplurimi; aut lacertam pro horto posuit, per quem discurrere et latitare consuevit.

V. 234. *Meritoria.*] Tabernæ, ab eo qui mercedes (10) præstat.

V. 235. *Magnis opibus dormitur.*] Magna potentia silentium imponitur vicinis tabernariis, ut magno pretio somnus constat.

V. 137. *Mandræ.*] Locus in quo porci includuntur.

V. 239. *Si vocat officium.*] Si officium faciendum sit Consuli a Prætore, disponit qui viam faciant.

V. 240. *Liburno.*] A lectica magna liburnatos, et gerulos liburnos. Ipse, *tarde venisse Liburnos*, in secundo libro.

V. 244. *Unda prior.*] Populi multitudo stantis ad officium.

V. 245. *Assere duro.*] Amite lecticæ (11): lecticarios significat.

V. 246. *Metretam.*] Vas, quod amphoram capit.

V. 249. *Fumo.*] Apparatione (12).

V. 250. *Centum convivæ.*] Perinde convivium: quia sibi faciunt in commune.

Ibid. *Sequitur s. q. c.*] Pulmentaria portans secum, comparata ex sportula.

V. 251. *Corbulo.*] Alii dicunt athletam istius temporis fortem, Corbulonem fuisse: alii, genus navis.

V. 257. *Ligustica.*] Nomen insulæ.

V. 261. *More animæ.*] Sicut animæ non videntur, ita cadavera minutatim concisa obteruntur.

V. 263. *Lintea gutto.*] Et apparatur ad balnea ferre si venerit, quem nescit peremptum: gutto autem (13) ab eo, quia guttam mittit: quos habent capsarii. Strigula autem est, quod xistram dicunt, unde oleum deteritur.

V. 266. *Porthmea.*] Carinam (14): porthmeum dicit, non angustum trajectum.

V. 267. *Q. p. ore trientem.*] Nummum, stipem. Et nunc apud

Athenienses mortuis solent in ore nummum immittere, ut apud inferos non tanquam inopes errent : unde naulum Charon accipere solebat : ut Virgilius :

Hæc omnis quam cernis, inops, inhumataque turba est.

V. 269. *Unde c. testa ferit.*] Id est, quanto in excelso sunt insulæ, vel quemadmodum conjunctæ.

V. 277. *Ut sint contentæ.*] Ut stercore perfundaris potius, quàm alio gravi pondere feriaris.

Ibid. *Pelves.*] Conchas, in quibus pedes lavant, ut vasa fictilia, ποδόνιπτρα.

V. 279. *Amicum Pelidæ.*] Achillis, qui morte Patrocli mœstus fuit.

V. 281. *Quibusdam somnum rixa facit.*] Juvenes libidinosi et luxuriosi libentius dormiunt, si ceciderint aliquem.

V. 283. *Coccina læna.*] Purpura, qua divites olim utebantur. Virgilius :

. . . . varioque ardebat murice læna.

Aut antiqui amphimallum * lænam appellabant. Quod Græci coccum, Latini teres birrum vocarunt.

V. 287. *Cujus dispenso.*] Cujus candelæ papirum temporibus partior, ut duret : dispenso, dispono, tempero, ne aut citius ardeat, aut exstinguatur.

V. 289. *Ubi tu pulsas.*] Cædis. Terentius : ut ego vapulando, ille verberando, usque ambo defecti sumus.

V. 293. *Cujus conche.*] Cujus faba inflatus es.

Ibid. *Sectile porrum.*] Folia porri, sive condimentaria.

V. 296. *Proseucha.*] Quidam nomen loci dicunt ad convivium constitutum, ex gaudio dictum : alii, locum ad quem convenire solebant mendici ad stipem petendam : alii tabernam, in qua pauperes vivant : προσεύχεσθαι enim Græce orare dicitur : et Proseucha, locus Judæorum, ubi orant.

V. 298. *Vadimonia d.*] Postea accusant.

V. 304. *Fixa catenat.*] Quia catenas grandes ferreas per singulos axes inducunt.

305. *Grassator.*] Miles.

306. *Armato.*] Quoties latrones, præsidiis conlocatis, a solitis

locis depelluntur, ac dejiciuntur, Romani quasi ad certas prædationes, et ad paratos pastus confugiunt.

V. 307. *Et Pomptina.*] Loca sunt abundantia latronibus in Campania.

V. 311. *Vomer, mar. et sarc.*] Ferramenta, quibus terra colitur.

V. 313. *Atque Tribunis.*] Qui post reges consulari potestate rempublicam gubernarunt.

V. 314. *Viderunt uno.*] Tulliano scilicet, cujus æque et Sallustius meminit.

V. 315. *His alias.*] Umbricii verba.

V. 319. *Reddet Aquino.*] Civitati Campaniæ, unde fuit Juvenalis.

V. 320. *Ad Helvinam Cererem.*] Namque apud Aquinum (15) colunt numina earum Dearum, quæ colunt in Galliis.

IN SATIRAM QUARTAM.

DE PISCIS MAGNITUDINE, VEL DE CONVIVIO DOMITIANI.

V. 1. *Ecce iterum.*] De quo superius: Crispinum dicit, qui sua terra Aegypto egentissimus fuit, et postea factus est magister equitum Neronis.

Ibid. *Mihi sæpe vocandus.*] A me, qui sæpe vitiis ipsius excitor, ut crimina ipsius dicam.

V. 2. *Ad partes.*] Quasi convivii et copulationis mensæ. Ita et * Sesenus, lib. 11, ait, non dignus in quem debeam saturam calente vi adingerere: aut, ad partes operis mei: metaphoram facit a comœdia, quia scenici ad partes suas solent vocari.

V. 3. *Aeg. solaque lib. for. Del.*] Figura. Quid est Crispinus? Aegræ solaque libidine fortes deliciæ: fortes, ut quem nullus potest etiam a consuetis vitiis deterrere.

V. 4. *Spernatur adulter.*] In minore debilis scelere.

V. 6. *Nemorum vectetur in umbra.*] Viridaria, ubi solent gestari.

V. 7. *Jugera.*] Hortos, aut spatia dicit in suburbio.

V. 9. *Cum quo nuper.*] Ultimum Flaviæ gentis Domitianum dicit: hoc enim ordine regnaverunt, Nero, Vespasianus, Titus, Domitianus.

V. 10. *Sanguine adhuc vivo.*] Hæc virginibus Vestæ pœna fuit decreta, si vitiatæ fuissent, vivæ in parietibus struebantur, aut sub terra obruebantur.

V. 12. *Sub judice morum.*] Damnaretur a censore.

V. 13. *Nam quod turpe bonis.*] Irrisive laudat, comparatione Crispini, bonos dicens *, non ea objiciens quæ in eum turpissima sunt.

V. 15. *Persona est.*] Non homo, sed persona.

V. 16. *Aequantem.*] Sex librarum, qui tantum potuit habere in pondere, quantum in pretio.

V. 17. *Qui de magnis.*] Divites, gluttones.

V. 19. *Præcipuam in tab. cer.*] Primam, in qua heredes primi scribuntur.

V. 21. *Antro.*] Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit.

V. 23. *Apicius.*] Auctor præcipiendarum cœnarum, qui scripsit de juscellis: fuit enim exemplum gulæ.

V. 24. *Succinctus patria.*] Biblo Nilotica. Fuit nam Aegyptius Alexandrinus, in qua papyrum nascitur in Nilo. Sic, ut vult Juvenalis, Crispinus cartapola fuit.

V. 25. *Hoc pretio squamæ.*] Piscis, a parte totum.

V. 26. *Provincia tanti.*] Anthypophora: quasi Crispinus hoc responderit, quid mihi invides? Apulia curios (1) agros vendit, ut majores pisces vendit, quos tu provincialibus gratis abstulisti: et ironia, majores Apulia vendit.

V. 27. *Sed majores.*] Amphibologia: utrum agros, an mulos? vel per anastrophen postpositum sit, sed, hoc pacto: sed agros majores Apulia vendit: vel certe, provincia tanti vendit agros, quanti tu mulos emisti.

V. 29. *Induperatorem.*] Neronem dicit gluttonem, ut Domitianus sub Neronis nomine lateret.

V. 31. *Purpureus.*] Ar vestis colore. Crispini satelles est idem Domitianus.

V. 32. *Jam princeps.*] Magister equitum Romanorum factus est scilicet.

V. 33. *Facta de merce siluros.*] Id est, fracto vase sardarum ejusdem municipii: unde ipse, Aegyptius. Siluri nam pisces sunt Alexandriæ, unde fuit Crispinus, nullius pretii, quos inopes in Aegypto venditant.

V. 34. *Licet et considere.*] Aut summisse dicere, aut proprie, res tenues dicere.

V. 36. *Prosit mihi vos.*] Virgilius:

. . . . Prosit nostris in montibus ortus.

Id est, ad laudem vestram sufficiat vos puellas nominatas.

V. 38. *Ultimus, et calvo.*] Hoc convicium (2) in Fl. Domitianum, Titi fratrem, Vespasiani filium jactat, qui calvus fuit, ut Suetonius refert: propter quod Juvenalis, sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Aegypto, Hoasa, ubi mortuus est. Ultimum autem dicit, quia in illo Cæsarum origo defecit: et cùm Vespasianus, et Titus, et Domitianus Flavia ex gente fuerint, Domitianus ultimus illorum, et dissimillimus imperavit. Meminit hoc Valerius Martialis in epigrammate: his vero (3) sibi finit:

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres,
Pæne fuit tanti non habuisse duos.

V. 39. *Rhombi.*] Piscis formæ magnitudo (4).

V. 40. *Quam Dor. sust. Ancon.*] Ancona Dorica, id est, Græca civitas, quam Græci in Italia condiderunt.

V. 41. *Implevitque sinus.*] Id est, retia. Virgilius:

Implevitque sinus sanguis. . . . .

V. 42. *Quos operit.*] Quia qui in Ponto et Mæotia palude capiuntur pisces, immanes et pingues ex ipsa tarditate; quoniam quando gelat, in glacie hærent. Sallustius: Itaque tempestate piscium vis Ponto erupit (5).

V. 43. *Solibus.*] Id est, soluta a Sole glacies.

Ibid. *Torrentis.*] Perfluentis, currentis: illic nam reuma quoddam trahit mare.

V. 46. *Pontifici summo.*] Ironia.

V. 47. *Cùm plena et littora.*] Non solum fora.

V. 53. *Si quid Palfurio.*] Palfurius consularis filius, in agone cum virgine Lacedæmonia sub Nerone luctatus est. Post inde

a Vespasiano senatu motus, transivit ad stoicam sectam, in qua cùm prævaleret et eloquentia, et artis poëticæ gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit: quo interfecto, senatu accusante damnatus est: cùm fuissent inter delatores potentes apud Domitianum et hi Armillatus, Demosthenes, et Latinus archimimus, sicut Marius Maximus scripsit.

V. 56. *Ne pereat.*] Fisco, quod jam distrahi non potest.

V. 59. *Auster.*] Ventus calidus, quo pisces corrumpuntur.

V. 60. *Utque lacus.*] Id est, cùm prope lacus Albanenses jam venisset piscator.

V. 61. *Ignem Trojanum.*] Romani Tullo Hostilio rege cùm deseruissent Albam, sacra sublata Romam transtulerunt, et Deos penates: quorum penetrale tam venerabile deprehensum est, ut lapidatio de cœlo caderet supra * memorati ponderis: propter quod prodigium, ex libris sibyllinis jussi pontifices ex SC. Albæ sacra renovare. Tanta enim repente, cùm ea vellent transferre, grando cecidit, ut intelligerent suis locis sacra non esse movenda. Inde ibi, perseveranti Deo: et Vestam minorem dixit ad compositionem.

V. 65. *Picens.*] Piscator de provincia, ubi piscis captus fuerat.

V. 67. *Laxare saginis.*] Alii, sagittis, ut sit sensus, acutis curis, ut exercitatione sagittarum, digestioni inquit, et harenis, quibus vectari illum debere dicit ob cibum futurum. Legitur et saginis, id est, escis futuris stomachi indigestum præparare.

V. 69. *Et tamen illi.*] Assentatione, ac laude intumescebat imperator, quamvis falsa.

V. 71. *Diis æqua potestas.*] Regnum scilicet.

V. 73. *Quos oderat ille.*] Hoc ad mores infert regis, non ad illorum merita.

V. 75. *Pallor amicitiæ.*] Simulatæ. Cicero: *nulla est occultior res insidiis, quæ latent in simulatione officii.*

Ibid. *Clamante Liburno.*] Qui admissionibus præerat.

V. 77. *Pegasus.*] Trierarchi filius, ex quibus Liburnæ (6) parasia nomen accepit, juris studio gloriam memoriæ meruit, at liber vulgo, non homo diceretur. Hic functus omni honore,

cùm provinciis plurimis præfuisset, Urbis curam administravit (7). Hinc est Pegasianum scilicet jus, quòd jurisperitus fuerat.

V. 80. *Inermi justitia.*] Quanquam optimus, tum pro tempore omnia injuste agenda credebat.

V. 81. *Crispi jucunda senectus.*] Lucanus :

. . . . fractisque modestior annis.

Crispus municeps Viselliensis (8) tirocinio suo in senatu ita cœpit, Patres conscripti, et tu, Cæsar, propter quod simul oratione (9) plenissime a Tiberio conlaudatus, plurimas sponte causas apud C. V. egit : pro qua re in basilica Julia ejus statua posita est. Consulatus duos gessit : uxores habuit duas, primam Domitiam, deinde Agrippinam, illam amitam, hanc matrem Neronis Cæsaris. Possedit bis mille sestertia : omnium principum gratiam appetivit, sed præcipue Cæsaris (10) quem iter facientem secutus est pedibus. Hic nullo audiente a Nerone interrogatus, haberetne, sicut ipse, cum sorore germana consuetudinem. Nondum, inquit : quantumvis decenter et caute ; ne aut negantem (11) eum argueret, aut assentientem sibimet mendacio dehonestaret. Periit per fraudem Agrippinæ (12), quam heredem reliquerat, et funere publico elatus est.

V. 87. *Cum quo de pluviis.*] De rebus frivolis et usualibus.

V. 90. *Nec civis erat.*] Aut ipse Crispus, aut quicumque.

V. 91. *Et vitam impendere vero.*] Ut Virgilius :

. . . . animasque in vulnera ponunt.

V. 94. *Ejusdem p. A. ævi.*] Virgilius : *Ut regem æquævum.*

Ibid. *Acilius.*] Consul sub Domitiano fuit, indignus pati quæ passus est : hujus cùm filium juvenem Nero occideret, ipsum Acilium servavit, qui pœnas sentiret orbitatis.

V. 98. *Fraterculus esse Gigantis.*] Ut omnes me oderint, aut timeant, aut contemnant : id est, ignobiles pro Gigantibus.

V. 99. *Ursos f. Numidas.*] In lusorio Cæsaris juvenis iste ursos sæpe quasi venator, occidit.

V. 101. *Artes.*] Fraudes.

V. 103. *Barbato.*] Tarquinio Superbo : propexam enim barbam habuit, cùm socer ejus Servilius (13) attonsam haberet,

quem ipse occidit. Dicit ergo cinædum non facile posse falli, et facilius eludi posse fortem, quàm infamem. Stoliditatem finxerat Brutus, ne a Tarquinio occideretur. Barbato et rustico intelligitur.

V. 105. *Rubrius.*] Rubrius iste aliquando Tibiam (14) in pueritia corruperat, et verebatur ne pro hac mercede pœnas ab ipso reposceret.

V. 106. *Improbior.*] Qui in aliis sua vitia reprehendebat.

V. 107. *Montani quoque venter.*] Montanus pinguis et ventrosus erat: et acerbe, ventrem potius, quàm ipsum venire dixit.

V. 108. *Et matut. s. C. amomo.*] Orientali unguento mane sumpto (15).

V. 110. *Tenui j. a. susurro.*] Levi susurro alios deferens, neci tradere: aut per leves suspiciones solitus homines jugulare.

V. 112. *Fuscus.*] Fuscus sub Domitiano exercitui præpositus, in Dacia periit. Notat autem eum, quia cùm luxuria diffluëret, inter delitias, bellorum actus exercebat.

V. 113. *Et cum mortifero.*] Delatore.

Ibid. *Prudens Veiento.*] Utrum ad nocendum, an ad sapientiæ rigidiorem (16), an adulandi peritus et temporum?

V. 114. *Qui nunquam visæ.*] Cæcus enim amator fuit Catullus.

V. 116. *Di. a ponte satelles.*] De numero mendicorum.

V. 117. *Dignus Aric.*] Qui ad portam Aricinam (17), sive ad clivum mendicaret inter Judæos, qui ad Ariciam transierant, ex Urbe missi.

V. 118. *Devexæ j. b. rhedæ.*] Qui cæcus rhedæ ferenti mulieres, inclinatæ et per clivum descendenti, oscula jactaret.

V. 119. *Nemo magis.*] Quàm Catullus cæcus adulator. Nam in sequenti dixit: *non cedit Veiento*, utique Catullo.

V. 122. *Ad Velaria.*] Ad alta theatri velamina.

V. 126. *De temone Britanno excidit.*] Ad pedes de regno. Falcatis nam curribus Britannorum rex Arbila *.

V. 129. *Fabricio.*] Veientoni: nam ipse est Fabricius.

V. 130. *Quidnam igitur.*] Nero dicit.

V. 131. *Testa alta.*] Patella, in qua possit integer coqui.

V. 133. *Debetur magnus patinæ.*] Figuram hic dicitur posuisse propter Magnum Pompeium : quoniam Patina dictus est, qui sustulit caput ipsius.

Ibid. *Prometheus.*] Satirice, figulus.

V. 138. *Aliamque famem.*] Libidinis oris * perverum : hoc ideo, quia aviditas cibi sequitur nimiam perpotationem.

V. 139. *Nulli.*] Quàm Cæsari Domitiano, aut certe Montano.

V. 141. *Lucrinum ad saxum.*] Locus Brutiorum.

Ibid. *Rutupinove.*] Locus in Britannia, sive civitas.

V. 147. *Tanquam de Cattis.*] Gentes Germanorum, sive Francorum.

V. 149. *Epistola pinna.*] Antea si quid nunciabant consules in Urbe, per epistolas nunciabant : si victoriæ nunciabantur, laurus in epistola fiebatur (18) : si autem aliquid adversi, pinna fiebatur.

V. 153. *Cerdonibus.*] Ignobilibus. Cerdo est proprie turpis lucri cupidus.

V. 154. *Hoc nocuit Lamiarum.*] Hoc nocuit, ut occisis nobilibus, et a cerdonibus timeretur. Ut jam non essent nobiles qui timerent, omni nobilitate exstincta. In Lamiis indignatur satiricus. Tunc periit, cùm eum populus timere cœpisset, exstincto jam senatu.

IN SATIRAM QUINTAM.

IN PARASITOS DE OMNIS CONTUMELIOSIS.

V. 3. *Si potes illa p. q. n. Sarmentus.*] Sarmentus natione Tuscus, e domo Marci Faboni, incertum libertus, an servus, plurimis forma et urbanitate promeritis, eo fiduciæ venit, ut per equitem Romanum (1) ageret : decuriam quoque quæstoriam compararet. Quare per ludos * qui ibi primus XIV ordinibus sedit, hæc a populo in eum dicta sunt :

> Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.
> Digna dignis : sic Sarmentus habeat crassas compedes.
> Rustici ne nihil agitis (2), aliquis Sarmentum alliget.

Dum* ut causam usurpatæ dignitatis hic pro civibus et gratia, summoto accusatore, dimissus est, cùm apud judices nihil aliud docere tentaret, quòd concessa sibi libertate a Mæcenate, ad quem rectio bonorum favor pertinuerat. Jam aut ut senex in maximis necessitatibus, ad quas libidine, luxurieque deciderat, coactus auctionare, cùm interrogaret conscriptum quoque censorium venderet, non infacete, bonæ se memoriæ esse perdita*.

V. 4. *Gabba.*] Parasiti Cæsaris fuerunt: Apicius Gabba (3) sub Tiberio scurra nobilis fuit.

V. 8. *Nulla crepido.*] Crepido est ora terræ, quam aqua alluit: ex hoc appellata, quòd ibi aqua allidens concrepitet.

Ibid. *Et tegetis pars.*] Pinnatæ sportæ, aut tegetis de sirpo factæ.

V. 10. *Illic.*] In crepidine.

V. 11. *Farris mordere canini.*] Cantabri. Panis sordidus canum est.

V. 14. *Imputat hunc rex.*] Quid aliud non imputet, ubi et hoc quod vile est imputat?

V. 17. *Tertia ne vacuo.*] Apud veteres accubitorum usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant. Tres autem lectuli erant in quibus discumbebant: unde hodie triclinia appellantur.

V. 19. *Trebius.*] Nomen parasiti.

V. 20. *Et ligulas.*] Calciarii cùm festinant, et ansas caligarum prætereunt nonnullas: dictæ autem ligulæ a ligando.

V. 21. *Peregerit orbem.*] Compleverit numerum cathedrarum.

V. 23. *Serraca.*] Plaustra Septentrionis, id est, media nocte. Ursæ duæ vocantur, Elice et Cynosura: Bootes autem Arcturus: quorum siderum Lucanus quoque sic meminit:

. . . . . Sub nocte sopora
Parrasis obliquos Elice cùm verteret axes.

V. 25. *De conviva Corybanta.*] Sic enim vinum malum, mentem turbat, quomodo lana tincta mutatur.

V. 27. *Rubra.*] Cruentata.

V. 29. *Pugna Saguntina.*] Civitas Hispaniæ, in cujus territorio malum vinum nascitur.

V. 32. *Cardiaco.*] Cordolenti. Cyathum, mensuram modicam.

V. 34. *Setinis.*] Vinum de montibus Albanis ita vetus, ut non possit ex superscriptione, antiquitate deleta, cognosci quanti sit temporis.

V. 36. *Thrasea Elvidiusque.*] Elvidius Priscus (4), post damnationem soceri Pæti Thraseæ, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit. Sed post interfectum Neronem restitutus a Galba, non aliter quàm libero civitatis statu egit. Hic tam industrius fuit, ut cùm sub Nerone Achaiam Quæstor administraret, civitates quædam quas non adierat, inclamarent AI. HMEIN. ΠΡΕΠΟΝ.* Hic postea Vespasianum ita studio libertatis offendit, ut putaret, id optante avunculo Claudio, pristinum libertatis statum posse revocari: quo nomine reus, ac præter spem absolutus est. Sed Thrasea, Nerone in senatu de nece matris agente, cùm, quasi parricidium damnans, e Curia se proripuisset, etiam ex Urbe discessisset, accusatus crimine majestatis, defendi se noluit, secandasque venas præbuit: conversusque ad Demetrium Cynicum: nonne tibi libare videor Jovi liberatori? Atqui singulis amicis oscula offerens, exanimatus est.

V. 37. *Brutorum et Cassi.*] Qui Cæsarem in senatu occiderunt.

V. 38. *Heliadum crustas.*] Beliadum, ut Virgilius:

> Implevitque mero pateram, quam Belus, et omnes
> A Belo soliti.

Ibid. *Et inæquales beryllos.*] Phialas ex gemmis factas.

V. 42. *Da veniam.*] Id est, venia danda est, si custodiaris, cùm acceperis phialam, quoniam gemmæ pretiosæ in poculo sunt, et calices gemmati.

V. 45. *Zelotypo j. p. Iarbæ.*] Figura diasyrtica, ut Virgilius.

V. 46. *Tu Beneventani sutoris.*] Quidam sutor fuit Benevento, qui grandem nasum habuit.

V. 48. *Quassatum, et rupto.*] Ut solent in Urbe calices fractos, sive calvariolas componere.

Ibid. *Sulfura.*] Quia hoc solent vitrum solidare, id est, malthare.

V. 56. *Flos Asiæ.*] Pulcher puer Asianus, caro pretio comparatus.

V. 59. *Gætulum Gan.*] Maurum pincernam.

V. 62. *Digna supercilio.*] Quia pulcher et juvenis, ideo superbit.

V. 64. *Veteri p. clienti.*] Jam antiquo, olim noto, amico domini sui.

V. 66. *Servis est pl. superbis.*] Aegre hoc semper servi habent, quòd illis stantibus, amici domini sui discumbunt.

V. 72. *Artoptæ.*] Pistoris, vel vasis, in quo panis coquitur.

V. 75. *Panisque tui.*] Qualem mereris manducare.

V. 79. *Et multo stillaret.*] Propterea semper manicasti (5) per pluviam.

V. 81. *Squilla.*] Genus piscis, aut cammari.

V. 83. *Ministri.*] Infertoris.

V. 86. *Venafrano.*] Oleo bono civitatis Africæ.

V. 88. *Alveolis.*] Vasis, in quibus manducatis.

V. 89. *Canna Micipsarum.*] Genus navis, quæ Gandeia dicitur, ut sit Gandeia Micipsarum, id est, Afrorum. Gandeiam enim soli Afri, id est, Zamæi, vel, ut alii, Byzaceni, ut alii, Barcæ invenerunt. Significat oleum Tripolitanum.

V. 92. *Corsica.*] Insula in Tyrrheno mari posita.

V. 93. *Tauromenit.*] Oppidum Siciliæ.

V. 94. *Dum gula sævit.*] In suburbicario mari.

V. 96. *Nec patimur.*] Ex assidua piscatione.

V. 98. *Captator.*] Heredipeta.

Ibid. *Aurelia.*] Mulier, quæ distrahebat pisces.

V. 100. *Dum se cont. Auster.*] Jocatur, id est, non flante austro.

V. 102. *Lina.*] Piscatores.

V. 103. *Cognata colubræ.*] Similis colubræ.

V. 105. *Pinguis.*] De sordibus quibus in cloacis nutritus est.

V. 109. *A Seneca.*] Hic sub Claudio (6) quasi conscius adulteriorum Juliæ Germanici filiæ, in Corsicam relegatus, post triennium revocatus est. Qui etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen, erudiendo Neroni, in palatium adductus, sævum immanemque natum et sensit cito, et mitigavit: inter familiares solitus dicere, non fore sævo illi leoni, quin, gustato semel hominis cruore, ingenita redeat sævitia. Huic postremo, quòd habitus esset inter conscios conjurationis

Pisonianæ, Nero per tribunum ultimam necessitatem denunciavit. Hic interritus, amicorum animos, quibus jam ejus casus lacrymas exciverat, ad firmitudinem revocavit, rogitans, ubi præcepta sapientiæ? ubi tot per annos meditata ratio adversus imminentia? cui præterea ignara fuerit Neronis sævitia? neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quàm ut educatoris præceptorisque necem adjiceret. Deinde sibi venas præsecans, crurumque venas abrumpens, et durante tractu lentitudineque mortis, hausto veneno, et postremo calidæ aquæ stagnum introiens, exanimatus est.

Ibid. *Quæ Piso bonus.*] Piso Calpurnius, antiqua familia, scenico habitu tragœdias actitavit: in latrunculatorum jussu (7) tam perfectus et callidus, ut ad eum latentem curreretur. Ob hæc insinuatus C. Cæsari*, repente etiam relegatus est, quòd consuetudinem pristinæ uxoris abductæ sibi ab ipso, deinde remissæ, repetiisse existimabatur. Mox sub Claudio restitutus, et post consulatum materna hereditate ditatus, magnificentissimus vixit, meritis sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provehere.

V. 112. *Ut cœnes civiliter.*] Sine injuria clientum.

V. 113. *Pauper amicis.*] Id est, avarus.

V. 115. *Altilis, et flavi.*] Pasta, vel aprina.

Ibid. *Meleagri.*] Propter Calydonium aprum, quem iratæ Dianæ, quòd contempta esset ab Oeneo in sacrificiis, agris suis immiserat: quem Meleager filius occidit.

V. 117. *Et facient opt.*] Quia tubera tonitruis dicuntur nasci, ut cocleæ.

V. 118. *Alledius.*] Gulosus.

V. 121. *Chirονomonta vol. cult.*] Manus ducentem, et artificio incidentem omnia.

V. 127. *Tanquam habeas tria nomina.*] Alii sic intelligunt, tanquam fur sis, ut pro tribus litteris, tria nomina posuerit. Sed melius sic, tanquam nobilis sis, ut habeas tria prænomina, ut Caius Cornelius Scipio, et si quid simile.

Ibid. *Quando propinat.*] Dat calicem, in quo ipse bibit.

V. 131. *Pertusa d. læna.*] Paupere panno.

V. 132. *Quadringenta.*] Sestertia dederit scilicet.

V. 133. *Quantus amicus.*] Unanimis amicus statim fies, si pecuniam habueris.

V. 135. *Da Trebio.*] Cujuslibet nomen.

V. 138. *Nullus tibi parvulus aula.*] Virgilium ridet.

V. 141. *Sed tua nunc Mygale.*] Nomen mulieris, ex ipsa coïtione.

V. 143. *Gaudebit nido.*] Id est, puerorum.

Ibid. *Viridem thoraca.*] Armilausiam * prasinam, ut simiæ.

V. 146. *Ancipites fungi.*] Mortiferi, venenosi.

V. 147. *Claudius edit.*] De Claudio Nerone dicit, quia fungo, uxore sua faciente, mortuus est.

V. 151. *Qualia perpetuus.*] Ridet de Homero.

V. 152. *Sororibus Afris.*] De Hesperidis dicit.

V. 154. *Metuensque flagelli.*] Qualem simia manducat.

Ibid. *Qui tegitur p.*] Tiro.

V. 155. *Discit ab hirsuta.*] A sene magistro. Capella, campidoctore (8).

V. 164. *Bis ferat.*] Ut denuo ad domum ipsius redeat.

Ibid. *Puero si contigit aurum.*] Antiquitus nobilium pueri bullas aureas (9) habebant: pauperum de loris, signum libertatis.

V. 165. *Signum de p. l.*] Id est, corrigiam Parthicam, unde solet bulla pendere, signum ingenuitatis.

V. 171. *Pulsandum vertice raso.*] Etiam capite raso, alapas accipies.

IN SATIRAM SEXTAM.

DE MULIERIBUS.

V. 20. *Duæ pariter fug. sorores.*] Fides et Pudicitia.

V. 22. *Fulcri.*] Lecti jugalis.

V. 26. *A tonsore magistro.*] Non severus es, ut maritus, qui a pueris ad magistrum tonsorem transis; aut certe, desisti pueros sectari, qui jam uxori nonnulla munera misisti, et so-

lito diligentius ornaris, ut uxori placeas, cui annulum dedisti.

V. 27. *Pecteris.*] Componis te.

V. 28. *Certè sanus eras.*] Furiis insanis.

V. 32. *Aemilius pons.*] Quòd ibi lupanaria essent.

V. 34. *Quod tecum pusio.*] A facto nomen.

V. 37. *Et lateri parcas.*] Si parum feceris, non irascitur ut uxor.

V. 38. *Lex Julia.*] Quæ jubet eos hereditatem capere, qui filios habent.

V. 40. *Mullorumque.*] Quos heredipetæ mittunt.

Ibid. *Jubis.*] Cristis.

V. 44. *Quem toties texit p. c. E.*] Qui toties superveniente marito, sub cista celatus est, ut in mimo.

Ibid. *Latini.*] Latinus, mimus fuit, qui mœchus in cistam devolutus, superveniente aliquo tegebatur : qui postea propter adulterium Messalinæ punitus est.

V. 50. *Cereris vittas conting.*] Quæ possint sacerdotes Cereris esse.

V. 63. *Bathyllo.*] Pantomimo.

V. 66. *Discit.*] Penem, ut habent in mimo.

V. 68. *Sonant fora sola.*] Jurisdictio quando est.

V. 69. *Megalesia.*] Ludi Megalesiaci.

V. 70. *Subligar Acne.*] Vestem tragœdi.

V. 72. *Gestibus Autonoës.*] Quando Autonoën saltat.

V. 73. *Solvitur his magno comœdi fibula.*] Ut cum comœdis concumbant. Nam omnes pueri vocales fibulas in naturis habent, ne coëant.

V. 75. *Ut Quintilianus.*] Ut scholasticus.

V. 77. *Aut Glaphyrus.*] Id est, sub te marito alieni filii.

V. 79. *Ornentur postes.*] Ad honorem nuptiarum. Sic enim solent in nuptiis præparare.

V. 80. *Ut testudineo conopeo.*] Hoc est linum tenuissimis maculis (1) nanctum : quia Latine Conopeum culicare dicunt. Sic Horatius, *signa militaria, sol aspicit Conopeum.*

V. 83. *Mœnia Lagi.*] Alexandriam dicit, quam Lagus tenuit, pater Cleopatræ et Ptolemæi (2) : post magni Alexandri occu-

patus Ptolemæus cognominatus Lagus, atque deinceps ceteri reges Lagi sunt appellati.

V. 87. *Paridemque reliquit.*] Paridem dicit illius temporis pantomimum, quem postea ob adulteratam uxorem ab eo suam Domitiam, Domitianus occidit.

V. 89. *Et segmentatis.*] Segmenta dicit vittam pendentem de vestibus, intextam auro.

V. 94. *Mutandum toties.*] Diu navigatura de Tyrrheno mari ad Adriacum, de Adriaco ad Aegæum transitura.

V. 104. *Ludia dici.*] Ludis serviens gladiatoris uxor.

V. 105. *Nam Sergiolus.*] Sergiolum nomine * ex gladiatore amavit, qui et Ludor dictus est, quia sit diu demoratus in ludo: qui, ut requiem gladiaturæ haberet, bellonarium se fecerat: quo mos est in talibus sacris lacertos suos secare.

V. 106. *Requiem sperare.*] Rudem, ut solent in amphitheatro accipere gladiatores.

V. 108. *Attritus galea.*] Apparet eum secutorem fuisse.

V. 110. *Sed gladiator.*] Crudelitas tantam deformitatem decorabat, atque illi formosum et pulchrum exhibebat.

V. 113. *Veiento.*] Senator maritus contemptus.

V. 114. *Quid fecerit Ep. cur.*] Miraris hoc factum.

V. 115. *Rivales Divorum.*] Ridens, quia imperatores inter Deos referuntur.

V. 117. *Uxor ausa pal.*] Messalina tantæ libidinis fuit, ut se immutaret habitu, et cum una ancilla descenderet de palatio, atque publice in Circo prostaret per noctem; quoniam antea meretrices propter sacrorum celebrationem ab hora nona totam noctem prostabant: unde etiam Nonariæ dictæ. Hæc eadem ex Claudio Britannicum sustulit, qui per eam, ut superius dixit, a Nerone interfectus est, de qua est et illud:

. . . . Et patruo similes effunderet offas.

Ibid. *Tegetem præferre.*] Teges, ut matta, sapellex cubilis obscœni; aut forte hoc tegete, quo tegitur domus mendicorum, ut tegumenta fornicis.

V. 120. *Sed nigrum flavo c. a. galero.*] Crine supposito rotundo muliebri capitis tegumento, in modum galeæ facto,

quo utebantur (3) meretrices. Flavo, nigro: nam crine matronæ utebantur.

V. 121. *Veteri centone.*] Ut velo ex pannis facto.

V. 123. *Prostitit aur. tit.*] Quoniam in cellis nomina meretricum superscripta fuerunt: hoc est, pro quadam Lycisca meretrice, ipsa cellam ingressa est.

V. 124. *Britannice.*] Ipse Britannicus, quem pro Messalinæ matris nece, conscia Agrippina, Nero in convivio suo necavit.

V. 125. *Excepit.*] In meritorio.

V. 127. *Mox lenone.*] Id est, de meritoriis recedentibus puellis, ipsa tristis efficiebatur, quòd per totam noctem lassata quidem ex coïtione virorum, tamen adhuc desiderans, non satiata, et ultima recedebat.

V. 132. *Fœda, lup.*] Obscœnum odorem lupanaris pertulit ad lectum maritalem.

V. 133. *Hippomanes.*] Quod de partu equarum rapitur a fronte pulli, statim ut nascitur: quod mater ab eodem lambit; quod datum in poculum ad amatorias res facit.

V. 134. *Faciunt graviora.*] Graviora faciunt in aliis rebus, quàm quod libido persuadet: et minus peccant forte, quàm quod libido desiderat.

V. 136. *Optima sed quare.*] Anthypophora est: tanquam ab alio interrogatus sit.

V. 140. *Libertas emitur.*] Mariti, ut peccante uxore contentus sit tacere, propter avaritiam: ut Horatius:

Et non sensurum (4) scio surgat maritus.

V. 141. *Vidua est locuples.*] Tanquam vidua peccat sine crimine dives mulier, quæ avaro nupserit marito.

V. 142. *Cur desiderio.*] Anthypophora.

V. 145. *Oculique minores.*] Præ senectute: id est, fiat anus.

V. 147. *Et sæpe emungeris.*] Mucosa es.

V. 150. *Et ovem.*] Id est, greges in Calabria, et vineas in Falerno.

V. 151. *Ergastula tota.*] Ergastula proprie dicuntur loca, in quibus ad pœnam vincti, opus faciunt. Hic ergo ergastula dixit rusticorum servientium multitudinem.

V. 153. *Quo jam mercator Iason.*] Illud significat quòd Romæ in porticu Trajanarum Thermarum, tempore Saturnaliorum sigillaria sunt. Tunc mercatores casas de linteis faciunt, quibus picturam (5) obstant. Ideo autem dicit, mercator Iason: quoniam antea in porticu Agrippinarum sigillaria proponebantur, in qua porticu historia Argonautarum depicta est, et casæ cùm fierent, picturæ obstabant.

V. 155. *Grandia toll. chrystallina.*] Sic et Cinna dicit:

Atque imitata nives ludens legitur chrystallus.

V. 156. *Myrrhina.*] De murrha pocula tincta facta.

Ibid. *Bernices.*] Beronice soror Ptolemæi, verum neptis Augusti Julia, cum qua commisit incestum, et pro ea ab Augusto religatus est *.

V. 158. *Barbarus.*] Barbarum Ptolemæum significat, et Beronicem sororem ejus.

Ibid. *Dedit hunc Agrippa sorori.*] Juliam neptem Augusti significat, quæ nupta Aemilio Paulo, cùm is majestatis crimine periisset (6) a barbaro relegata est, post revocata, cùm semet vitiis addixisset, perpetuo exilio damnata est. Supplicio hujus Agrippa frater, propter morum feritatem in Sicilia ab Augusto relegatus, post cujus mortem jussu Tiberii interfectus est.

159. *Observant ubi festa.*] In Judæa regione, ubi est synagoga.

V. 160. *Et vetus indulget senibus.*] Id est, majoribus porcis parcunt: nam minores manducant.

V. 163. *Porticibus.*] Cujus avi triumphantes in imaginibus cti * et positi in porticibus.

V. 164. *Bellum dirimente Sabina.*] Sit castior Sabinis, quæ fœdera inter Tatium et Romulum fecerunt.

V. 169. *Et numeras in dote.*] Imputes.

V. 173. *Nil pueri faciunt.*] Commicturum (7), Lucanus:

Crimine quo parvi cædem potuere mereri.

V. 175. *Greges natorum.*] Quia plures fuerunt, et diversi sexûs, id est, septem masculi, et septem feminæ.

V. 177. *Scrofa Niobe.*] Lusit. Scrofa alba Trojanorum, quæ visa est Aeneæ cum triginta fetibus.

V. 181. *Plus aloës quàm mellis.*] Plus amaritudinis ex superbia, quæ se tibi semper profert, quàm dulcedinis ex castitate.

V. 192. *Tune.*] Signum est impudicitiæ mulieris, quæ cùm sit valde senex, alienam vult linguam imitari.

V. 195. ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ.] Quibus sermonibus Græcæ mulieres in concubitu solent blandiri.

V. 196. *In turba.*] Etiam in publico.

V. 197. *Digitos habet.*] Excitat, tanquam si manu palpetur.

V. 198. *Subsidant pinnæ.*] Longam ætatem: pinnæ autem metaphora, quia vetulæ hiacessant *.

V. 199. *Et Carpophoro.*] Nomen est scenici effeminati, sive histrionis.

V. 203. *Labente officio.*] Discedentibus pransoribus, qui officii causa conveniunt. Solebant enim antea per nuptias recedentibus dulcia erogari pro apoforetis.

Ibid. *Crudis.*] Saturis et indigestis.

V. 204. *Lance beata.*] Ampla aut plena.

V. 205. *Dacicus.... Germanicus.*] Solidi ita signati, qui pro virginitate deposita, novæ nuptæ donantur.

V. 209. *Ardeat ipsa licet.*] Quantumvis amet mulier, tamen pœnis ejus delectatur admodum quem amat.

V. 214. *Amicus jam senior.*] Qui ab ineunte ætate amicitiis tuis inhæserat.

V. 218. *Non unus tibi rivalis.*] Illius adulteros facies heredes, illa summittente quos voluerit.

V. 221. *Nulla unquam.*] Hoc tibi uxor respondebit, de nece ingenui nulla est dubitatio. An de servi morte causa quærenda est?

V. 225. *Et flamea.*] Genus amicti, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum. Est enim sanguineum propter ruborem custodiendum: conterit autem, exterit sæpe nubendo.

V. 232. *Illa docet.*] Socrus filiam suam lenat, et docet eam mœchis suis caute rescribere.

V. 236. *Archigenem.*] Medicum magnum illius temporis. Simulat ægritudinem socrus, ut habeat facultatem ad se filia veniendi, causa adulterii.

V. 237. *Secretus adulter.*] Pro medico intrat adulter.

V. 238. *Silet, et præputia ducit.*] Metuit, et manu sua penem fricat sibi. Hic versiculus in quibusdam codicibus non est.

V. 241. *Producere.*] Meretricem.

V. 242. *Litem moverit.*] Uxor cum marito litigat.

V. 245. *Celso.*] Oratori illius temporis, qui septem libros Institutionum scriptos reliquit.

V. 246. *Vulnera pali.*] De palo pugnantium habitu gladiatorum.

V. 248. *Quem cavat assid. sud.*] Obtundendo illum ferulis, in meditatione pugnandi.

V. 249. *Atque omnes implet numeros.*] Hoc est, universa efficit dictata, ut tantum currat in exercitio, quantum gladiator.

V. 250. *Florali matr. tuba.*] Qua committuntur ludi Florales, in quibus meretrices, nudatis corporibus, per varias artes ludendi discurrunt, et armis certant gladiatoriis atque pugnant. Hi ludi a Flora meretrice instituti sunt in honorem Floræ Deæ, quæ floribus præest. Ludi sunt impudici.

V. 252. *Quem præstare potest.*] Id est, si nudo vultu pudorem non capit, cooperta quando erubescat?

V. 254. *Nam quant. nostra vol.*] Una uncia est libidinis in masculis, et undecim in feminis.

V. 255. *Auctio fiat.*] Fit nam et privatim auctio.

V. 256. *Balteus et tunicæ.*] Retiarii scilicet si personam aut officium susceperit.

V. 258. *Tu felix, ocreas.*] Si in auctione uxoris venient arma gladiatoria, ποταπὴ ἀσχημοσύνη. Ocreas dicit, quas retiarii aut secutores habent.

V. 260. *Panniculus bombycinus.*] Sericus, id est, etiam sericis vestibus gravatur.

V. 261. *Monstratos.*] A campi doctore.

V. 263. *Poplitibus sedeat.*] Super poplites suos sedit: quod dicitur sedere et surgere.

Ibid. *Fascia libro.*] Volumen in specie libri, id est, longa fascia.

V. 264. *Scaphium cùm.*] Et cùm posuerit arma post meditationem, et ut ceperit vas ut bibat, ride.

V. 266. *Quæ ludia.*] Quando hoc habitu visa sit uxor gladiatoris.

V. 274. *In statione sua.*] Metaphora a militibus in statione: quoniam milites semper ad ambulandum parati sunt, quacumque illis hora jubeatur.

V. 276. *Tu tibi tunc uruca.*] Uruca mimilogi stupidi nomen finxit, quia ferme quasi frequenter fallit, cùm (8) magis et personam mariti: vel, ut alii dicunt, genus est animalis fœdi, spinosi, ut ericius. Uruca autem est proprie illud, quòd in faba nascitur, ut gurgulio.

V. 280. *Quintiliane.*] Quintilianus orator egregius: dic, orator, cólorem, ad defensionem hujus causæ.

V. 281. *Hæremus. Dic ipsa?*] Tanquam orator responderit, mulier deinde suum crimen defendit.

V. 284. *Homo sum.*] Nàta sum, ut peccem.

V. 285. *Iram atque animos.*] Quanto ingentius crimen est quod admittitur, tanto deprehensæ majorem induunt ad defendendum audaciam.

V. 289. *Tecta labor.*] Nam labor custos est castitatis.

V. 291. *Collina turre.*] Collino monte, ut porta.

V. 293. *Victumque ul. orbem.*] Orbem, quem nos subegimus, lascivitas, quæ nos invasit, defendit.

V. 296. *Et Sybaris colles.*] Sybarim civitatem in Italia Philoctetæ comites condiderunt: quæ urbs postea in tantum prolapsa est in omne probrum continua felicitate, ut nomen ad significationem impudicitiæ significare videatur. Similiter et Rhodos et Miletos in Græcia civitates. Petulans autem dicit, quia adversum Romanos bellum sæpe moverunt, et se Pyrrho sociarunt: coronatum, in conviviis madidum, fluxum.

V. 298. *Obscœna pecunia.*] Quia ore obscœno sunt. Horatius, de hujusmodi:

> . . . . Superbo provoces ab inguine,
> Ore adlaborandum est tibi.

V. 304. *Cùm bibitur concha.*] Non calicibus.

V. 306. *Qua sorbeat aëra sanna.*] Revocato naribus spiritu, insultet ebria, ac per hoc ronchos ducat.

V. 309. *Hic ponunt lecticas.*] Apud pudicitiam concumbunt, et urinam faciunt.

V. 310. *Longis siphonibus.*] Jactationibus (9) luteis.

V. 312. *Tu calcas.*] Tu cùm mane processeris, luteum calcas uxoris tuæ.

V. 314. *Nota Bonæ secreta.*] Templum ubi intravit Clodius pro psaltria, et cum uxore pontificis concubuit: ibi nam saltat matrona cum tibia.

V. 316. *Priapi.*] Id est, non Liberi patris bacchæ, sed Priapi.

V. 320. *Saufeia.*] Sacerdotis nomen.

V. 321. *Præmia coxæ.*] Ad certamen facit crissare: aliàs *pernæ*, ut pro præmio perna esset.

V. 322. *Ipsa Medullinæ.*] Duæ Medullinæ eodem fuerunt tempore; ex quibus una Val. Claudio nupta fuit, altera Neroni; prior nota omnibus probris, quam hic significat, posterior famæ honestioris.

Ibid. *Fluctum.*] Id est, habet potiorem in obscœnis motibus motum, sive sinum (10).

Ibid. *Crissantis.*] Crissare mulierum, cevere virorum est. Hinc ceventes, molles et obscœni appellantur.

V. 335. *Et publica saltem.*] Quia habebant et privati sua sacra antea.

V. 337. *Quæ psaltria.*] De psaltria, id est, de Clodio dicit, qui templum Bonæ Deæ ingressus habitu psaltriæ, adulterium admisit.

V. 338. *Duo Cæsaris Anticatones.*] Cæsar bello civili, cognita Catonis morte, cujus virtutem dialogo illo qui inscribitur Cato, Cicero etiam laudavit, libros duos famosissimos in vitam Catonis edidit, quos Anticatones inscripsit.

V. 339. *Testiculi sibi conscius.*] Ad templum, ubi non est fas intrare, nec murem masculum.

V. 341. *Alterius sexûs.*] Masculini.

V. 343. *Simpuvium.*] Vas sacrificiis aptum, in quo pontifices lavare solebant. Simpuvium autem, quia omnes sacerdotes simul bibebant: inde simpuviatrix illa dicitur, quæ porrigit poculum ipsum.

V. 345. *Ad quas non* (11) *Clodius aras.*] Pro Clodius: licet

nam per communionem, ut Clodius et Claudius, ut cotes et cautes, ut auriga et origa.

V. 347. *Pone seram.*] Januæ, id est, include uxorem.

V. 348. *Et ab illis in. uxor.*]

. . . . Qui nunc lascivæ furta puellæ
Hac mercede silent; crimen commune tacetur.

V. 350. *Pedibus quæ conterit.*] Quæ pedibus suis ambulat.

V. 351. *Quàm quæ long. cer. Syr.*] Αίφρον significat. Syrorum, servorum: verbo usus est comico. Nam antiquitus servis nomina ex gentibus suis ponebantur, ut apud Terentium frequenter legimus. Vehitur, id est, in lectica, ut Cicero: nam, ut mos est, lectica ad forum ferebantur.

V. 360. *Prospiciunt aliq. viri.*] Et suam paupertatem dispositione utili gubernant.

Ibid. *Frigusque famemque.*] Vitam et vestem.

V. 365. *Nonunquam reputant.*] Hic versus in quibusdam non est.

V. 366. *Sunt quas eunuchi imb.*] Inutiles ad concubitum.

. . . . Et, si quando ad prælia ventum est,
Ut quondam stipulis magnus nam viribus ignis
Incassum furit.

Horatius:

. . . . Non prælia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium.

V. 368. *Et quòd abortivo.*] Poculo faciente abortum.

V. 370. *Jam pectine nigro.*] Tunc faciunt eunuchos, quando jam pubuerunt.

V. 373. *Tonsoris damno.*] Quia non habent barbam.

Ibid. *Heliodorus.*] Medicus.

V. 378. *Bromium committ. noli.*] Puerum ephebum et comatum non committes eunucho.

V. 379. *Nullius fibula durat.*] Fibulam dicit circellos, quos tragœdi sive comœdi in penem habent, ut coïtum non faciant, ne vocem perdant.

V. 380. *Organa.*] Organa dicit citharas eorum quos amant.

V. 382. *Crispo.*] Eburno, qui crispet et agitet cordas: aut scutulato et pulchro.

V. 383. *Quo tener Hedymeles.*] Hic citharœdus fuit: tener autem ad ætatem retulit.

V. 385. *Ac nominis Appi.*] Appias significat.

V. 387. *An Capitolinam.*] Olympiam coronam: id est, sacrificabat nobilis matrona, utrum citharœdus Pollio ejus amator, in agone Capitolino coronam accipere posset? Quercum dicit, quia inde solebant coronari.

V. 391. *Dictataque verba.*] A sacerdote, sive haruspice.

V. 392. *Pertulit.*] Ad Deos scilicet, secundum consuetudinem.

Ibid. *Palluit.*] De eo sollicita, vel de responso, exta intuendo, an ille coronam posset consequi.

V. 393. *Dic mihi.*] Apostrophe ad Deos.

V. 394. *Resp. his.*] His scilicet de rebus responsa datis.

V. 397. *Varicosus fiet haruspex.*] Multum stando dum Deos, aut exta consulit: aut certe tantæ impudentiæ sumit* inspiciendis extis, ut varicosi haruspicis doctior videatur. Potest et nomen esse haruspicis cujuspiam.

V. 400. *Cumque paludatis.*] Euntibus ad militiam, chlamydatis scilicet. Sallustius (12), *Togam paludamento mutavit.*

V. 401. *Siccisque mamillis.*] Adhuc exstantibus, vel sine sudore.

V. 403. *Quid Seres* (13), *quid Thraces.*] Galliarum gentes, aut Scythæ.

V. 404. *Et pueri.*] Quid noverca cum privigno suo agat?

Ibid. *Quis deripiatur.*] Quis ad pœnam raptus est?

V. 407. *Parthoque cometem.*] Hujus stellæ ortus magnum regibus portendit exitium: unde et Lucanus:

. . . . Et magnum terris adstare cometem.

Latine autem hæc stella cincinnata dicitur.

V. 411. *Diluvio.*] Inundasse Armeniæ fluvium.

Ibid. *Subsidere terras.*] Terræ motum fieri.

V. 414. *Vicinos humiles.*] Pauperes vicinos rogata, loris cædit, cæterum irata fustibus, si canes latraverint in vicinia, et experrecta fuerit.

V. 418. *Gravis occursu.*] Visione terribilis: ut Virgilius:

. . . . . Nec visu facilis.

V. 419. *Castra moveri.*] Instrumenta balnearia.

V. 421. *Cum lass. gravi.*] Alteras (14) dicit, quibus utuntur

athletæ cùm exercentur: quasi plumbeis ponderibus exerceatur.

V. 423. *Exclamare coëgit.*] Non cogit exclamare (15) quod fecerit, illa non exclamat, sed patienter tolerat.

V. 428. *Ducitur.*] Bibit, ut digerat.

V. 429. *Et loto terram.*] Cùm cœperit ebria rejicere.

V. 430. *Marmoribus.*] In triclinio marmoreo.

V. 432. *Deciderit serpens.*] Ita post vomitum bibit, tanquam serpens, quando in dolium vini ceciderit, bibendo vomit, et vomendo denuo bibit.

V. 434. *Illa tamen gravior.*] Statiliam Messalinam insectatur; quæ post quatuor matrimonia diverso exitu soluta, postremo Neroni nupsit: post quem interemptum, et opibus et forma et ingenio plurimum viguit: consectata est usum eloquentiæ usque ad studium declamandi. Illo tempore duæ Messalinæ fuerunt: hæc et Valeria, de qua Claudius Britannicum filium sustulit.

V. 443. *Una lab. pot. s. lunæ.*] Sonitum fieri adsolet, quando luna deficit.

V. 444. *Imponit finem.*] Etiam philosophiam tractat.

V. 446. *Crure tenus.*] Id est, accipere debet virilem habitum, et cingi ut vir.

V. 447. *Cædere Sil. p.*] Silvano mulieres non licet sacrificare.

V. 452. *Palæmonis artem.*] Grammatici, magistri Quintiliani oratoris.

V. 453. *Servata semper lege.*] Analogia.

V. 454. *Tenet antiquaria.*] Quæ antiquitatem tenet, et ut antiquarius, versus dicit.

V. 455. *Opicæ castigat amicæ.*] Imperitæ, male pronunciantis.

V. 457. *Nil non permittit.*] Id est, omnia. Nam duo negativi (16) unum confirmativum faciunt.

V. 458. *Cùm virides gemmas.*] Monilia circa collum miserit. *Virides*, prasinæ.

V. 459. *Magnos commisit elenchos.*] Uniones, margaritas oblongas. Magnarum gemmarum elenchos, quos et titulatos appellant.

V. 462. *Pane tumet facies.*] Medicamen ad tendendam faciem, aut cutem magis.

Ibid. *Et pinguia Poppæana.*] Poppæa uxor(17) Neronis, adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinæ sequerentur missam in exilium, quarum lacte candorem corporis provocabat : earum natura fucata est. Decessit calce a Nerone percussa. Medicaminis ipsius autem nomen Juvenalis Poppæana dixit, quasi ab illa inventum sit.

V. 465. *Foliata.*] Unguenta foliis plena, vel aliis aromatibus.

V. 466. *Quidquid gracil. huc m. Indi.*] Odorum.

V. 468. *Illo lacte.*] Asinino lacte faciem linit, ut cutem tendat, et candorem eliciat.

V. 472. *Coctæque sil. offas.*] Candidi panis.

V. 474. *Est pretium curæ.*] Operæ pretium est.

V. 476. *Aversus jacuit.*] Libidini ipsius satis non fecit.

Ibid. *Periit libraria.*] Lanipendia (18).

V. 477. *Cosmetæ t.*] Eos dicit, qui ornamentis præsunt, non tamen et ornatrices : ponunt tamen et tunicas, ut vapulent.

Ibid. *Liburnus.*] Nuncius, aut certe lecticarius, aut gerulus lecticæ, quæ liburnata est.

V. 478. *Alieni pendere somni.*] Somni mariti pœnas præstat familia.

V. 480. *Hic scutica.*] Lorus latus, corium non confectum.

Ibid. *Tortoribus annua.*] Salaria quæstionariis, sive carnificibus.

V. 482. *Aut latum pictæ.*] Auro clavas (19) vestes miratur.

V. 483. *Transversa diurni.*] Ratiocinium diurnam accipit in transversa charta scriptum.

V. 484. *Exi intonet.*] Quasi in causa disceptaverit.

V. 486. *Præfectura domûs sicula n. m. a.*] Tyrannorum dicit Phalaridis, aut Dionysii. Phalaris Agrigentinus missos in ænetum taurum homines subjecto igne torquebat : de quo Cicero dicit : *Inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus.*

V. 489. *Isiacæ.*] Apud templum Isidis lenæ conciliatricis : quia in hortis templorum adulteria committuntur.

V. 490. *Disponit crinem.*] Componit crines dominæ, ipsa lacerata per iram.

V. 491. *Nuda h. psecas.*] Psecazein Græce dicunt, quando minutum, sive rarum pluit. Ornatrices igitur componentes ra-

rum ac parvum aquæ solent mittere, ac velut ψεκάζειν. Ergo nominis etymologiam ab arte sumpsit.

V. 495. *Si tibi displicuit nasus tuus.*] Si tu fœda es.

Ibid. *Altera lævum.*] Altera componit crinem, dum illa cæditur.

V. 497. *Est in consilio materna.*] Lanipendia matris facta ornatrix, quasi magistra.

V. 498. *Emerita.*] Quæ non ornatrix est, sed jam quasi emerita cessat.

V. 507. *Ad oscula.*] Mœchi scilicet.

V. 509. *Damnorum.*] Quæ in domo fuerunt.

Ibid. *Tanquam vicina.*] Tanquam extranea.

V. 510. *Quod a. c. odit.*] Quod vicina non facit.

V. 511. *Gravis est rationibus.*] In lumentis*, et balneariam pecuniam erogando.

V. 512. *Bellonæ matrisque.*] Sacerdotes, sive mystæ.

V. 513. *Reverenda minori.*] Quia minorem penem habet.

V. 516. *Et Phrygia vestitur bucca tiara.*] Sacerdotis habitu. Tiara nam galea sacerdotis est, quæ per malas veniens, mento subligatur. Tiara est Phrygium quod dicunt.

V. 519. *Et xerampelinas veteres.*] Vestes scilicet, quæ ad usum matronarum fuerunt, ampelini coloris, qui inter coccinum et muricem medius est. Xeron vero siccum significat.

V. 525. *Totum regis agrum.*] Brutus agrum Tarquinii Superbi (20) totum Marti consecravit: unde hodieque campus Martius appellatur.

V. 526. *Jusserit Io.*] Io Inachi fluvii filia, quam Jupiter stupravit: et deprehensus a Junone, in vaccam eam transfiguravit, celare volens factum: quod Juno sciens, dono eam sibi petiit, et accepit: quam acceptam, Argo custodiendam tradidit. Hic Argus centum oculos dicitur habuisse, quem Mercurius jussus ab Jove occidit. Hanc igitur Io in tantum persecuta est Juno, ut per omnem mundum eam* minaret. Quæ cùm venisset errans in partibus Aegypti, in Nilum fluvium, lassata cœpit orare, pro ut potuit, requiem malorum. Jupiter Junonem dilexit*, petit, indulsit pellici, et reversa in suam figuram, recepta est inter Deas. Et ipsa est Dea Isis. Inde etiam sacra de Aegypto.

V. 528. *A Meroë.*] Civitas est Aegypti.

V. 529. *Isidis an.*] In Martio campo templum Isidis vetustum.

Ibid. *Ovili.*] Quia ibi Romulus et pastores assueverant pecora pascere : aut regiam dicit Romuli, ut palatium.

V. 530. *Se voce.*] Ut putet ipsam Deam per Gallum loqui matrona, usque adeo superstitiosa est.

V. 533. *Qui grege linigero.*] Sic enim symmistæ, quando Osirim quærunt.

V. 534. *Derisor Anubis.*] Utrum quod ipse derideat, an quod aliis se præbeat deridendum. Dictus Anubis, quia caput caninum accepit per mysteria.

V. 536. *Observandisque diebus.*] Festis.

V. 537. *Violato pœna cadurco.*] Membrum mulieris intelligitur, cùm sit membri velamen : vel, ut alii, est instita, qua lectus intenditur. Unde ait Sulpitia :

> Ne me cadurcis destitutam fasciis
> Nudam Calæno concubantem proferat.

V. 538. *Argentea serpens.*] Quæ est in templo Isidis.

V. 539. *Illius lac.*] Isiaci antistitis.

V. 542. *Cùm dedit ille locum.*] Cùm Gallus sacerdos ac lustrator abscesserit, Judæa mulier advenit, quæ in aurem susurrando, sub obtentu religionis, aliquid petit. Dixit nam superius Judæis hortos datos, quos colentes, præstabant pensiones : modo, inquit, laborem horti declinantes, transferunt se ad Deos, lucri causa legem Moysi (21) exponentes.

Ibid. *Cophino fœnoque.*] Supellectile, quòd his pulmentaria sua, et calidam aquam die sabbati servare consuerunt.

V. 545. *Ac s. fi. in. c.*] Quid Dii cogitent de hominibus, vel disponant.

V. 547. *Qualiacumque.*] Mala sive bona, etiam res vanas, quas pro magno proferunt.

V. 551. *Pectora p. r.*] Inspiciens : ut Virgilius :

> Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

V. 552. *Faciet, q. d. ipse.*] Hic Egnatium philosophum significat, qui filiam Bareæ Sorani, quam, cùm ipse ad magicam descendisset, hortatus detulit Neroni : ob quam rem mori cum

patre jussa est a Nerone. Egnatium autem hic poëta ob delationem hanc ipsam sæpe lacerat, ut superius dixit :

> Stoicus occidit Baream delator amicum,
> Discipulumque senex.

V. 554. *A fronte r. A.*] Tanquam si a Jove ipso Ammone sit dictum. Apollo nam indignos homines putat quibus futura respondeat. Nam magis sic intelligitur, quòd Alexander damnavit templum Apollinis in Delphis, ne sint homines futurorum præscii.

V. 557. *Præc. t. est hor. q. s. ex.*] Deest *fuerit.* Horum autem, id est, magorum, haruspicum, mathematicorum.

V. 560. *Sonuit si d. f.*] Si jam in catenis fuit, aut in castrorum custodia.

V. 562. *Nemo mathem.*] Quasi ob nimiam peritiam scilicet fuerit damnatus.

V. 563. *In Cyclada mitti.*] In insula Cycladum relegari : sensus hic est, peritissimus astrologorum ille est, qui tale aliquid admisit : cùm facinus non exilium semper mereatur.

V. 566. *Tanaquil tua.*] Modo pro qualibet uxore posuit nomen. Hæc autem Tanaquil fuit Tarquinii Prisci uxor, soceri Servilii Tullii, quæ dicitur mathematicam artem optime scisse.

V. 567. *An sit victurus.*] Κατὰ κοινοῦ : consulit, si superstes illi sit adulter suus.

V. 569. *Quid sid. tr.*] Superstitiose. Virgilius :

> Frigida Saturni se se cùm stella receptat.

Lucanus :

> . . . . Veneris salubre sidus.

V. 572. *Illius occ.*] Quasi dicat, tolerabilior illa est, quæ consulit alium : non ferenda vero ea, quæ ipsa mathesin profitetur.

V. 573. *Ceu ping. succ. tr. cer. eph.*] Membrana mathematicorum, ut actus diurnos, quæ assidua tractatione colorem suum mutavit, et* eplocea facta est : colorem fecit, ut succinum.

V. 576. *Non ibit par.*] Ut præscia futuri periculi. Thrasillus multarum artium scientiam professus, postremo se dedit Platonicæ sectæ, ae deinde mathesi : qua præcipue viguit apud Tiberium, cum quo sub honore ejusdem artis familiariter vixit,

quem postea Tiberius in insula Rhodo præcipitare voluit in pelagum, quasi conscium præmissæ (22) dominationis. Quem dolum cùm præsensisset, fugit.

V. 577. *Ad primum lapidem.*] Si gestari voluerit, horam ex signis eligit convenientem.

V. 581. *Petosiris.*] Alter auctor artis mathematices.

V. 582. *Si mediocris erit.*] Si pauper erit mulier superstitiosa; in Circo quærit quos consulat: ibi nam antea proponere solebant hujus artis professores.

Ibid. *Spatium lustrabit.*] Quòd circulatores hoc consueverint adhibere, ut delectis sibi locis duobus, eos lustrent, id est, circueant, deinde per eos sortes, id est taxillos, jactitent, quo exinde, quod suæ geneseos signum se accommodaverit, inspiciatur, numquid vivet, et quando. Et paucis ex verbis ibidem conscriptis sortes educunt suas.

V. 584. *Poppysma.*] Oris pressi sonus, ut labiorum in se collisorum strepitus, qua lætitia prædicere mala * adsolet, vitare vota.

V. 585. *Phryx augur, et inde.*] Ille Phryx qui Romæ moratur. Sunt enim ob hoc qui ab ipsa Phrygia exhibiti sunt.

V. 587. *Qui p. f. c.*] Condi fulgura dicuntur, quotiescumque pontifex dispersos ignes in unum rediit (23) quadam tacita ignorantia prece locum aggestione consecratum sit. Lucanus:

> . . . . Et tacito cum murmure condit,
> Datque locis nomen.

V. 588. *Plebeium in C.*] In Circo, in spina: hoc ideo, quia illic pauperes sortes accipiunt.

V. 591. *An saga vendenti.*] Negotiatori sagario.

V. 593. *Fortuna urgente.*] Cogente paupertate, non solum partûs periculum, sed etiam educationis subeunt laborem.

V. 594. *Sed jac.*] Vix est ut puerperium sustineat dives mulier. Nam sterilitatis, aut abortus poculum sumit ab obstetrice, aut malefica. Puerpera dicitur puella, quæ primitus parit.

V. 603. *Ad spurcos decepta lacus.*] Illuc nam deferebantur expositi partus, atque ibi projiciebantur: decepta autem vota, quia suppositus est filius: id est, factus nobilis ex supposito.

V. 607. *Domibus t. p. altis.*] Nobilibus.

V. 609. *Producit.*] Tanquam suos tuetur.

V. 610. *Hic Thessala vendit.*] Δειχτιχῶς : nescit qui alter*, qui cantus magicos nobis quos matronis superstitiosis vendat. Philtra, amatorias res.

V. 612. *Quod desipis.*] Ἀποστροφὴ ad maritum.

V. 613. *Inde animi caligo.*] Tundit lethargus morbus. Caligulam (24) significat Cæsarem, quem adeo medicatis potionibus uxor Cæsonia in amorem suum deduxit, ut de nimia impatientia furens, sæpe eam nudam amicis ostenderet.

V. 614. *Tamen hoc tolerabile, si non.*]

> Semper aquam portes rimosa ad dolia : semper
> Istud onus subeas ipsis manantibus urnis,
> Quo rabidus nostro Phalarim de rege dedisti
> Et furere, etc.

Qui versus referuntur a Probo.

V. 616. *Tremuli pulli.*] Mox scilicet nati equini, cui in fronte pilleum ut pellicula erepta, præstat amorem, ut Virgilius (25) :

> Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus,
> Et matri præreptus amor.

V. 617. *Quæ non faciet.*] Si regina hoc fecit, quanto magis aliæ mulieres?

V. 618. *Ardebant cuncta.*] Tonante Claudio scilicet ex furore.

V. 619. *Non aliter, quàm si.*] Furor ille, quem Cæsonia avunculo Neronis immisit, multis nocuit per unum. Nam in multos sæviebat unius Imperatoris insania, ut si per Jovis insaniam totus mundus agitetur.

V. 620. *Minus ergo nocens.*] Exemplum de Agrippina, quæ principem Claudium maritum suum veneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium. Agrippina mater Neronis. Cæsonia uxor (*Caligulæ*). Agrippinæ maritus Claudius.

V. 622. *Descendere jussit in cœlum.*] Ridens, pro ad inferos: et apotheosin deridet. Deum fecit Imperatorem.

V. 623. *Et long. man. lab. sal.*] Senem dicit.

V. 624. *Hæc potio.*] Quam Caligula scilicet bibit, temperatam a Cæsonia uxore sua.

V. 625. *Mixtos equit. cum sang. patr.*] Id est, omnes ordines sine distinctione occisos.

V. 627. *Od. natos de pellice.*] De priore uxore, aut certe de amica.

V. 628. *Jam jam privignum.*] Exemplum et in Agrippinam, quæ privignum suum Britannicum veneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium.

V. 630. *Et nulli credite mensæ.*] Nec maternæ.

V. 631. *Livida m. f. adipata.*] Dulcia placenta, veneno plena.

Ibid. *Livida materno f. ad. ven.*] Livida, lubrica, dulci suffusa succo. Sequuntur duo versiculi:

> Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa
> Quæ peperit, timidus prægustet pocula pappas.

Qui in aliis non sunt.

V. 634. *Fingimus.*] Anthypophora: dices forte, quòd de proposito egressus, satiram dimisi, et ad tragœdiam me contuli, fingens dicta. Sed Pontia non negat se fecisse. Igitur quod ait, legem priorum, id est, satiræ propositæ.

V. 636. *Grande Sophocl.*] Id est, tragœdiam scribimus.

V. 638. *Nos utinam vani.*] Utinam nos hoc mentiremur, et non rea facti confiteretur. Pontia Publii Petronii filia, quam Nero convictam in crimine conjurationis damnavit, defuncto marito (26) filios suos veneno necasse convicta, cum largis se epulis onerasset, et veneno, venis incisis saltans, quo maxime studio oblectabatur, exstincta est.

V. 643. *De Cholchide sæva, et Progne.*] De Medea. Progne filium suum occidit, propter sororem a marito stupratam.

V. 649. *Ut saxa ju. abrup.*] Virgilius:

> . . . . Excisumve obice montis.

V. 651. *Quæ computat.*] Quæ propter avaritiam peccat, ut Eriphyle, quam dicunt donis sollicitatam, maritum coegisse, ut iret ad bellum, et mortuus est.

V. 652. *Spectant.*] In theatro * parapallium.

V. 653. *Si permutatio.*] De vita mariti, aut catuli.

V. 655. *Belides.*] Danaïdes, quæ pro patre suo, maritos occiderunt.

Ibid. *Atque Eriphylæ.*] Eriphyle uxor Euripyli, filii Telephi: qui Telephus cùm venisset ad auxilium Priamo, plagatus est

ab Achille: et cùm non posset curari, sortitus est ab Achille se solo posse curari. Venit supplex: petit se curari, promisso hoc ut nunquam jam auxilium ferat Trojanis, nec ipse, nec de suis aliquis: curatus est, recessit. Post mortem hujus, filius Euripylus vir fortis fuit. Hunc sæpius ad auxilium petit Priamus: ille negavit, monitus scilicet a patre suo. Ergo cùm non posset aliter Priamus eum sollicitare, fecit vitem ex auro, et misit ad uxorem ejus Eriphylem. Hæc accepto munere tanto, marito persuasit: venit in Trojam auxilium ferens. Hunc occidit Pyrrhus filius Achillis.

V. 656. *Mane Clytæmnestram.*] Quæ maritum suum occidit Agamemnonem.

V. 657. *Bipennem.*] Hoc interest, quòd illa securi occidit.

V. 659. *Rubetæ.*] Ranæ, cujus viscera venenosa sunt.

V. 660. *Sed tamen et ferro.*] Aliquoties gladio, si jam manducaverit maritus quod veneno obsit.

V. 661. *Pontica ter vict.*] Mithridatem dicit, quem Lucullus, et Sylla, et Pompeius vicerunt; ideo ter victi: hic tale sibi fecit medicamentum, ut non posset aliquando veneno perire.

IN SATIRAM SEPTIMAM.

DE STERILITATE STUDIORUM.

V. 1. *Et spes.*] De sterilitate studiorum loquitur. Neronem palpat. Talis autem est sensus: poëticæ artis periisset industria, nisi propter egestatem in studia diversa tendentibus, Cæsaris subvenisset humanitas.

Ibid. *Studiorum.*] Litterarum.

V. 2. *Tristes hac temp. Camenas.*] Tacentibus poëtis.

V. 4. *Balneolum Gabiis.*] Ut mediastrinus fieret.

Ibid. *Furnos.*] Ad panem coquendum.

V. 6. *Præcones fieri.*] Emissarii.

Ibid. *Aganippes.*] Locus in Bœotia Musis sacer. Callimachus tamen dicit fontem esse Permessi fluminis.

V. 7. *Migraret in atria Clio.*] Ostiarius, et custos atriensis.

V. 8. *Nàm si Pieria.*] Pieria, locus sub radicibus Olympi montis, cui Pierius poëta nomen dedit, qui primus sacrificasse Musis dicitur : unde et Pierides dictæ.

Ibid. *Quadrans tibi.*] Denarius : inde quadrantes.

V. 11. *Stantibus.*] Popularibus : armatis militibus.

V. 12. *Alcitheon Pacci.*] Nomina fabularum, aut malorum poëtarum, qui has fabulas scripserunt.

V. 13. *Quàm si dicas sub judice, vidi.*] Quam si calumniam facias, falsa dicens : falsus es testis necessitati.

V. 14. *Equites Asiani.*] Equites Romani ex Græcis facti.

Ibid. *Faciant.*] Falsum testimonium dicant.

V. 16. *Altera quos n.*] Id est, Gallograeci, quia Galli in Græcia condiderunt*. Ipsos ergo dicit, et est sensus : qui nudis pedibus ambulant, ac per hoc abjecti Galatæ.

V. 18. *Nectit quicumque.*] Qui carmen vocale efficit per modos, id est, poëta.

V. 20. *Hoc agite.*] Hortatur poëtas temporibus Neronis carmina scribere : ô juvenes! huc venite.

V. 22. *Si qua aliunde.*] Si aliunde magis præsidium speras per carmina, quàm a principe Nerone, incende libros tuos, et trade Vulcano, ô Telesine.

V. 27. *Vigilataque prælia.*] Utrum, quæ tu pugnaris cum animo scripseris, an ea quæ de pugna conscribis.

V. 29. *Hederis.*] Corona.

Ibid. *Et imagine macra.*] Corpore exili, propter vigilias : quia poëtæ sic pinguntur, quasi ad summam maciem nimio labore confecti.

V. 30. *Spes nulla ulterior.*] Nummorum scilicet, nisi hedera et imagines.

V. 39. *Propter mille annos.*] Dinumerato tempore fortasse usque ad ætatem suam, poëta dixit mille annos fluxisse ex tempore Homeri. Fuit autem Homerus annis ante Urbem conditam centum LX, post Ilium captum, ducentis LX.

V. 40. *Maculonis.*] Alii sordibus dixit* : alii pictas.

V. 41. *servire jubetur.*] Valde tibi indicendum.

V. 42. *In qua sollicitas.*] Cùm fuerint clausæ domini calamitate : tristes effectas et sollicitas propter incursionem hostium.

V. 44. *Comitum disp. voces.*] Novit disponere auditores.

V. 45. *Subsellia.*] A Græco tractum : id est, subsellia, super quæ altius sedeatur : gradus superiores scansiles.

V. 46. *Tigillo.*] Tecto, diminutive.

V. 47. *Orchestra.*] Spatium in theatro dicit, qui pantomimo saltanti vacat. Ejusmodi autem et poëta legit in quo stans recitet, aut tabulata.

V. 49. *Et littus sterili.*] Metaphora ab arantibus. Littus pro agro posuit, agrum pro auditoribus : id est, scribimus, et nihil commodi inde consequimur.

V. 50. *Laqueo tenet.*] Poëtici mores, ut vinculum.

V. 51. *Insanabile multos scrib. cac.*] Mali mores, mala consuetudo scribendi, quæ oblivisci non potest.

V. 53. *Cui non sit pub. vena.*] Communis, sive vulgaris, qui nihil abjectum, subtile, et gracile, nihil trivialiter scribat, sive male.

V. 56. *Hunc qualem.*] Ordo hic est. Poëtam bonum facit omni sollicitudine, vel tristitia carens animus, ut nihil acerbi patiatur : qualem ego animo sentio, ostendere autem non possum.

V. 58. *Cupidus silvarum.*] Avidus : ut Horatius :

> Bacchum in remotis carmina rupibus
> Vidi docentem.

V. 60. *Thyrsumque pot. contin.*] Insanire pauper non potest, aut moveri ad scribendum : quia familiaribus rebus consulere cogitur. Dicunt nam nisi insanum, poëtam esse non posse.

V. 64. *Et dominis Cyrrhæ Nisæque.*] Apollini et Libero.

V. 72. *Rubrenus Lappa.*] Tragicus poëta.

V. 73. *Et lænam pignerat Atreus.*] Fenerator, vel quia Atreum scribit, ut sumptus habeat, et res suas pignori dat. Alveolus est tabula calculatoria, lusoria.

V. 74. *Non habet infelix.*] Animo, non facultatibus : nam dives fuit.

V. 75. *Quintillæ.*] Meretrici.

V. 77. *Constat leviori.*] Ironia est. Leo levius pascitur, quàm poëta : et ex indignatione hoc dicit.

V. 79. *Contentus fama.*] Ideoque facile otium ad scribendum carmen habuit dives Lucanus (1).

V. 80. *At Serrano, tenuique Saleio.*] Nomina sunt poëtarum pauperum : aut, Serrano (2) vas fictile, in quo at Serranus solebat mendicare. Saleio ut mendico catillum fictilem, in quo ea quæ salsa sunt apponuntur. Si non sit, inquit, pecunia, gloria quid prodest ?

V. 82. *Amicæ Thebaidos.*] Gratæ : significat poëma Statii de bello Thebano.

V. 83. *Lætam f. c. St. urbem.*] Lætam, ideo quid libenter audiebat. Est enim et poëma ipsum delectabile ; et ipse dicitur bonam vocem habuisse.

V. 86. *Sed cùm fregit subs.*] Post tantum faverem audientium, nisi cantionem inauditam pantomimo vendidisset, non habebat unde se sustentaret.

V. 89. *Semenstri digitos vatum.*] Id est, in modum lunæ plenæ, equitum de numero, id est, annulo. Semenstris autem luna dicitur, cùm mensis medium permensa est spatium : aut Xytnam * dicit, hoc est, cui, ut plena sit, parum admodum deest ; cùm velut annulus in orbem collecta est.

V. 92. *Præfectos Pelopea facit.*] Neronem significat, qui scenicis ob turpem libidinem hæc petentibus præstabat. Propter hunc versum missus est in exilium a Claùdio Nerone.

V. 97. *Toto nesc. Decemb.*] Quo mense scilicet solet maxime lucubrari.

V. 98. *Vester porro.*] Ironia.

V. 102. *Rerum numerus.*] Ordo historiæ.

V. 104. *Acta legenti.*] Exceptori.

V. 107. *Comites in fasce libelli.*] Breves significat.

V. 110. *Qui venit ad dubium.*] Cautionem habens multorum temporum. Creditorem argentarium significat, qui instantius debitum petit, si debitor ei cœperit esse suspectus.

V. 111. *Folles.*] Buccas dicit.

V. 112. *Conspuiturque sinus.*] Propter fascinum verborum (3), ter sibi in sinu spuunt, et videntur fascinum arcere : ut Persius de matertera : vel, incipiunt multa sibi promittentes, in sinum spuere, vel alloquendo multum spuunt.

V. 114. *Pone Lacernæ.*] Nomen aurigæ abjecti, ex colore russatus. Lacerna sub Domitiano auriga fuit.

V. 115. *Pallidus Ajax.*] Ajacem pro recitaturo posuit advocato. Hic vero Ajax auriga, non * ictilius temporius.

V. 118. *Figantur vir. scal.*] Stationum scilicet, ad instar gladiatoriæ victoriæ. Scalæ, armariola advocatorum: vel ut quidam, casæ et stationes. Cicero in Corneliana, *correpsit*, inquit, *in scalas.* Armaria nam advocatorum apud veteres, scalas habebant.

V. 119. *Siccus petas. et vas Pel.*] Vocabulum piscium salsorum.

V. 120. *Epimenia.*] Græce dixit. Nam Latine menstrua dicuntur dantium (4).

V. 121. *Tiberi devectum.*] Non transmarinum, id est, cibarium.

V. 122. *Si quater egisti.*] Id est, pro quatuor actionibus unum solidum.

V. 123. *Pragmaticorum.*] Jurisperitorum, qui negotiales causas agunt.

V. 124. *Aemilio d. q. p.*] Qui hoc pacto quintas acciperet, in pretio consiliatorum clientum.

Ibid. *Et melius nos.*] Pauperes scilicet.

V. 128. *Et statua. m. p. l.*] Cujus oculus introrsus cedit.

V. 130. *Magno cum rhinocerote.*] Id est, magno gutto: quòd sicut rhinoceros, sit ingentis nasi.

V. 134. *Stlataria purpura.*] Illecebrosa. Ennius:

Et melior navis, quàm quæ stlataria portat.

Id est, multisonalis, quæ vulgo dicitur batalaria.

V. 142. *Togati ante pedes.*] Togati, nominativus est pluralis, ut sit sensus: an togati sint tibi ante pedes, qui litigent, qui te consulant.

V. 154. *Cambre repetita.*] Proverbium de Cambra (5) et Anatho omnibus tritum, cùm nihil sibi tam fuisse cognitum significare voluerint: tractum a nimis frequenti relatione historiæ, sive fabulæ ab aliquo tum scriptæ.

V. 159. *Scilicet arguitur.*] Id est, quid magister peccat, si tu cor non habes?

V. 160. *Arcadico.*] Asino, ac per hoc stulto, hebeti.

V. 162. *An petat Urbem.*] Id est, deliberativa ejus quam recitat.

V. 163. *An post nimbos et ful.*] Cùm a tertio ab Urbe lapide castris positis, fulmine territus, eo quòd propius accederet.

V. 164. *Circumagat.*] Retroducat ad Africam.

V. 165. *Quantumvis stipulare.*] Proroga, quantum tibi dem.

V. 167. *Vel plures.*] Omnes scilicet professores.

V. 168. *Et veras agitant lites.*] Cùm mercedes reposcunt: alii exponunt, transeundo ad causas, relictis controversiis scholasticis.

Ibid. *Raptore relicto, fusa venena.*] Themata, quæ in auditoriis recitantur deliberativarum et controversiarum: ut si uxor venenum triverit, maritus (6) recipiat oculos, etc.

V. 172. *Diversum iter.*] Aliâ qualibet.

V. 173. *Qui rhetorica d. a. u.*] Esse* nam Academiam sectam, quæ rhetoricam in se continens militiam.

V. 174. *Summula.*] Ne annonam perdat: sic* mola medium significat gradilis panis.

V. 176. *Chrysogonus quanti doceat.*] Per diversos vadunt magistros, ubi vilius possint studere, tentantes.

V. 177. *Artem scindens.*] Dividens.

V. 178. *Balnea sexcentis.*] Balneas et porticus ædificant, ubi gestentur, ne eos pluvia contingat, et mercedem pro filiis suis dare non possunt.

V. 183. *Et algentem rapiat cœnatio.*] Solaria in superioribus hyemalia, marmoribus et columnis ornata.

V. 184. *Qui fercula docte.*] Structurus, ut cocus.

V. 188. *Unde igitur tot Quint.*] Anthypophora. Unde tantùm possidet Quintilianus, si parum accepit?

V. 189. *Exempla novorum fatorum.*] Contingit, ut unus sit fato felix, rhetor, vel orator.

V. 192. *Appositam nigræ l. s. a.*] Patricius senator est, lunula nam adsuta calceis discernuntur patricii a noviciis.

V. 194. *Et si perfrixit.*] Infrigidatus fuit.

V. 196. *A matre rubentem.*] Mox ut natus fuerit.

V. 199. *Ventidius quid enim?*] Ventidius ex munitione (7) Cæsaris Dictatoris, fuit, ut Tullius in epistolis, et in Philippicis

loquitur, opitulante Antonio Augusto usque eo provectus est, ut ei crederetur Parthicum bellum.

Ibid. *Quid Tullius.*] Is captivus in Urbem perductus postea triumphavit.

V. 201. *Servis reg. d. ca. f. t.*] Servium Tullium, Ventidium significat.

V. 202. *Felix ille tamen.*] Quintilianus.

V. 204. *Sicut Thrasym.*] Rhetoris apud Athenas, qui suspendio periit.

V. 206. *Nil præter gelidas.*] Socrates veneno periit, cùm fugeret paupertatem.

Ibid. *Gelidas.*] Mortiferas. Mors enim frigida est.

V. 208. *Spirantesque crocos.*] Notandum quia masculino genere dicit crocum, ut Virgilius:

. . . . . Crocumque rubentem.

Sallustius dicit neutro: *In qua crocum gignitur.*

V. 212. *Citharœdi cauda mag.*] Chironis.

V. 213. *Sed Rufum.*] Qui Gallus fuit, et valde disertus.

V. 214. *Allobroga dixit.*] Allobroga, Gallia.

V. 218. *Discip. custos præmordet Acœnonoëtus.*] Eunuchus pædagogus, aut communi carens sensu: proprium papatis.

V. 219. *Et, qui dispensat.*] Et qui erogat, de eadem forte tollit sibi.

V. 221. *Institor hybernæ tegetis.*] Negotiator, qui pro qualitate temporis mercem suam distrahit. Sic Terentius: *Scisti uti foro.*

Ibid. *Niveique cadurci.*] Cadurcum quidam cucullum dicunt candidum, propter hyemes et nives comparatum; alii tabernaculum, aut tentorium dixisse* quibus merces suas protegere consueverunt. Hybernæ autem tegetis, est ædificii frigidi. Virgil.

Qualis ob hybernam Lyciam.

V. 223. *Nemo faber.*] Ferrarius.

V. 224. *Qui docet obliquo.*] Aut lanarius.

V. 225. *Olfecisse lucernas.*] Cum quibus nocte veniunt ad grammaticos, ut lectiones accipiant.

V. 227. *Flaccus et h.*] Codex Horatii et Virgilii, in quibus

legebant, quia et Horatius et Virgilius nigri coloris dicuntur fuisse. Ideo diasyrtice dixit detrahendo.

V. 229. *Sed vos.*] Raræ sine lite magistris redduntur merces: sed enim vos, ô tribuni, duras conditiones magistris imponite, ut et sine vitio loquantur, et omnes historias et poëtas teneant, et ut quacumque sint hora etiam de rebus exiguis et impossibilibus statim respondeant.

V. 233. *Aut Phœbi balnea.*] Privatæ balneæ, quæ daphnes appellantur.

V. 234. *Nutricem Anchisæ.*] Tisiphone.

V. 240. *Ne faciant vicibus.*] Ne se corrumpant.

V. 241. *Observare manus.*] Ne præputia ducant.

V. 242. *Et cùm se verterit annus.*] Hæc exposcunt a magistris, et post omnia in annum unum solidum accipient.

V. 243. *Victori populus.*] Ut in theatro solent petere quinque aureos. Nam non licebat amplius dare.

IN SATIRAM OCTAVAM.

DE CLARITATE NATALIUM.

In eos qui majorum suorum nobilitate confisi, nimis se jactitant, cùm ipsi nihil suæ virtutis ostendant.

V. 1. *Stemmata.*] Stemma est generis ordo, ut grad: ..

V. 5. *Nasoque carentem.*] Vetustate picturæ ita effectum, aut quia breviorem nasum habuit.

V. 6. *Tabula j. capaci.*] Imagine perpetua.

V. *. *Multa contingere virga.*] Multis fascibus, dignitate.

V. 8. *Si coram Lepidis.*] Ante imagines Lepidorum.

V. 9. *Alea pernox.*] Per totam noctem si luditur. Virgilius:

> Dura jacet pernox in strato.

V. 12. *Cur Allobrogicis.*] Gallicis possessionibus, aut titulis victoriarum, aut ædibus.

V. 13. *Natus in Hercul. Fab. lare.*] Magna ara ad Herculem dicitur Romæ, juxta Circum Flaminium. Fabius ex genere Herculis.

V. 14. *Et Euganea.*] Tarentina, Calabra, aut Veneta.

V. 15. *Catinensi pumice.*] Catina oppidum Siciliæ, usque ad probra dissolutum notatur, ut et Bibaculus :

Oste senex, Catinæque puer, Cuna (1) meretrix.

V. 16. *Traducit avos.*] Dedecorat parentes suos.

Ibid. *Emptorque veneni.*] Ἀπὸ κοινοῦ.

V. 21. *Hos ante effigies.*] Mores tuos antepone virtuti eorum, et præcedant mores boni, fasces.

V. 23. *Prima mihi debes.*] Κατὰ κοινοῦ : debes animo bonus, et justus esse.

V. 28. *Populus quod cl. Osiri invento.*] Tibullus de Osiri dixit :

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et cinerem ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.

Populus Aegypti (2) invento Osiri dixit : εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.

V. 31. *Nanum cujusdam Atlanta vo.*] Ut cùm indignus sit, majoris alicujus eum nomine nuncupemus : ut si nanum, gigantem vocemus κατὰ ἀντίφρασιν.

V. 32. *Aethiopem cygnum.*] Id est, nigrum hominem, Aegyptium, cycnum voces ut candidum.

V. 33. *Europen.*] Ut formosam.

V. 37. *Ne tu sis Creticus aut Cam.*] Hoc est, ne sis tantum nominibus nobilis; ac turpiter vivas.

V. 39. *Blande.*] Nam Blandus Rubellius dicebatur.

V. 41. *Quæ sanguine fulget Iuli.*] Nobilis de genere Trojano.

V. 42. *Cond. sub ag.*] Plebeia mulier : pauper in castris natus.

V. 44. *Quorum nemo.*] Plebeii aut peregrini.

V. 45. *Cecropides.*] Nobilis. Cecrops rex fuit Atheniensium.

V. 48. *De plebe togata.*] Id est, senatoria.

V. 49. *Legum ænigmata.*] Quæstiones obscuras.

V. 50. *Euphraten.*] Fluvius est in Oriente, id est, nomen militiæ dat, et curam cohortis sumit. Batavi, gens Galliarum. Lucanus : *Batavique truces.*

V. 52. *Nil nisi Cecrop.*] Quasi Alcibiades, infamis et nobilis.

Ibid. *Truncoque simillimus Hermæ.*] Hermæ, effigies æneæ,

aut marmoreæ, sine manibus: quales videmus in Circo. Hermas Athenienses ante januas pro religione posítos habuere. In hoc igitur tantum distas ab Hermulis.

V. 55. *Animalia muta.*] Etiam in animalibus virtus quæritur, non genus.

V. 60. *In æquore.*] Aut in Circo, aut in Campo, quando bellum est, de quocumque venerit armento.

V. 61. *Coryfe* posteritas.*] Coryfeorum, id est, equorum: in Achaia prima nobilitas fuit.

V. 62. *Hirpini.*] In iuitio* Sabinis. Hirpinus mons est, ubi optimi equi nascuntur.

V. 63. *Gratia nulla umbrarum.*] Non attendit de quo armento venit: nihil præstant parentes, qui quasi umbram quamdam videntur præbere.

V. 64. *Dominos p. m. jub.*] Distrahuntur.

V. 65. *Epirhedia.*] Ornamenta rhedarum (3), aut plaustra.

V. 66. *Molam versare.*] Molere in pistrino.

V. 71. *Nerone propinquo.*] De quo magis debuit erubescere.

V. 83. *Et propter vitam.*] Dum vis vivere, ita agas, ne vita indignus videaris.

V. 84. *Dignus morte.*] Sic habendus qui morte dignus est, quasi jam perierit, licet quotidie copiose vivat.

Ibid. *Cœnet licet ostrea centum.*] Habeat licet tripodas æneos, ubi heroës lavabantur, et ostrea a lacu Lucrino. *Cosmus* luxuriosus fuit, qui solium in quod descendebat, multis diversorumque unguentorum odoribus miscebat.

V. 88. *Miserere inopum sociorum.*] Provincialium.

V. 89. *Exsucta medullis.*] Exhausta a rectoribus.

V. 92. *Et Capito et Numitor.*] Spoliatores sociorum. Cilices nam piratæ sunt. Ergo principes piratarum, aut spoliatores latronum. Bene igitur Capitonem et Numitorem, nescio quem, poëta repetundarum damnatos a senatu, dixit piratas Cilicum: sive propter deprædationem injustam, sive ut eos facinorosiores ostenderet, qui piratas olim Cilicas exspoliaverunt.

V. 95. *Præconem Chær. tuis.*] Sensus hic est, quid tibi prodest, Chærippe, si damnatur judex, quem tu damnandum accusasti, cùm illius successor plura ablaturus sit tibi? Magis

provide tibi præconem, et auctionem fac rerum tuarum, quæ superaverunt : ut in pecuniam totum conferas, ne et ipsos pannos tuos perdas, qui remanserunt. Nam nec accusatio tibi proderit, et insuper naŭlum perdis.

V. 97. *Non idem gemitus.*] Olim non sic gemuerunt provinciæ a Romanis afflictæ spoliatæque jure bellorum, quando sunt devictæ; quomodo nunc, cùm sunt a judicibus deprædatæ?

V. 100. *Conchylia Coa.*] Metaphora : purpura Græca, Coa.

V. 102. *Phidiacum.*] Pictorum, fictorum et sculptorum sunt nomina, qui olim magni artifices fuerunt. Phidias statuarius fuit.

Ibid. *Vivebat ebur.*] Cùm ἐκφωνήσει pronunciandum.

V. 103. *Raræ sine mentore.*] Sine toreumate.

V. 104. *Inde Dolabel. est, atque hinc Anton.*] Antonius* trium Antoniorum corruptor ille Sallustius, qui oræ maritimæ, qua Romanum esset imperium, contrarius piratis. Hi omnes socios, et maxime Græcos, Asiaticos, ac Siculos, fortunis omnibus spoliaverunt. C. Antonius a Cæsare accusatus.

V. 108. *Et pater armenti.*] Taurus, aut admissarius.

V. 112. *Forsitan imbelles Rhodios.*] Ut ostenderet has civitates gymnasiis, hoc est, exercitationi palæstræ deditas : putes, inquit, has civitates furtus (4) non esse accusaturas, quòd de resina pilos sibi tollant, ut cinædi.

V. 115. *Horrida vitanda.*] His parce gentibus, ne pro injuria rebellent, aut accusent repetundarum.

V. 116. *Messoribus illis.*] Afros significat. Et tenues, quòd nuper eos Marius spoliaverat, de quo superius, *Exul ab octava Marius bibit.*

V. 124. *Non est senten.*] Non sunt nuda verba (5). In sententia nam solet interdum aliquid esse falsi, sed est oraculum verum.

V. 126. *Si tibi sancta cohors.*] Si nemo servorum tuorum actus tuos vendit. Si e rebus (6) intonsus non est puer, pro quo sententia distrahatur, si uxor tua te administrante nihil rapit : denique si vir es bonus, patiar ut falso licet, tamen ex quovis genere nobili, tibi fingas originem, vel a Pico, qui Fauno pater fuit.

V. 136. *Hebetes l. lict. secures.*] Retunsæ, feriendo capita damnatorum : id est, si crudelis nimium sis.

V. 138. *Nobilitas, claramque fa.*] Hoc quod et Sallustius dixit : *Majorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona, neque mala in occulto patitur.*

V. 139. *Omne animi vitium.*] Pro persona crimen admissum culpatur. Sallustius : *Qui magno imperio præditi.*

V. 141. *Quo mihi te solitum f. s. t.*] Κατὰ κοινοῦ.

V. 144. *Tempora Santonico.*] Id est, birro Gallico. Nam apud Santonas oppidum Galliæ conficiuntur.

Ibid. *Cucullo.*] Galero fusco et horrido ardeliunculo, quales sunt latrunculatorum : aut ex lucerna turpi intincto.

V. 147. *Ipse rotam adstringit.*] Sufflamen, vinculum ferreum, quod inter radios mittitur (7), dum clivum descendere cœperit rheda, ne celeres rotæ sequantur, et animalia vexent.

V. 151. *Et occursum.*] Non gravioris amici occursum timebit.

V. 152. *Atque maniplos solvet.*] Mannas fœni : vino nam solet fessis animalibus infundi hordeum.

V. 156. *Solam Eponam.*] Quia mulio est, qui consulitur. Epona Dea mulionum est (8).

V. 159. *Currit Idumææ.*] Idume civitas Orientis : ideo currit Damasippo tabernarius, qui prope portam manet, tabernam volenti intrare.

V. 161. *Et cum venali Cyane.*] Nomen tabernariæ, pro qualibet. Scortum.

V. 162. *Defensor culpæ.*] Qui contra hæc defendere voluit.

V. 166. *Lateranus ad illos.*] Sive Damasippus.

V. 167. *Inscriptaque lintea.*] Hoc est, pictis velis popinæ succedit, aut linteis cabsariciis * tergit : vel ubi esculenta publice venduntur.

V. 169. *Amnibus, et Rheno.*] Armeniam Tigris proluit, Euphrates Parthos, Hister Sarmatas, et Ponto influit. Rhenus inter Alamanniam (9) et Gallos Oceano influit.

V. 171. *Legatum quære popina.*] Παρὰ προσδοκίαν, pro castris.

V. 172. *Cum percussore.*] Sicario, aut gladiatore.

V. 174. *Et fabros sandapilarum.*] Si sandaliorum sutores ac per hoc abjectæ sortis homines. Si Sardanafallo *, infamis ho-

minis nomen est. Si sandapilarum, eorum* in quibus gladiatores mortui de amphitheatro ejiciuntur.

V. 175. *Et resupinati.*] Ebrii, aut turpia patientis.

V. 176. *Aequa' ibi libert.*] Popinæ, ac per hoc communis est.

V. 181. *Turpia cerdoni.*] Græce dixit turpem, vulgarem, lucri cupidum. Si pauper et popularis adulterium committat, crimen admisisse dicitur; si dives, jocosus appellatur.

V. 184. *Vocem, Dam. locasti.*] Id est, præco fuisti in mimo. Siparium (10) velum est, sub quo latent paradoxi, cùm in scenam prodeunt: aut hostium mimi, aut quod appellatur comicum.

V. 185. *Ageres ut Phasma Cat.*] Nomen est mimographi: et Phasma, nomen fabulæ.

Ibid. *Catulli.*] Q. Lutatium Catullum dicit, qui Voranum servum furacissimum habuisse fertur, de quo hic posterius, *scurra Catulli.* De quo etiam illud traditur, cùm deprehensus a nummulario esset, cujus de mensa nummos subtractos in calceos sibi inferciverat, quidam jocans in eum: Belle, inquit, si te nummularius in jus vocet, tu ei æs ablatum ex calceo abjiceres.

V. 186. *Laureolum.*] Hoc ideo, quia in ipso mimo, Laureolo figitur crux. Unde vera cruce dignus Lentulus, qui tanto detestabilior est, quantum ille gestum imitatus est scenicum. Hic Lentulus (11) nobilis fuit; suscepit servi personam in agendo mimo, et deprehensus in falso crucifixus est.

V. 188. *Ignoscas populo.*] Qui patitur nobiles agentes mimos spectare.

V. 189. *Triscurria Patriciorum.*] Locos* tres currus nobilium fabulas agentes: dictum, quia tres simul exeant, quamvis aliquid quærentes.

V. 190. *Planipedes audit Fabios.*] Nobiles neaniscologos.

V. 191. *Mamercorum alapas.*] Turpitudinis crimina.

V. 192. *Nullo cogente Nerone.*] Tyranno scilicet.

V. 193. *Celsi Prætoris vendere ludis.*] Ignobilioris, quàm ipsi sint.

V. 195. *Quid satius?*] Utique mori, quàm mimum agere: nec

debet quis mortem sic horrere, ut in arena se locet, sed ut mimum agat.

V. 197. *Res haud mira.*] Non est turpe, nobilem, mimum agere, cùm ipse Imperator citharœdus sit, et in scena cantaverit. Non est mirum, si hæc mavult sequendo ludium principem quàm mori, quando ipsum imitatur Neronem.

V. 199. *Nec mirmillonis in armis.*] Mirmillo armaturæ Gallicæ nomen, ex pisce inditum, cujus imago in galea fingitur.

V. 200. *Aut falce supina.*] Thracum armatura intelligenda est, quibus proprium telum sica est.

V. 202. *Movet ecce tridentem.*] Infamis est, sicut gladiator: aut indicatur, aut verba sunt Gracchi spernentis armaturam secutoris.

V. 206. *Credamus tunicæ.*] Tunicam de faucibus quidam vestem gladiatoriam dicunt, quam fibulam * pugnaturis mordet a faucibus. Alii, qua Galli utuntur in sacris, in modum organi utrimque decrescentibus (12) virgulis purpureis: nam fortuiti sunt veluti indicantibus partem corporis esse amputandam: hi dubii habebant qui munera edebant, ut extremas partes tunicæ ad guttur ornarent, quo formam haberent.

V. 207. *Et longo jactetur spira galero.*] Pileo, quem habent retiarii. Galerus est humero impositus gladiatoris hujusmodi aliquid, quo citius sparsum funem, vel jactatum retium colligat.

V. 211. *Senecam præferre Neroni.*] Ignobilem, sed virum bonum.

V. 212. *Cujus supplicio.*] Hoc ideo, quia parricidis in culleo clausis, ad pœnam simia et serpentes jungi solebant. A Nerone autem mater occisa est, et amita, et uxor, et Antoni Claudi illa, quæ illi pro harum morte (13) nubere noluit. Sed apertius dixit, quia et matrem occiderit et uxorem Octaviam, eamdemque sororem adoptivam, et Britannicum fratrem adoptivum filium Claudii peremit.

V. 215. *Quippe ille Diis auctoribus.*] Orestes, qui et matrem occidit, sed ut patrem ulcisceretur et defenderet.

V. 217. *Aut Spartani sanguine conj.*] Helene, vel Hermione.

V. 220. *Troïca non scripsit.*] Hoc ideo, quia Nero Troados libros scripsit. Unde et maxime insanivit, quia poëta fuit.

Virginius autem unus de conjuratis, qui Neronem occiderunt.

V. 225. *Graiæque apium.*] Quia apud Isthmios agones, victores apio coronantur. Nero autem Isthmiaco certamine inter citharœdos certans, apio uti mos erat, coronatus est.

V. 226. *Habeant insignia vocis.*] Voci missaria*.

V. 227. *Ante pedes Domitl.*] Alii Domitium senatorem volunt, qui a Nerone coactus est mimum agere.

V. 228. *Syrma.*] Vestis tragica est. Has autem personas Nero saltavit. Menalippus est, qui Tydeum occidit.

V. 229. *Et de marmoreo c. s. colosso.*] Colossum, statuam ultra mensuram : suspende statuæ citharam, non trophæum : ut Nero scilicet.

V. 233. *Ut Braccatorum pueri.*] Gallos significat, et deest, teneant. Allobrogæ Galli sunt. Ideo autem dicti Allobrogæ, quoniam *brogæ* Galli agrum dicunt, *alla* autem, aliud. Dicti igitur, quia ex alio loco fuerant translati.

V. 234. *Tunica punire molesta.*] Vestis ex charta facta, pice inlita, in qua ignibus pœnæ addicti ardere solent. Aut, si estis id conati, quod hoc pacto debet puniri.

V. 238. *Et in omni monte.*] Quia in montibus condita est Roma. Legitur et pontibus, propter Molvium, ubi Catilinæ conjurati, et Allobroges deprehensi sunt.

V. 240. *Non Leucade.*] Propter Antonium et Cleopatram, quia bello navali sub Leucade promontorio Epiri, devicti sunt ab Augusto.

V. 241. *Thessaliæ campis.*] Ibi nam ab Augusto victi sunt Brutus et Cassius, et Pompeius a Cæsare.

V. 243. *Roma p. p. C. libera dixit.*] Non per adulationem, ut Augustum. Hoc nam differt ab Augusto Cicero, quia alia armatus*, alia pacatus defenderit libertatem et civitatem : ut Lucretius :

> . . . . . Romani maximus auctor
> Tullius eloquii, cujus sub jure togato, etc.

V. 246. *Nodos. p. h frang. v. vitem.*] A centurione vapulando suo vertice frangi patiebatur Marius vitem, cùm militat.

V. 250. *Atque ideo.*] Mario, inquit, debellante Cimbros,

corvis avibus fuit miraculum ire ad majorum cadaverum prædam : quia grandi statura sunt Galli. Virgilius :

. . . . . Scutis protecti corpora longis.

V. 252. *Lauro collega secunda.*] Secundo, per Marium familia nova. Nam primo per Ciceronem : nobilitati, hoc est, ut triumpharet. Vel, secunda lauro dixit, quia secundo loco triumphavit post collegam suum.

V. 253. *Plebeiæ, Deciorum animæ.*] Decii pater et filius, somnio moniti pro incolumitate populi Romani se devoverunt, alter bello Latino, alter bello Gallico. Nam pater cùm esset collega L. Manlii Torquati, essentque somnio admoniti, eam partem victricem fore, cujus dux in prælio ceciderit, Decius calcaribus equo incitato, in medios hostes irruit, ibique pugnans interfectus est. Cujus cùm corpus milites liberare contenderent, cum plena sunt reversi victoria. Hoc exemplo patris pro bello Samnitico et Tusco, bello Gallico ab hostibus est filius interemptus : de quibus et Virgilius :

Quin Decios Brutosque. . . . .

V. 258. *Ancilla natus.*] Ocriculana captiva. Servius Tullius.

V. 259. *Regum ult. ille bo.*] Nam fuerunt reges postea superbi. Sextus a Romulo : nam septimus Tarquinius fuit Superbus.

V. 261. *Juvenes ipsius consulis.*] Ipsius Bruti filii, qui a patre securi percussi sunt : portas aperiebant, ut Tarquinius Superbus intraret.

V. 263. *Cùm Coc.*] Horatius Cocles cùm fessos milites suos ab Etruscis videret, pontem sublicium subduci jussit, ne protinus hostes ad Urbem irent, et ipse solus interim exercitum Porsennæ sustinuit, dehinc armatus Tiberim transnatavit ad suos.

V. 264. *Virgo nat.*] Cloelia virgo inter obsides data Porsennæ a Romanis, simulans ritu patrio velle se in ripa Tiberis cum cæteris virginibus sacra facere, ablegatis custodibus transnatavit : et per legatos a Porsenna recepta, in tanto honore habita est, ut cum cæteris obsidibus in patriam remitteretur. Hujus rei causa et statuam equestrem meruit inauratam.

V. 266. *Matronis lug.*] Propter Lucretiam scilicet vindicatam, vel quia Superbo sub tyranno vim patiebatur castitas matronarum. Vindicius, servus qui indicavit filios Bruti Tarquinio velle portas reserare, quos pater securi feriit : servum autem ut conservatorem patriæ manumisit, et ut delatorem dominorum, cruci adfixit : quod factum matronæ planxerunt.

V. 267. *Prima securis.*] Quia primus consul Brutus secures accepit.

V. 272. *Nom. ab in.*] Romulus, ut augeret populum Romanum, secutus Atheniensium morem, asylum in loco (14) constituit.

V. 274. *Aut pastor.*] Quos collegit Romulus.

Ibid. *Quod dicere nolo.*] Servus, aut infamis, vel latro. Nam latronum, aut perditorum collegit populum.

IN SATIRAM NONAM.

QUERELA NAEVOLI DE RE IMPUDICA.

In hac satira nebulo philopygista (1) queritur, quòd divites cinædi avarissimi sunt, et nihil de obsequio libidinis possit acquirere.

V. 2. *Marsya victus.*] Aut proprie ab eo quem Apollo vicit, aut advocatus temporis illius.

V. 4. *Ravola dum R.*] Fecisti vultum tristem, qualem Ravola fecit, cùm deprehenderetur lambens.

Ibid. *Rhodopes.*] Turpia. Rabula, a facto etymologiam nominis sumpsit pœna (2).

V. 5. *Nos colaphum.*] Sensus talis est : servus colapho percutitur a nobis, si placentam linguat; rabula autem cùm lambat inguina feminarum, impunitus incedit. Crustula, species operis pistorii. Lucullus : *crustavi* (3) *crustula solus, placenta.*

V. 8. *Et fatuos.*] Qui ei scilicet et pecunias credant non soluturo.

V. 11. *Et salibus.*] Id est, facetiis urbicis abundas, id est, urbanus : id est, qui solebas in conviviis jocis omnes fatigare.

Ibid. *Pomœria.*] Loca appellantur, quæ intra muros sunt, hoc est, pone muros.

V. 14. *Fascia visci.*] Psilotrum significat, dropacem quo solebat se accurare (4).

V. 16. *Quid macies ægri veteris.*] Ita macer et decolor, tanquam quartanarius.

V. 17. *Domestica febris.*] Consueta, familiaris.

V. 18. *Deprendas.*] Id est, omne vitium corporis, sive ægritudo, ex faciei colore deprehenditur.

V. 19. *Sumit utrumque inde hab. facies.*] Id est, et lætitiæ et ærumnarum.

V. 22. *Fanum Isidis et Ganymedem.*] Statuæ ad quas conveniebant cinædi.

V. 23. *Et advectæ palatia Matris.*] Matris Deûm mysteria, cujus templum in palatio est.

V. 26. *Quodque taces ipsos.*] Solebas scilicet, quod non confiteris. Hoc autem vult: ex persona poëta eorum refert qui divites (5) se inclinant viros, et tam modica consequuntur.

V. 27. *Utile et hoc.*] Nævolus hoc refert.

V. 28. *Pingues aliquando lacernas.*] In alio pingues, ut ostendat grossas, ac per hoc pluviales: quæ muniant a pluvia, non quæ ornent.

V. 30. *Et male percussas.*] Male textas.

Ibid. *Textoris pectine Galli.*] Veneti, aut albedine cadurco cucullo: ut alibi:

Atque ibi contentus veneto duroque cucullo.

V. 31. *Tenue argentum venæque secundæ.*] Modicum, aut leve, ærosum.

V. 33. *Quas sinus abscondit.*] Penem dicit.

Ibid. *Nam si tibi sidera cessant.*] Si te non adjuvat fatum.

V. 34. *Mensura incognita.*] Ante non visa, quæ excedat opinionem hominum.

V. 35. *Spumanti Virro labello.*] Quia salivosus fuit. Virro nomen divitis. Quamvis, inquit, ille dives cinædus penem tuum conspexerit, et cupiditate blandis te epistolis et clypticis* sollicitet, nihil tamen accipies, nisi stellas bene positas in genesi habueris, quæ tibi hoc præstent.

V. 37. Αυτος γὰρ.] Ipse ad se trahit.

V. 38. *Quod tamen ulter. m. q. mollis avarus.*] Id est, dives avarus, infamis. Virgilius:

Tristius haud illo monstrum, nec sævior ulla.

V. 39. *Hæc tribui.*] In alio tulisti: verba divitis.

V. 40. *Computat, ac cevet.*] Fiat computatio. Cevet, crissat.

V. 43. *An facile.*] An putas quòd et in corrumpendo labor non est.

V. 47. *Et pulchrum.*] Hoc est, Ganymedi te comparas.

V. 49. *Cultori.*] Id est, tenui clienti, quemadmodum tu donabis, qui libidini tuæ conferre dubitas?

V. 50. *Incultu* (6) *v. u. c. succina mittas grandia.*] Gemmata dextrocheria.

V. 51. *Aut madidum ver incipit.*] Matronalibus scilicet, quæ sunt Kalendis Aprilibus, quibus est natalis Veneris.

V. 52. *Et strata p. longaque cathedra.*] Cervicalibus stratis: scamnum dicit.

V. 53. *Munera femineis t. s. kalendis.*] Kalendis Martiis, quibus Junonis sacra celebrantur a Romanis: quia et tunc Ilia compressa est a Marte. Tunc nam matronalia sunt.

V. 55. *Tot milvos.*] Vult ostendere magnitudinem possessionum poëta, quàm latæ sint agris, ut nec milvi transvolare eas possint: lassos igitur, id est, volantes in agris tuis.

V. 57. *Suspectumque jugum.*] Quod immineat Cumis, valde altum.

Ibid. *Et Gaurus.*] Gaurus mons Campaniæ. Inanis autem, super exhausto, aut transacto vindemiarum tempore: aut quia vaporiferos specus habet: aut melius est sic intelligere, quia omni arbore exspoliatus est, et solis vinetis vacat.

V. 58. *Vict. dol. musto.*] Multum duraturo.

V. 59. *Lumbos don. cl.*] Magis debes illi donare possessionem pauperi clienti tuo, qui libidini tuæ satisfacit, quàm puero, qui in agro tuo natus est.

V. 62. *Cymbala pulsantis legat. f. a.*] Archigalli cymbala percutientis: ac per hoc Gallo* inquit, dixit: legetur, id est, legatario donabitur.

V. 63. *Sed pensio.*] Tributum, aut quod conductum maneat.

V. 64. *Ut Polyphemi lata acies.*] Unicus oculus Cyclopis, quem Ulysses excæcavit.

V. 66. *Ambo pascendi.*] Id est, ideo peto, quia pueros pasco, et vestio.

V. 67. *Bruma spirante.*] Hyemis tempore, cùm petunt calcearium, quid dicam?

V. 69. *Exsp. cicadas.*] Aestivum tempus.

V. 70. *Verum, ut diss. ut mitt.*] Negligas, dimittas.

V. 71. *Quod ni tibi deditus essem.*] Id est, nisi tibi omni animo devotus fuissem, uxorem tuam non devirginassem.

V. 74. *Fugientem s. p.*] Volentem recedere de domo tua.

V. 75. *Tabulas q. r. et j. signabat.*] Dotales tabulas frangentem, et repudium volentem tibi dare, et signantem tabulas, sive alii ut nubat, sive ut alium faceret heredem, sæpius revocavi, dormiens cum ea, satisfaciens.

V. 78. *Ad quem pervenit l. s. et dominæ vox.*] In coïtu non tacentis, quòd virgo erat: ut sit mariti major infamia: aut, cùm virginem imitatur.

V. 79. *Instabile.*] Exclamatio est.

V. 81. *Quo te circumagas.*] Quo te vertas ad hæc quæ dicturus est.

V. 84. *Tollis enim, et libris actorum.*] Nutris: et, *libris actorum*, propter professionem: scilicet, quia apud ærarium patres natorum deferebantur filiorum. Vel nominum notitiem devulgare contestatione publica.

V. 86. *Quod famæ opp. possis.*] Ne dicaris cinædus.

V. 87. *Jura parentis habes.*] Hæc omnia ad jus civile poëta retulit: id est, meo labore habes filios, et scriberis heres, et non pateris pœnas orbitatis.

V. 90. *Si numerum, si tres.*] Si tres filios fecero. Nam a tutela excusant liberi, et in fascibus sumendis prior est, qui præstat numero filiorum.

V. 92. *Negligit atque alium.*] Non curat, sed alium quærit, qui eum corrumpat.

V. 93. *Hæc soli.*] Nævolus amico dicit, tibi soli hæc secreta credidi.

V. 95. *Nam res mortif.*] Periculosus est cinædus iratus, aut offensus.

V. 97. *Sumere f.*] Occidere, aut incendere domum.

V. 99. *Nec contemnas.*] Ne tibi despectæ sint quas habet cinædus iras : venena dat quanticumque distrahantur.

V. 101. *Ut curia Martis Ath.*] Quia in Areopago primus accusatus est Mars a Neptuno, eo quòd filium ejus Palirrothion peremisset : vel in Areopago Athenis, ubi sententiæ feruntur graviores.

V. 102. *O Corydon.*] O stulte.

V. 109. *Archimagiri, carptores.*] Infertores, qui inlata carpunt (8).

V. 112. *Baltea.*] Lora, quibus cæsi sunt.

Ibid. *Per compita.*] Quadrivia.

V. 113. *Vinosus inebr.*] Impleat te ebrius secretis dominorum.

V. 117. *Pro populo faciens qu. Saufeia.*] Sacrificans virgo Vestæ (9). Virgilius :

Cùm faciam vitulum pro frugibus, ipse venito.

V. 126. *Festinat enim decurrere.*] Id est, juventus decurrere, et senectus properare. Virgilius :

. . . . . breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

V. 128. *Dum serta, unguenta.*] Coronas et aromata.

V. 130. *Pathicus tibi d. amicus.*] Corrumpi volens, aut corruptus.

V. 131. *His collibus.*] Id est, septem montibus, supra quos posita Roma est, Palatino, Tarpeio, Viminali, Aventino, Esquilino, Cœlio, Vaticano.

V. 132. *Carpentis et navibus.*] Ad corruptores et itinere venient, et mari.

V. 133. *Altera major spes superest.*] Multos imberbes habes tibi crescentes.

Ibid. *Qui digito scalpunt uno caput.*] Ginædi, cum muliebri more componunt caput.

V. 134. *Tu tantum erucis.*] Dicitur hæc herba ad coïtum inflammare, et vires dare.

V. 135. *Hæc exempla.*] Respondet Nævolus.

V. 136. *Si pascitur inguine venter.*] Usque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis ad victum sufficiat.

V. 137. *Thure minuto.*] Thus minutum mannam vocant: et in invidiam Deorum Penatium, minuto dicit.

V. 138. *Exorare corona.*] Id est, coronatus floribus precari.

V. 139. *Quando ego figam aliq.*] Constituam, componam, habeam: aut certe quia in ceris vota figuntur apud templa: aut habeam ubi maneam, aut supra quod incumbam senex.

V. 140. *A tegete.*] Casa mendici: a mendicitate.

Ibid. *Viginti millia.*] Deest, ut sint.

V. 142. *Sed quæ Fabricius.*] Plus sibi decem libris argenti petit. Fabricius Censor collegam suum notavit in senatu, quia supra decem libras argenti unam phialam invenit. Antea enim non licebat senatorem plus habere.

Ibid. *Et duo fortes.*] Lecticarios ait, quorum laturus (10) locem, et securus Circenses exspectem.

V. 145. *Curvus cælator, et alter qui.*] Id est, opifices, servi argentarii, laboriosi, anaglypharii.

V. 146. *Suff. hæc.*] Plastæ, archetypus.

V. 147. *Quando ego p. ero.*] Mon dico dives, at pauper, inquit, quando ero? Nam modo nec pauper sum: ut Terentius: *Nam mihi nihil esse, religio est dicere.*

V. 149. *Affixit ceras.*] Ad auriculas, id est, surda est.

Ibid. *Illa de nave.*] Ulyxis, ut Sirenarum periculum posset evadere.

IN SATIRAM DECIMAM.

DE VOTIS CONTRARIIS.

V. 1. *Omnibus in terris, quæ sunt a Gad. usque.*] Τρόπος συνεκδοχή, a parte totum. Nam cùm occidentem et orientem significare vellet, locum posuit, Gades scilicet et Gangem, breviter complexus orbem. Nam Gades sunt in Atlantico mari, Hispaniæ proximæ, ubi se angustissimo divortio inter columnas Herculis in Mediterraneos sinus Oceanus infundit.

V. 8. *Dî faciles.*] Satirice, ad mala peragenda faciles : vel ideo faciles, quia preces stultas audiunt.

Ibid. *Nocitura toga.*] Optantibus dignitates: nocitura in pace, et in bello.

V. 9. *Torrens dicendi copia.*] Abundans eloquentia, aut fluens.

V. 10. *Viribus ille confisus.*] Ut Milo Crotoniates, qui cùm arbores manibus scinderet, brachia ejus occupata sunt, et a lupis consumptus est.

V. 13. *Strangulat.*] Apoplexin passi moriuntur.

V. 14. *Balæna Britannica.*] Metaphora in Tiberium, et divites.

V. 15. *Temporibus diris.*] Tyrannicis scilicet : cùm jussisset Nero omnes prædari, ad domos divitum milites cucurrerunt, pauci ad domos pauperum.

V. 19. *Pauca licet.*] Licet modica tibi sit res familiaris, metuis tamen impetum militis a Tiberio missi ad proscriptionem tuam.

V. 21. *Et motæ ad lunam.*] Ut Virgilius :

. . . . Simul ipsa silentia terrent.

V. 24. *Ut maxima toto nostra sit arca foro.*] Usque ad Ce-realem (1) præfectum, in foro Trajani arcas habuerunt senatores, in quibus argentum, aut pecunias tutius deponebant. Propterea et locus ipse in quo erant arcæ positæ opes dictæ sunt.

V. 25. *Aconita bibuntur fictilibus.*] Id est, pauperes venena non timent. Et bene poëta, ut ostenderet paupertatem innocuam a crimine, et divitias malis oppressas, vasa potoria ad demonstrandam diversitatem posuit.

V. 27. *Et lato Setinum.*] Vinum a Setio. In aurata, inquit, phiola cùm vinum coloratum acceperis (2), time venena. Et ardebit, quia vinum splendescit in auro.

V. 33. *Pulmonem agitare.*] Quia ex splene risum ducunt gigni.

V. 35. *Prætexta.*] Quarum Tarquinius Priscus usum invenit, et Romæ intulit, palmatam dicit.

V. 38. *In tunica Jovis.*] Mappam mittentem in Circo consulem describit poëta. Nam tunicam Jovis, togam palmatam dixit, Tyria purpura confectam, hoc est Sarrana : ut Virgilius :

Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.

V. 39. *Ex humeris aulæa togæ.*] Eleganter aulæa, quasi latis velis. Cicero : *Velis amictos non togis.*

V. 40. *Tantum orbem.*] Tantam multitudinem.

V. 43. *Da nunc et volucrem, sceptro.*] Virgæ, quam consules portant, quia supra aquilas faciunt.

V. 45. *Et niveos ad frena Quirites.*] In candidis togis officium facientes.

V. 46. *Quos sportula f. a.*] Non amor verus, sed sportula.

V. 47. *Tunc quoque mat.*] Tunc quoque invenit Democritus materiam risûs, cùm hæc, quæ in Urbe fiunt, necdum essent reperta; id est, major severitas, et minor vanitas esset.

V. 50. *Vervecum in patria.*] Apud Abderim, aut Megarim, quæ fuit patria Democriti : nam ex cœli vitio regiones solent æstimari : nam fuit Democritus, ubi stulti solent nasci, id est, Achivus. Vult igitur Democritum inter stultos prudentissimum natum.

V. 52. *Cùm fortunæ ipse minaci.*] Cùm fortunam contemneret, nihil dicens se habere quod ab ea exspectaret : quin immo infami digito ei turpiter insultaret.

V. 55. *Genua incerare.*] In signis insignare *, vota facere.

V. 57. *Honorum pagina.*] Aenea pagina, quæ ante imaginem eorum stans, omnes eorum gradus honorum inscriptos continet: quam nunc dicunt, tabulam patronatûs (3).

V. 58. *Restemque sequuntur.*] Trahuntur, ducuntur.

V. 59. *Impacta securis.*] Si intacta, nova : si impacta, percussa, ab eo quod est impingo.

V. 60. *Et immeritis f. c. caballis.*] Quibus vecti sunt honorati. Nam poëta equestres statuas et consulares dicit immerito pœnam sustinere, aut ad restem trahi : quod ait sequi, aut certe conflari (4), eum fuerunt *, propriis moribus dignam sustinuerunt sententiam, ex quo ostendit per hoc vitam nobilium.

V. 61. *Jam strident ignes.*] Conflatur statua, ut pecunia inde fiat.

V. 63. *Sejanus.*] Sejanus fuit Tiberio usque adeo carus amicus, ut nihil esset quod ei a Tiberio petenti negaretur : usque adeo etiam de eo cogitaverit necem, ut dispositis conjurationis sociis occiso Tiberio ipse regnaret : cùm hoc cognovisset Tiberius, super ejus nomine epistolam ad senatum misit, et sic per con-

sules damnatus est, cum omni progenie sua : usque adeo ut filiam ejus virginem juberet senatus a carnifice stuprari, et sic occidi, ut jure videretur fuisse occisa.

Ibid. *Orbe secunda.*] Quia præfectus Urbi fuit (5), venerabilis, secundus a Cæsare Tiberio.

V. 65. *Pone domi lauros.*] Hoc quasi populus loquitur.

V. 66. *Cretatumque bovem.*] Candidum. Quid tibi, inquit, prosint Dii, cum Sejano nihil profuerint : ut Lucretius :

Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.

V. 71. *Verbosa et g. epistola.*] Multa nam superflua ad populum principes solent scribere.

V. 72. *A Capreis.*] Insula in Campania. Virgilius :

. . . . Telebonm Capreis cùm regna teneret.

Ibi nam Nero habitabat.

V. 74. *Si Nyrtia Tusco.*] Fortunam vult intelligi poëta, quæ apud Nyrtiam colitur, unde fuit Sejanus.

V. 76. *Hac ipsa.*] Qua illi detrahit potestatem imperii, secuta.

V. 77. *Ex quo suffragia nulli.*] Id est, ex quo non est imperium populi, quod per suffragia diversis vendat. Hoc post Augusti monarchiam, ex quo Imperatores esse cœperunt.

V. 81. *Perituros audio multos.*] Iterum sibi loquitur populus pavens, cùm Sejanus tractus est.

V. 82. *Magna est fornacula.*] Multos habet fornax quos exurat.

V. 84. *Exigat Ajax.*] Tiberius Nero quasi insanus, si inferior fuerit in bello, aut si scierit se a nobis fuisse contemptum.

V. 85. *Ut male defensus.*] Timeo ne eum Tiberius occidat, cùm se dicat a senatu male defensum, et parum aliquid in Sejanum factum.

V. 87. *Sed videant servi.*] Proprie cujusque servi ne dicant dominos suos ad trahendum non convenisse : ne calumnientur. Quoniam dederat servis potestatem, ut liceret dominos accusare quibuslibet criminibus : ne ergo indicium de dominis facerent, si minus Cæsarem vindicarent in corpore Sejani.

V. 90. *Visne salutari.*] Hoc quasi ex persona poëtæ inseritur.

V. 91. *Summas donare curules.*] Consules facere.

V. 92. *Illum exercitibus.*] Magistrum militum facere.

Ibid. *Tutor haberi principis.*] Patricius fieri.

V. 93. *Augusta Caprearum in rupe s.*] Tiberius Nero secessum eum elegerat: de qua insula Augustus ἀπραγόπολιν dixit, quòd ibi esset otii locus, ut ait Suetonius. Sedentis, significat (6) et divem turpiter vixisse Capreis Tiberium, qui Sejanum velut tutorem habuisset.

V. 94. *Cum grege Chaldæo.*] Cum magis, aut mathematicis.

V. 95. *Et castra domestica.*] Juxta aggerem primus castra posuit Sejanus, id est, super Diocletianas: quæ dicta sunt castra Prætoria.

V. 97. *Sed quæ præclara.*] Quid juvat tanti æstimare bona, si cum his et mala perveniant.

V. 99. *Prætextam sumere mavis.*] Id est, præfectus et consul esse, cum periculo; an securus minorem dignitatem administrare, ut si ædilis, aut curator cujuscumque parvæ civitatis, ut juberes tabernariis.

V. 102. *Vacuis ædilis Ulubris.*] Desertum Italiæ oppidum, aut juxta Romam.

V. 108. *Et illum ad sua.*] Syllam, Cinnam, sive Cæsarem.

V. 110. *Summus n. locus.*] Honorum culmen, regnandi cupiditas.

V. 111. *Magnaque numinibus v. e. m.*] Dii nam irati exaudiunt, et præstant contraria futura petentibus.

V. 113. *Et sicca m.*] Incruenta, ac per hoc naturali morte sua.

V. 115. *Et totis quinquatribus.*] Diebus festis, quibus Minerva colitur: aut quod intra quinque atria fit. *Atria* abundat; nam dies quinque in uno festi.

V. 116. *Uno p. colit asse Minervam.*] Vilioris pretii fictilis Minervæ signum: aut certe eum nunc ostendit puerum, qui adhuc discit, et arcula sequitur eum: aut qui tenue adhuc eloquium habet.

V. 117. *Capsæ.*] In qua signum, aut codices reponit.

V. 118. *Eloquio sed uterque.*] Demosthenes et Cicero. Nullus enim tanti fuit ingenii. Ergo ambos affluens ingenium et eloquentia morti subjecit. Ille nam a Philippo, hic ab Antonio occisus est.

V. 122. *O fortunatam.*] Hic versus male compositus (7), est Ciceronis. Et est cacemphaton : dicit ergo, si Cicero nihil peritius scripsisset, non interficeretur.

V. 128. *Frena theatri.*] Μεταφορικῶς, cohibentem vulgi tumultum.

V. 129. *Dis ille adversis.*] Philippus rex Macedonum, cùm vicisset Athenienses, et parceret civitati, Demosthenem sibi ad supplicium petivit. Verum, cùm hoc ageretur, sumpto veneno se interemit. Filius autem fabri ferrarii fuit Demosthenes.

V. 134. *Lorica et f.*] Spolia quæ tropæis solent affigi bello erepta (8).

V. 136. *Aplustre, et summo t. c. i. ar.*] Id est, in arcu triumphali, quæ solent imponi. Aplustra, tabulatum ad decorandum superficiem navis appositum : alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis, ἄφλαστα.

V. 137. *Ad hæc se.*] Id est, non propter virtutem posse volunt, sed propter famam et gloriam, cujus causa etiam imperium adsumptum est.

V. 140. *Famæ sitis.*] Corruptæ gloriæ cupiditas et desiderium.

V. 143. *Gloria paucorum.*] Id est, Cæsaris et Pompeii, et aliorum.

V. 144. *Hæsuri saxis.*] Id est, inscribendi sepulchris.

V. 145. *Discutienda.*] Dirumpenda : in quibus saxis caprificus nascitur.

V. 147. *Expende A.*] Examina, pensa.

V. 148. *Africa Mauro.*] Quantum ab Oriente distendit Oceanus.

V. 150. *Rursus ad Aethiopum.*] Duæ (9) sunt Orientes et Occidentes in occasum, Garamantici degeneres, in ortum Macrobiæ præstant eos qui junguntur Mauritaniæ, æquitate, ætate, virtute.

V. 151. *Additur imperiis Hispania.*] Annibalis, quia et eam obtinuit.

V. 153. *Diducit scopulos.*] Nam dicitur primus Annibal per Alpem viam fecisse, dum saxa montium ingentia igni primum exureret, deinde acetum acrum suprafundebat : et sic cecidit, et viam fecit, qui et in Alpibus a frigore oculum perdidit.

V. 158. *Cùm Gætula ducem.*] Constat nam Annibalem a fulmine ictum (10) oculum perdidisse, camelo solitum vehi, vel elephanto.

V. 162. *Donec Bithyno.*] Prusia in Urcynia * civitas. Per annos sedecim Annibal Italia pulsus, et in Africa victus ab Scipione, et postea pulsus a civibus, fugit ad Antiochum Syriæ regem: quem male impulsum ad bellum Romanis inferendum, victus cum regia classe deseruit: inde descendit ad Prusiam Bithyniæ regem. Quo cognitō Romani legati mittunt ad Prusiam, Quintum Flaminium, ut sibi daretur perducendus ad urbem Romam. Quod ne fieret, prævenit Annibal hausto veneno, quod sub annuli gemma omni tempore habuerat.

V. 165. *Cannarum vindex.*] Quia populus apud Cannas vicum Apuliæ, ab Annibale occisus est.

V. 167. *Ut pueris placeas.*] Ut de te pueri studentes dicant, in scholis deliberativa, Annibal utrum de Alpibus recederet.

V. 168. *Unus Pellæo.*] Alexandro magno. Hic nam in Pella natus est Macedoniæ civitate.

V. 170. *Ut Gyaræ cl. s. p. q. Serypho.*] Insulæ angustæ (11), exulibus aptæ.

V. 171. *Cùm tamen a figulis munit.*] Babylonem significat Persarum civitatem: quam condidit urbem Semiramis Nini uxor, et coctili latere munivit, quem hodie dicimus ordinarium lapidem. In hac igitur urbe Alexander devictis Persis, ingressus veneno periit. Hæc urbs sexaginta millium circuitu patet ex latere cocto circumdata muris, quorum latitudo ducentos pedes detinet, altitudo quinquaginta.

V. 172. *Sarcophago contentus.*] Quem vivum mundus non ceperat, mortuus exiguo loco contentus est.

V. 174. *Velificatus Athos.*] Xerxem dicit Persarum regem, qui Athonem montem in Achaia dicitur perforasse, et immisisse terris novum mare: pontum contabulasse navibus, atque ita exercitum in Achaiam transtulisse.

V. 178. *Et madidis cantat quæ Sostratus alis.*] Sostratus poëta fuit. Hic Xerxis regis facta descripsit. Madidis autem ideo,

quia omnis qui cum sollicitudine recitat, necesse est ut alæ ejus sudent. Sic Horatius :

. . . . . sudor ad imos
Manabat* talos.

V. 179. *Salamine relicta.*] Cùm victus a Græcis fugit.

V. 180. *In Corum atque Eurum s. s. fl.*] Solebat verberare flatus. Sic nam fingunt Græci poëtæ.

V. 182. *Ipsum compedibus.*] Dicebat nam Xerxes usque adeo vicisse se procellas Hellesponti, ut ventos flagris compesceret, et ipsum Neptunum compedibus vinciret.

V. 183. *Mitius id sane.*] Ironia : quia non cecidit, ne maculam inferrent (12) notæ secundum jus.

Ibid. *Stigmate.*] Quia non hoc inscribi jussit.

V. 184. *Huic quisquam vellet servire Deorum.*] Quia pontem mari superposuit, finxerunt illi servisse Neptunum : quemadmodum Laomedonti regi Phrygiæ. Vel propter Apollinem, quia servivit Admeto.

V. 185. *Sed qualis rediit.*] Interrogative pronunciandum.

V. 188. *Da spatium vitæ.*] Prolixum tempus vitæ.

V. 189. *Hoc recto vultu.*] Lætus, et tristis, vitam longam optas.

V. 194. *Quales umbriferos.*] Opacas silvas esse in Africa poëta dicit, in regione Tabracena, in quibus simiæ nascuntur.

V. 196. *Plur. sunt.*] Qui discerni possint inter se.

V. 198. *Una senum facies.*] Id est, dissimiles et multæ figuræ sunt juvenum, et est unicuique sua gratissima : quod quidam pulcher est, alter fortis, alter eloquens : senibus enim una esse videtur forma.

V. 199. *Madidique infantia nasi.*] Ita nam senibus humor de naso, ut infantibus pendet.

V. 200. *Frangendus misero g. p. i.*] Notandum masculino genere dixisse, ut hic gingiva : quia dentes ruerunt, gingiva panis frangendus est.

V. 202. *Fastidia Cosso.*] Heredipetæ.

V. 203. *Non eadem v.*] Nullus illi sapor est.

V. 204. *Nam coïtus j. l. o.*] Ut Virgilius :

Frigidus in Venerem senior.

V. 205. *Jacet exiguus cum ramice nervus.*] Penis, ut Virgilius:

Ut quondam stipulis magnus sine viribus ignis.

Ramicem dicit intestinum.

V. 206. *Et, quamvis tota palpetur nocte.*] Fricetur, præpudietur.

V. 208. *Suspecta libido est.*] Ut infames dicantur, qui sine ullo calore coïtum desiderant.

V. 216. *Quem dicat venisse puer.*] Quia per ætatem nec videt, et nisi puer admoneat, nihil sponte sentit.

V. 217. *Præterea minimus gelido.*] Ut Virgilius:

. . . . . gelidus tardante senecta.
Sanguis hebet.

V. 219. *Morborum omne genus.*] Id est, omne genus ægritudinis: ut Terentius, *Rogas? senectus ipsa morbus est.*

V. 221. *Quot Themison ægros.*] Archiater illius temporis, cui detrahit.

V. 222. *Quot Basilus.*] Advocatus illo tempore prævaricator.

Ibid. *Quot cir. Hirrus.*] Tutor.

V. 223. *Quot longa viros absorb.*] Hanc ostendit ore fuisse impuram.

V. 224. *Quot discipulos inclinet Hamillus.*] Magister, infantum corruptor.

V. 226. *Quo tondente gravis.*] Licinius, ex tonsore senator factus.

V. 227. *Ille humero.*] Redit ad senes.

V. 229. *Digitis alienis.*] Chiragra debilis, qui ab alio cibatur.

V. 230. *Diducere rictum.*] Os applicare, ut pulli hirundinis, quæ pleno ore volat, dum incibat filios suos.

V. 233. *Major dementia.*] Ad postremum quod desides (13) efficiuntur.

V. 238. *Ad Phialen.*] Impuram hanc fuisse demonstrat poëta, interea et artificem ad inquietandum senis inguinem.

V. 239. *Quod steterat.*] Ex eo quàm diu prostiterit.

V. 240. *Ut vigeant sensus.*] Pone ut non sit demens, qui diu vixerit, tamen omnes effert ipse filios suos.

V. 242. *Plenæque sororibus urnæ.*] Vasa in quibus mortuorum ossa componebantur, postquam corpus arsisset,

V. 246. *Rex Pylius.*] Nestorem dicit, qui dicitur tertiam usque ætatem vixisse, id est, CCC annos, ut dicit Homerus.

V. 250. *Quique novum toties.*] Qui multos autumnos vidit.

V. 253. *Antilochi barbam.*] Filium suum ploravit Antilochum, quem Memnon auxilium patri ferentem occidit in Troja.

V. 257. *Atque alius.*] Laërtes, propter Ulyxem naufragum.

V. 259. *Assaraci magnis s.*] Id est, felix etiam fuisset Priamus, si ante incendium Trojæ fuisset mortuus, cujus funus omnes filii sui deduxissent.

V. 260. *Portante.*] Quæ solent a filiis in funere patris fieri.

V. 264. *Audaces Paris.*] Bene audaces, quia Helenam alienam uxorem ablaturæ erant.

V. 265. *Omnia vidit eversa.*] Ut Virgilius :

Urbis * nti captæ casum, collapsaque vidit, etc.

Ergo hoc illi prolixa vita præstitit.

V. 268. *Et ruit ante aram.*] Ut Virgilius :

Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.

V. 270. *Ab ingrato j. f. a.*] Contemptus ab aratro senex, qui non potest laborare, id est, arare.

V. 271. *Sed torva canino.*] Hecubam dicit, quæ excæcato Polymestore, cùm saxis impelleretur a populo Thracum, versa in canem fertur. An quia Græcis convitia congerebat, canem nominaverunt?

V. 273. *Et regem transeo Ponti.*] Mithridates cùm per quadraginta annos adversus Romanos dimicasset, cùm Pharnacem filium suum apud (14) cæteros ejus fratres voluisset occidere, ab omni relictus exercitu est : et exhausto veneno periit. Accepto frequenter antidoto, ut perire non posset. Postea vero Pharnaçes successit ejus imperio.

V. 274. *Et Crœsum.*] Cùm interrogatus fuisset Solon a Crœso, si aliquem vidisset tam gloriose regnantem, ille dixit, debere vitæ ultimæ eventum exspectari : quem cùm Cyrus captum victor vivum jussisset in rogo poni, clamare cœpit, Solonem non sibi esse mentitum : atque ita a Cyro est liberatus, timente ne aliquid sibi faceret in extremo vitæ spatio perdurante.

V. 276. *Exilium et carcer Mint.*] Cùm Sylla (15) cum Jugurtha

in Africa pugnaret, Marius supra ipsum ambiit, et missus est: illo remoto, vicit. Post hæc, cùm denuo ad Mithridatem Sylla mitteretur, et profectus esset in Campania, iterum cœpit ambire supra eum, et inde discordia inter eos nata est. Verum cùm Sylla reverteretur, ob hanc causam, Marius fugit, et latuit in Galliis * in Minturnarum paludibus. Qui cùm fuisset ibidem agnitus, in carcerem missus est: et cùm carnifex ad occidendum eum missus esset, visa circa eum tanta majestate, vel quid futurus esset, relicto gladio pavens fugit, ac retulit cognita his a quibus missus fuerat: illi eum dimitti jusserunt. Qui cùm fuisset dimissus, in Africam abiit, id est, Carthaginem: ibidem solutis ergastulis Romam venit, et omnes Syllanos occidit, et receptus a Cinna tunc consule tenuit Urbem. Postea consul VII fuit. Sylla * posito in bello, qui ante adventum Syllæ fato suo mortuus est.

V. 283. *Provida Pompeio.*] Nam dicitur Pompeius mox quàm suscepit bellum civile contra Cæsarem, in Capua vehementer ægrotasse: et quia non potuit febre emori, servatus est, ut a Cæsare occideretur.

V. 287. *Lentulus.*] Qui proditor fuit. Et Cethegus conjuratus Catilinæ, laqueo, quasi conjurati, non gladio perierunt.

V. 290. *Cùm Veneris fanum videt.*] Id est, cùm ad templum Veneris vadit.

V. 291. *Usque ad delicias v.*] Id est, usque ad hoc delicias hominum veniunt, ut pulchritudinem optent filiis suis.

V. 292. *Pulchra gaudet L. D.*] A majore, ad minus.

V. 293. *Sed v. o. f. Lucretia.*] Lucretia uxor Tarquinii Collatini, quam Tarquinius amorem ejus non sustinens, invitam dicitur corrupisse: propter quod illa mortem sibi adscivisse dicitur.

V. 294. *Cuperet Rutilæ Virginia gibbum.*] Virginiam Appius decemvir adamatam clienti, quem ob hoc subornaverat, in servitutem addixerat. Propter quod eam pater Virginius interemit; decemviris imperium abrogatum. Appius in carcerem necatus est.

V. 301. *Sanguine fervente*] Cito erubescentem.

V. 304. *Non licet esse viros.*] Ut omnia interim ad custo-

diendam fiant, inter viros permanere formosus non potest.

V. 312. *Et pœnas m. q. m. irati debent.*] Id est, tyrannus nullum ephœbum in arce sua tentum in adulterio fœdum castravit, nisi formosum.

313. *Nec e. f. astro Martis.*] Qui cum Venere deprehensus est in adulterio.

V. 317. *Et mugilis intrat.*] Piscis grandis capitis, postremis exilis, qui in pedicem mœchorum deprehensorum solebat immitti.

V. 318. *Sed tuus Endymion.*] Pulcher tuus Endymion, pastor, quem Luna adamavit.

V. 319. *Servilia.*] Nomen cujusdam mulieris turpissimæ.

V. 320 *Exuet omnem corporis ornat.*] Pro libidine usque et sua ornamenta, inquit, donat mulier, ut tantum ad libidinem suam possit inducere filium tuum.

V. 322. *Sive est hæc Oppia.*] Quælibet nobilis matrona nihil aliud propter libidinem spectat.

V. 324. *Sed casto.*] Quasi objectio. Quid enim, si castus fuerit, pulchritudo nocet?

V. 326. *Nempe hæc.*] Phædra Minois filia, uxor Thesei, noverca Hippolyti.

V. 327. *Nec Sthen.*] Prœti uxor, quæ amavit Bellerophontem.

V. 329. *Cùm stim. o. p. a.*] Dum læsa, aut contempta erubescit: dum læsus amor irascitur, ut Virgilius:

> . . . . duri magno sed amore dolores
> Polluto, notumque furens quid femina possit.

V. 330. *Cui nubere Cæs. uxor.*] Uxor Claudii Messalina, quæ Gaio Silio palam nupsit, inducto etiam Claudio, ut tabulas dotales obsignaret: quod quasi de industria simularetur, ad avertendum periculum quod immineret ipsi; per quem, dum portenta ostenderentur, Hostilium transeuntem per forum rapuit Claudius, et necavit.

V. 333. *Messalinæ oculis.*] Vidente ipso, id est, ante oculos amatus crucifigitur.

V. 334. *Flameolo.*] Quo nova nupta operitur.

Ibid. *Genialis.*] Lectus ubi concumbunt.

V. 335. *Centena dabuntur.*] Dos scilicet, secundum morem.

V. 336. *Auspex.*] Auspices ut solebant nuptiis interesse.

V. 337. *Et paucis commissa.*] Clanculo celebrari.

V. 338. *Non nisi l. vult nub.*] Adultera.

V. 342. *Interea tu obsequere.*] Interea, dum ad illum pervenit crimen admissum, tu illi vel tibi fac satis : nam sive indulseris, sive negaveris, tantumdem erit.

V. 346. *Nil ergo optabunt h.*] Objectio cum interrogatione.

V. 347. *Permittes.*] Pones in voluntate Deorum.

V. 350. *Carior est illis ho. q. sibi.*] Ipsi non petita bona præstabunt. Plus enim nos ipsis cariores sumus quàm nobis.

V. 351. *Cæca magn. cup.*] Cæco, sive vano desiderio.

V. 353. *Notum, qui pueri.*] Sciunt futura.

V. 354. *Voveasque sacellis.*] Votum facias in templis.

V. 355. *Tomacula porci.*] Pinguia quædam viscera.

V. 357. *Mortis terrore c.*] Qui mortem contemnat.

V. 359. *Naturæ, qui ferre queat.*] Quidquid imperat natura.

V. 361. *Herculis ærumnas.*] Id est, laborum gloriam ferat, et præferat labores deliciis.

V. 362. *Et pluma Sardan.*] Sardanapalus rex Assyriorum luxuriosus : de quo Tullius, in tertio lib. de Republica, sic ait : *Sardanapalus ille vitiis multo quàm nomine ipso deformior.*

V. 365. *Null. n. h. si sit pr.*] Ne quid Deos qui sapiat, timebit.

Ibid. *Nos te, nos facimus F. Deam.*] Dum petimus, aut speramus aliquid.

IN SATIRAM UNDECIMAM.

DE COMPARATIONE VICTUS.

Ad Persicum scribit in eos, qui ultra vires familiaris rei pretiosas epulas comparant ad exstruenda convivia.

V. 1. *Atticus.*] Poëta nomina duo posuit, cùm de generalitate loquatur. Per Atticum vero, divitem vult intelligi quemlibet : per Rutilium autem, pauperem : quem dementem ideo dixit, quia in divitibus, quæ humanitas dicitur, hæc in paupertate dementia habetur.

V. 3. *Omnis convictus, thermæ.*] Deest, loquuntur omnes.

V. 7. *Sed nec prohibente trib.*] Qui custodes erant libertatis.

V. 8. *Et regia verba.*] Superba et delicata : id est, se auctoraturus, aut hæc scripturus, quæ juris et consuetudinis erant ab iisdem scribi, qui accepto pretio se in ludo distrahebant.

V. 9. *Multos porro vides.*] Eos vult intelligi qui ex pecunia sibi credita luxuriantur.

Ibid. *Quos sæpe elusus.*] Id est, frequenter delusi ex pollicitatione redhibitionis, ibi eos exspectant, ubi res aptæ luxuriæ distrahuntur.

V. 11. *Et quibus in solo.*] Qui tantum propter gulam volunt vivere.

V. 14. *Interea gustus.*] Hos gustus, masculinum.

V. 15. *Nunquam animo pretiis o.*] Intentiose emunt, quæ carius distrahuntur. Hæc enim eos plus delectant.

V. 17. *Perituram arcessere summam.*] Non dubitant mutuo accipere, quæ perdant magis, quàm erogent.

V. 18. *Lancibus oppositis.*] Id est, argentum vendet, aut matris suæ imaginem, si in auro picta est, aut in argento.

V. 19. *Condire gulosum fictile.*] Hypallage : nam gulosum pro eo quòd gulosis paratur. Fictile autem, patinam accipiens ut cacabum, gulosis cibis compositum.

V. 20. *Sic veniunt ad miscellanea ludi.*] Id est, cùm non habeant unde manducent, distrahunt se ad ludum : genus miserabile ferculi. Miscellanea, cibus gladiatorum, id est, ultima cœna. Ideo miscellanea, quia omnia quæ apponuntur eis miscent, et sic manducant.

V. 22. *Laudabile nomen.*] Bonum nomen, vel famam accipit.

V. 24. *Qui scit quanto.*] Id est, pauper, qui novit quantùm distat a divite, et tamen non se agnoscit, et quasi dives luxuriatur.

Ibid. *Atlas.*] Metaphora a montibus.

V. 26. *Quantum ferrata d.*] Id est, a majore patrimonio paupertas, aut mediocris res familiaris.

V. 27. ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ(-ΝΝ)]. Socratis philosophi dictum : id est, agnosce te, qui sis, et secundum possibilitatem tuam age.

V. 31. *In qua se transducebat.*] Idoneum existimabat, transferebat.

V. 34. *An Curtius, an Matho buccæ.*] Jactanticuli, qui tantum buccas inflant, et nihil dicunt.

V. 35. *Noscenda est mensura sui.*] Id est, consideranda in omnibus rebus est mensura uniuscujusque rei : etsi ad hanc sufficit, sic eam debes adsumere.

V. 36. *Etiam cùm piscis emetur.*] Etiam in rebus levissimis.

V. 37. *Ne mullum.*] Pretiosum piscem non debes emere, cùm sis pauper.

V. 40. *Ac rebus mersis.*] Id est, patrimonio.

V. 44. *Non præmaturi.*] Id est, non magis metuenda mors in juventa luxuriantibus, quàm senectus.

V. 46. *Hi plerumque gradus.*] Frequenter his rebus ad summam egestatem pervenitur : et cùm mutuo acceptam ac reditoribus pecuniam devoraverint, in exilium sponte eunt, id est, ad Baias, ubi major est luxuria, ubi et reliquam, si est, pecuniam devorent : tunc nam, cùm non superest aliquid, ne sit facultas repetundi pecuniam suam, exilium sibi indicunt : annum abesse patriæ suæ. Vertere solum est exilium pati.

V. 48. *Pallet fenoris auctor.*] Creditor consumpta pecunia.

V. 50. *Cedere namque foro.*] Id est, tantum illis est deserere patriam suam, vel forum, quantum est a Subura frequentissima regione, ad Diocletianas migrare, ubi solitudo est.

V. 52. *Illa mœstitia est.*] Hoc tantum dolent.

V. 56. *Experiere hodie.*] Intelligis, inquit, Persice, utrum præceptis meis vita conveniat, sed nedum ego patrimonium (2) laudo : ideo siliquas posuit luxuriæ rictu.

V. 59. *Coram aliis.*] Id est, ante alios : ut frugi videaris, pultes aut legumina jubes parentur tibi, in aurem autem puero alias dicis tibi parari. Siliquas, id est, parcitatem. Nam proprie siliqua est qua legumina continentur.

V. 60. *Nam cùm sis conviva.*] Qui te mihi convivam futurum promisisti. Nunc poëta vult hoc intelligi, cùm, inquit, sis vir magnus, excipieris tamen a me hospitio paupere, ut scilicet Hercules ab Evandro, aut Aeneas : *Hæc*, inquit, *limina victor Alcides.*

V. 63. *Alter aquis.*] Aeneas, qui in Numicium fontem lapsus, creditur consecratus : ideo, ait aquis : flammis vero, Hercules : qui in Oeta monte se incendit, non tolerans ardorem vestis, quam in sanguine Nessi Centauri tinctam, uxor sua causa pellicis Dejaneira vestiendam porrexit.

V. 66. *Inscius herbæ.*] Lactans, qui adhuc herbam non contigit : ut Virgilius :

Una die siccant ovis ubera. . . . .

V. 68. *Et montani asparagi.*] Quia sunt et in hortis.

V. 70. *Tortoque calentia fœno ova.*] Recentia ova, cum ipsis gallinis.

V. 72. *Quales fuerant in vitibus uvæ.*] Uvæ, quas suspensas servavimus.

V. 74. *Aemula Picenis.*] Tanquam Picena.

V. 75. *Siccatum frig.*] Hyeme : nam sicca poma non incitant morbum, humore nocivo consumpto, sive digesto succo male.

V. 77. *Hæc olim nostri.*] Veteres licet adhuc parce biberent, tamen jam egrediebantur antiquam parcimoniam.

V. 78. *Curius.*] De hoc Cicero in Catone majore : Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cùm obtulissent, repudiati sunt. Non aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare.

V. 82. *Sicci terga suis.*] In crate pendens laridum.

V. 85. *Accedente nova.*] Id est, recenti, ut : *duo lacte novo.*

V. 87. *Castrorum imperiis.*] Dux, magister exercitûs.

V. 88. *Solito maturius.*] Citius solito ante horam nonam.

V. 89. *Erectum domito.*] Sola dignitate clari : nam nec superbi, nec divites : et domito, id est, fosso et subacto monte.

V. 91. *Et Fabricios.*] Fabricium Censorem dicit, cui in censura Maximi nomen obvenit, qui luxuriam reipublicæ damnans, a collega Publio Decio postulavit, ut, aut ipse quemadmodum ei videretur, mores hominum emendaret, priorum censorum negligentia perditos, aut pateretur se revocare pristinum civitatis statum : quorum si neutrum faceret, minitatus abdicaturum se eum magistratu. Decius ergo exterritus, permisit ut quemadmodum vellet, rempublicam administraret, se consentiente.

V. 93. *Nemo inter curas, et seria.*] Inter necessaria.

V. 94. *Qualis in Oceani fluctu testudo.*] Ut lectum testudineum haberet. Lectos nam antiqui testudine Oceani ornabant.

V. 95. *Ac Nobile fulcrum.*] Nobilius dixit, quàm lectum.

V. 96. *Sed nudo latere.*] Non ornata sponda.

V. 98. *Ruris alumni.*] Rustici infantes.

V. 99. *Tales ergo cibi.*] Talia convivia eorum, quales et res familiares.

V. 100. *Et Graias m. n. artes.*] Signa, sive alias ornaturas.

V. 102. *Magnorum artif.*] Magno artificio confecta pocula.

V. 103. *Ut phaleris g. eques.*] Id est, ut de poculis fractis phaleras, et alia ornamenta militaria fabricaret.

V. 104. *Feræ mansuescere jussæ.*] A Diis, ut pueros nutriret Remum et Romulum.

V. 106. *Clypeo venientis.*] Martis ad Iliam venientis, ut concumberet.

V. 107. *Pendentis.*] De ære.

V. 108. *Farrata catino.*] Cibus ex farre, qui cibus (3) primus antiquorum fuit.

V. 110. *Omnia tunc quibus.*] Hoc est, omnia tunc præstantiora erant, et tanti pretii, quibus si avarus sis, invidere possis.

V. 111. *Et vox nocte fere media.*] Conturbantibus Gallis Senonibus, repente vox monentis audita est, hostem caverent. Itaque hostibus pulsis, restituta Urbe, templum constitutum est, et consecratum Deæ Monetæ. Dicit nam Jovem, adventum prænuntiasse Gallorum: unde Virgilius:

> Armorum sonitus toto Germania cœlo
> Audiit.

V. 114. *Officium vatis.*] Officium sacerdotis, et haruspicis Dii fecerunt*, sacerdotum more fugientibus. Ipsorum enim fuerat imminentia Romanis pericula nuntiare.

V. 116. *Et nullo violatus Juppiter auro.*] Id est, cùm necdum auro textus esset, sed fictilis tota Jovis compago, magna pro nobis cura vigilabat.

V. 117. *Nostraque ex arbore mensas.*] Ut mensæ fierent nucinæ.

V. 123. *Grande ebur.*] Eburnea mensa, et ebore facta.

Ibid. *Pardus hiatu.*] Pardus, qui sustineat orbem.

V. 124. *Porta Syenes.*] Civitas Aegypti.

V. 125. *Et Mauri celeres.*] Nam et apud Mauritaniam interiorem dicuntur nasci elephanti: unde et Hannibal habuit. Præterea, hoc nam addunt, quòd, cùm senserit se grandes habere dentes, in terram eos figit, et inde abducto capite eos amittit.

V. 126. *Nabatæo bellua saltu.*] Locus in India, ubi nascuntur elephanti.

V. 127. *Hinc surgit orexis.*] Libido vescendi: hinc delectat cibum capere, si mensa est eburnea.

V. 128. *Nam p. a. illis.*] Mensis scilicet. Ut est, inquit, nobis vilis annulus ferreus, ita illis mensis pes argenteus, nisi fuerint elephanti dente compositæ.

V. 130. *Qui me sibi comparat.*] Id est, qui me ex comparatione contemnat, non eum invito.

V. 135. *Rancidula.*] Quia ossea sunt manubria.

V. 136. *Cui credere debeat.*] Cui quasi magistro subjaceant omnia.

V. 137. *Pergula.*] Coquina, qua boletaria ponuntur.

V. 138. *Et Pygargus.*] Pygargus fera est specie cervi, quæ retriores partes albas habet: ideo et pygargus dictus est, quia Græce nates πυγὴ dicuntur. Pygargus, avis genus, clagalopes appellatur.

V. 139. *Et Scythicæ volucres.*] Fasianus, ἀπὸ τῆς φάσιδος tur*, et alvum Argo navis.

Ibid. *Et phœnicopterus ingens.*] Genus avis, quæ habet pinnas colore Phœnicio: in aqua semper est, abundans in Africa. Hujus rostrum tam prolixum est et curvum, ut, nisi merso capite, aqua in os ipsius non possit intrare.

V. 140. *Et Gætulus oryx.*] Oryx animal minus quàm bubalus, quem Mauri uncem vocant: cujus pellis ad cituras (4) proficit, scuta Maurorum minora.

V. 141. *Ulmea cæna.*] Quia lanionum codices maxime ex ulmis sunt omnes.

V. 142. *Nec frustum.*] Hoc est, quod vult dicere, infertor noster furtum facere ignorat, neque aut capreæ carnis parti-

culam, aut alicujus avis subtrahens : nec aliud novit rapere nisi ofellam, quod didicit.

V. 145. *Paucis assibus.*] vile emptos.

V. 146. *Incultus p. ut. a.*] Bene poëta ostendit vestitum puerum, non tamen ornatum.

V. 147. *Non a m. petitus.*] Quales vendunt care manciparii.

V. 148. *Pence Latine.*] Non Græce, quia nescit.

V. 149. *Idem habitus cunctis.*] Id est, pueris similes vestes.

Ibid. *Tonsi rectique.*] Non comati.

V. 150. *Pexi.*] Deducti pectine capilli.

V. 151. *Pastoris duri.*] Duobus his generibus poëta convivium deformat, quod rusticos dicit ministrare pueros.

V. 152. *Suspirat.*] Quia diu abest a parentibus, tristis est.

V. 153. *Desiderat hædos.*] Ut pastoris filius.

V. 154. *Ingenui vultûs.*] Modesti, bene nati.

V. 155. *Quos ardens purpura vestit.*] Qui prætextati sunt. Ardens purpura, pro fulgens : ut Virgilius :

. . . . Tyrioque ardebat murice læna.

V. 156. *Nec pupillares.*] Id est, quales habent hi qui patres non habent, scilicet tumentes in licentia pueritiæ, sed castus est.

V. 158. *Inguina gutto.*] Majorem penem.

V. 159. *Hic tibi vina.*] Talis puer tibi erit pincerna.

V. 160. *A quibus ipse venit.*] De eadem villa vinum, unde et minister est.

V. 162. *Fors. ut Gaditana.*] Id est, speras forsitan, quòd incipiant saltare delicatæ ac pulchræ puellæ Syriæ : quoniam de Syris et Afris, Gadis condita est. Nunc, inquit, exspectas apud me pantomimas aut lyristrias de Gadibus, quòd lasciviant. Martialis :

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes.
Lascivos docili tremore lumbos.

V. 163. *Incipiant prurire choro.*] Quæ suo motu faciunt barbatos pati pruriginem.

V. 167. *Magis ille extenditur.*] Ad Venerem illis saltantibus.

V. 168. *Urina movetur.*] Irritata scilicet clunibus saltantium puellarum.

V. 170. *Testarum crepitus.*] Testis nam antea percutiebant saltantibus pantomimis; quidam* huc non erat ut mesocori percuterent manibus.

V. 172. *Vocibus obscœnis.*] Divites cantilenis turpibus, ac tam obscœnis, ut illis meretrices abstineant.

V. 173. *Qui Lacedæmonium pytismate lub. orb.*] Qui exspuit supra marmor Lacedæmonium, quo stratum est pavimentum, ut lene sit, ut saltantibus puellis nihil impediat.

V. 174. *Namque ibi fortunæ veniam damus.*] Divitum, quasi liceat illis peccare.

V. 175. *Hæc eadem illi.*] Id est, si alea luserit pauper, aut adulterium commiserit, damnandus est: si dives horum aliquid fecerit, jocosus appellatur.

V. 180. *Qua voce.*] Bona, an mala.

V. 184. *Nec, prima si luce egressa.*] Mire nec ipsi rei pepercit poëta. Ne uxor tibi bilem contrahat, si tarde regreditur, quæ a prima luce processerat, et ita regressa, ut se prodat signis quibusdam concubuisse cum mœcho: solent enim aures et vultus sub ora eis rubere.

V. 186. *Humida suspectis r. m. r.*] Terentius, postquam lucificatus est virginem, vestem scidit: vexata igitur a mœcho, qui cum ea concubuit.

V. 191. *Interea Megalesiacæ.*] Hoc ideo, quia Megalesia Circenses ante solem prope edebantur.

V. 192. *Idæum solemne.*] De Ida matre Deûm.

V. 193. *Præda caballorum.*] Pompa. Quoniam Circensibus illis, quos prætores edunt, unus est missus, qui ordinarius (5) dicitur: ideo præda caballorum, quia hordeum pro illo die aurigæ tollunt equorum, aut ideo præda dixit, quoniam multi equi frangebantur (6) iisdem Circensibus.

V. 196. *Eventum viridis q. c. panni.*] Id est, Prasini: ex clamore magno, colligo victoriam.

V. 197. *Nam, si deficeret.*] Id est, si vinceretur Prasinus: aut si hoc spectaculum deficeret, ut non essent Circenses, sic tristem urbem videres, ut si esset bello victa.

V. 198. *Velati Cannarum in pulvere.*] Locus in Apulia, ubi Romani ab Annibale sunt victi.

V. 198. *Victis Consulibus.*] Varronem Terentium dicit, et Paulum, quorum Paulus semet occidit, Varro autem fugit: cui triumphus decretus est, quia non penitus desperavit.

Ibid. *Spectent juvenes.*] Juvenibus spectacula concede, qui propter certamina, sponsiones ponunt, et delectat eos juxta puellas spectare. Quia antiquitus solebant mulieres cum viris, omnibus interesse spectaculis indifferenter.

V. 204. *Jam nunc in balnea.*] Bene hisdem poëta verbis verecundiam expressit.

V. 205. *Solida hora s.*] Una integra hora usque ad sextam.

V. 206. *Quia sunt talis quoque tædia vitæ.*] Ut sæpius idem facias. Quidquid fit rariter, magis delectat.

IN SATIRAM DUODECIMAM.

DE REDITU CATULLI.

V. 3. *Reginæ ducimus agnam.*] Junoni, alii Fortunæ: et ducimus, ad sacrificium, ducendam ad aram.

V. 4. *Pugnanti Gorgone Maura.*] Minervæ similis agna: et Maura, quoniam in Mauritania juxta Atlantem a Perseo est occisa Gorgon Medusa.

V. 5. *Petulans quatit hostia funem.*] Id est, juvencus, qui funem quo ligatus est, rumpit.

V. 6. *Frontemque coruscat.*] Movet sicut telum quod coruscat.

V. 8. *Quem jam pudet ubera matris.*] Lac sugere.

V. 9. *Qui vexat.*] Ferus, indomitus, maturus ad sacrificium: ut Virgilius:

> . . . . . atque irasci in cornua discit
> Arboris innixus trunco.

V. 10. *Similisque affectibus esset.*] Voto, voluntati æquales.

V. 11. *Pinguior Hispulla.*] Matrona pinguis fuit.

V. 12. *Nec finitima n. i. herba.*] Non in his partibus, sed de peregrinis.

V. 13. *Ostendens Clitumni pas. s.*] Fluvius qui Trevis, civitatem Flaminiæ, interfluit.

V. 14. *Et a grandi c. f. ministro.*] Sacerdote, aut, qui sacrificia occidunt, ministris.

V. 16. *Nuper et.*] Catulli, qui prope naufragio perierat.

V. 17. *Fulminis ictus.*] Tempestates.

V. 19. *Subitusque antennas i. ignis.*] Fulmen impulit antennas cum velis.

V. 23. *Si quando poëtica surgit.*] Id est, tales tempestates contingunt navigantibus, quales fingere solent poëtæ, magnæ.

V. 25. *Cætera sortis ejusdem.*] Id est, naufragii.

V. 27. *Et quam votiva.*] Quam naufragio liberati ponunt. Antiquitus enim solebant, qui naufragio liberati essent, pro voto pingere tabellas, et in templo Isidis ponere.

V. 28. *Pictores quis n. ab Iside p.*] Quòd in templis figendas tabellas ponunt.

V. 31. *Alternum puppis.*] Latus dabat navis et arbore coacta.

V. 33. *Rectoris.*] Gubernatoris.

Ibid. *Decidere jactu.*] De periculo et de vita cœpit pacisci cum ventis, et jacturam mercium facere.

V. 34. *Imitatus castora.*] Castorem, bebrum dicit, qui cùm viderit se obsideri, et non posse evadere, testiculos suos morsu avulsos projicit. Intelligit enim ob hanc rem se capi: quia ad medicamina valde sunt necessarii.

V. 37. *Fundite quæ mea sunt.*] Projicite in mare res meas.

V. 42. *Et Bæticus adjuvat aër.*] Id est (1), spanas veticas.

V. 44. *Parthenio factas.*] Cælatoris nomen.

Ibid. *Urnæ cratera capacem.*] Grandem scilicet, qui urnam posset capere.

V. 45. *Et dig. s. Pholo, vel conjuge Fusci.*] Uno de Centauris: vel uxore Fusci, quæ ebriosa fuit.

V. 46. *Adde et bascaudas* (2).] Vasa ubi calices lavabantur et cacabus.

V. 47. *Pallidus emptor Olynthi.*] Philippus pater Alexandri magni, cui Olynthum Macedoniæ civitatem Lasthenes et Eutycrates prodiderunt: qui cùm a Philippo proditores se nuncupari sæpe audissent, vitam laqueo finierunt.

V. 51. *Sed vitio cæci.*] Id est, multi sunt, qui ob hanc causam

colligunt patrimonia, tantum ut habeant, non ut tamen utantur, sed avaritiæ satisfaciant.

V. 53. *Tunc adversis.*] Absolute, quòd adversa sint naufragantium fata.

V. 54. *Recidit, ut m. f.*] Res pervenit ad hoc, ut arborem succideret, et per hoc breviorem faceret.

V. 55. *Ac se explicat.*] Sensus hic est : ultima præsidia angustum discrimen habent, post ejectionem rerum omnium, ut facias navem minorem. Fit autem minor navis, sublata arbore, id est, levis.

V. 57. *I, nunc.*] Castigatio ab exemplorum eventu.

V. 58. *Digitis a morte.*] Cùm inter te et mortem quatuor sit digitorum distantia.

V. 59. *Si sit latissima tæda.*] Id est, navis de pinu, pro qualibet posuit materia, ut, *Pinea silva mihi.*

V. 60. *Mox cum reticul. et pane.*] Quod nautæ sibi scilicet adsumptum viaticum ponunt.

V. 61. *Aspice sumendas.*] Inter sitarchiam (3), et securem necessariam putabo ad navem vehendam.

V. 62. *Sed postquam jacuit pl. mare.*] Tranquillum factum est, et fatum vectoris superavit ventum et mare.

V. 64. *Parcæ m. benigna.*] Fata mitiora.

V. 65. *Et staminis albi lanificæ.*] Non mortem minitantia.

V. 67. *Ventus adest.*] Ventus prosperus.

V. 68. *Vestibus extentis.*] Funibus : aut, vestibus, velis accipe, aut quod dicunt artemonem (4).

V. 69. *Velo prora suo.*] Id est, artemone solo velificaverunt.

V. 71. *Atque novercali sedes.* Albam longam significat, quam condidit Iulus Ascanius, concessa novercæ sui nominis civitate, id est, Lavinio.

V. 72. *Cui candida nomen Scrofa.*] Montes Albanenses.

V. 73. *Miserabile sumen.*] Aut, mirabile, quia triginta fetus habuit : aut, miserabile, quòd miseratum sit Phrygibus.

V. 74. *Et nunquam visis.*] Nunquam inventa cum triginta mamillis.

V. 75. *Inclusa per æquora moles.*] Portum Augusti dicit, sive Trajani.

V. 76. *Porrectaque brachia rursum.*] Quia Trajanus portum Augusti restauravit in melius, et interius tutiorem, sui nominis fecit.

V. 77. *Quæ pelago currunt.*] Intrant mare, et admittunt terram solidam.

V. 78. *Non sic igitur mirabere.*] Id est, non sunt ita mirandi portus naturales, quàm qui manu fiunt.

V. 79. *Trunca puppe magister.*] Truncata nave.

V. 82. *Garrula securi.*] Quia libenter frequentius narrant tempestatem perpessi, postquam devenerunt in portus securi.

V. 84. *Sertaque delubris.*] Coronas, immolatis hostiis.

V. 85. *Ac molles ornate focos.*] Molles focos(5) Deorum dicit, qui de ture facti sunt.

V. 86. *Et sacro q. r. rite peracto.*] Sacrificio completo.

V. 88. *Accipiunt fr. s. n. cera.*] Incerato signa Deorum.

V. 90. *Atque omnes violæ j. colores.*] Violæ nam multorum sunt colorum, purpureæ, albæ, aureæ.

V. 91. *Longos erexit janua ramos.*] Coronatæ januæ lauro.

V. 92. *Operantur f. l.*] Sacrificant; ut Virgilius:

. . . . . lætis operatus in herbis.

V. 94. *Tot pono altaria.*] Sacrificia: id est, ne me putes hac humanitate hereditatem appetere; tres habet filios.

V. 95. *Libet exspectare.*] Mirum est nam ut amico filios habenti, aliquis amicorum tam impensius obsequatur, cùm hæc pro hereditate captanda fieri soleant.

V. 97. *Coturnix nulla.*] Ironiam ad sterilitatem retulit: occiditur pro patre febricitante, non, ut dicam, pro amico paupere.

V. 98. *Sentire calorem.*] Aegrotare.

V. 100. *Legitime fixis.*] Id est, devotis precibus impletur.

V. 101. *Existunt, qui promittant hecatomben.*] Hecatomben promittunt, ut moriantur illi a quibus se heredes scribi possunt: alii vero comperto hoc, quòd pro ipsis vota faciunt, heredes eos scribunt.

V. 102. *Nec venales elephanti.*] Quos immolet.

V. 104. *Sed furva gente.*] Nigra, de India.

V. 105. *Arboribus Rut.*] Apud Lavinium, id est, in Hetruria.

V. 106. *Nulli servire p.*] Nisi regi.

V. 107. *Si quidem Tyrio.*] Et ipse dicit, cùm Gætula ducem portaret bellua luscum.

V. 108. *Regique Molosso.*] Pyrrho Epirotarum regi, qui pro Tarentinis adversum Romanos bis pugnavit, et victus bis exutus est castris: ex cujus nomine est Pyrrhica. Et ipse elephantis vectus est per triumphum.

V. 109. *Ac dorso ferre cohortes.*] Elephantis nam pugnabant.

V. 111. *Nulla igitur mora per Novium.*] Id est, nulla mora erit heredipetis, si etiam hoc genus emere liceat et immolare, quin et ipsud* faciant.

V. 113. *Et cadat ante Lares.*] Ante aras Deorum penatium.

V. 115. *Alter enim, si concedas.*] Id est, etiam aliquanti de his, si liceret, de servis sacrificium facerent.

V. 118. *Et, si qua est nubilis illi.*] Etiam filiam virginem devovet ad sacrificium, quamvis sciat non eam posse eripi a Diana, ut Ifigeniam.

V. 124. *Post meritum sane.*] Post Ifigeniam immolatam non verbo facit heredem, sed vero.

V. 126. *Victis rivalibus.*] Aemulis hereditatem captantibus.

V. 127. *Jugulata Mycenis.*] Filia Agamemnonis, veluti filia ptatoris (6). Ifigenia, ironia.

V. 128. *Vel Nestora totum.*] Tribus sæculis.

V. 129. *Quantum rapuit Nero.*] Proscribendo.

V. 130. *Montibus aurum exæquet.*] Id est, in patrimonio habendo.

IN SATIRAM DECIMAM TERTIAM.

DE DEPOSITO.

V. 1. *Exemplo.*] Ita male virtutem esse ait, ut displiceat crimen ipsi, qui male commisit.

V. 4. *Vicerit urna.*] Nihil prodest corrupisse judicem, vel supposuisse pro sorte.

V. 6. *Sed nec tam tenuis.*] Id est, æquo animo hoc ferre debes, quia nec tantum pauper es, ut te damni, quod contigit,

affligat pondus, nec tibi soli hoc contigit, sed jam apud homines vetus est hæc causa.

V. 11. *Ponamus nimios g.*] Pone quòd debeas tristari, sed ita ut oportet, secundum damnum.

V. 14. *Spumantibus ardens.*] Flagrantibus iratis.

V. 16. *Stupet hæc, qui jam.*] Interrogative ipse increpat: hæc seni nova videri non debent.

V. 18. *An nihil in mel.*] Tanti temporis usus non tibi proficit.

V. 21. *Hos quoque felices.*] Pro sapientes, posuit.

N. 22. *Nec jactare jugum.*] Translative: qui non reluctantur contra necessitatem.

V. 23. *Quæ tam festa dies.*] Quid tam sacrum celebratur, ut non quotidie delinquant inficiantes homines.

V. 25. *Gladio vel pyxide.*] Veneno, vel gladio.

V. 26. *Numerus vix est tot. quot Thebar. portæ.*] Septem portas habent Thebæ, et septem ostia Nilus, et septem sunt sapientes.

V. 30. *Et a nullo p. n. metallo.*] Quemadmodum priora tempora habuerunt nomina, id est, aurea, argentea, et cætera.

V. 31. *Nos hominum Divûmque fidem.*] Cùm scelerata * sæcula, nos hunc errorem patimur, ut hominum ac Deorum fidem imploremus.

V. 32. *Quanto Fæsidium.*] Ut ostendat Fæsidium conductos tunc habuisse, qui eum agentem causas magna voce laudarent.

V. 33. *Dic senior bulla dignissime.*] Irrisive, quasi iterum puer: hoc ex proverbio Græco, παῖδες δὶς γέροντες (1). Cæterum bullæ qui usus, aut a quo inventus fuerit, supra dictum est.

V. 34. *Nescis quem tua.*] Id est, ignoras quas voluptates populo præstas, cùm perfidiam minaris *.

V. 37. *Arœque rubenti.*] Sanguinolentæ, vel ex igni.

V. 38. *Priusquam sumeret agrestem.*] Id est, temporibus, quibus Saturnus regnum tenuit, fidem homines exhibebant.

V. 42. *Nulla super nubes.*] Irrisiones per immutationes formarum.

V. 43. *Nec puer Iliacus.*] Ganymedes.

Ibid. *Herculis uxor.*] Hebem dicit.

V. 44. *Et jam siccato nectare tergens.*] Ut bene placeat etiam exsiccato feculento, aut liquefacto.

V. 46. *Prandebat sibi quisque Deus.*] Non in convivio communi, sed privatim.

V. 48. *Miserum urgebant Atlanta.*] Quia dicunt eum cœlum sustinere; ut Virgilius:

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

V. 49. *Nondum sortitus t. p.*] Id est, cùm adhuc nec Jupiter regnum cœleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluton inferna cum Proserpina.

V. 51. *Nec rota.*] Rota, in qua Ixion dicitur volvi. Saxum, quod Sisyphus volvit: vultur, qui jecur Tityi comedit.

V. 52. *Hilares sine regibus umbræ.*] Nam non erat opus judicibus, dum scelera nulla procederent.

V. 53. *Improbitas illo.*] Mirabile fuit si quis, illo tempore, improbus inveniretur.

V. 57. *Plura domi fraga.*] Quamvis ditior esset. Virgilius:

. . . . et humi nascentia fraga.

Divitiæ autem in fragis et in glande taxabantur.

V. 58. *Tam venera. erat.*] Ita, inquit, videbatur venerabilis ætas, ut pueris majoribus * se annis quatuor deferri, ut esset prima lanugo, id est juvenes, deferens senibus, affectarent.

V. 61. *Cum tota ærugine follem.*] Aeris vitium ærugo dicitur; ferri rubigo.

V. 62. *Prodigiosa fides.*] Quasi monstro similis.

V. 63. *Quæque coronata.*] Quæ residem fœdes (2) sacrificiis lustrari debet.

V. 65. *Hoc monstrum puero.*] Id est, hoc tempore, vir bonus monstris conferendus est.

V. 66. *Et fœtæ comparo mulæ.*] Monstris (3). Prodigia quæ bellum civile Cæsaris et Pompeii præcesserunt.

V. 70. *Gurgitibus miris.*] Aut lacteis, aut sanguineis.

V. 71. *Intercepta decem.*] Apostropham facit ad illum, cujus ob reditum sacrificavit.

V. 73. *Hoc arcana modo.*] Perdidit commendatam.

V. 75. *Tam facile et pronum est.*] Id est, facilius contemnuntur Dii, si hominis testimonium intersit, qui in judicio dicat, vidi.

V. 77. *Quæ sit ficti. c. v.*] Pro, quanta sit, ut Terentius: *num ejus vultus pudoris signum usque indicat.* Vultus, negantis vultus.

V. 78. *Tarpeiaque fulmina.*] Capitolini Jovis.

V. 80. *Per cal. venatr.*] Κατὰ κοινοῦ: per omnes Deos jurat.

V. 83. *Armamentaria cœli.*] In quibus arma posita sunt.

V. 84. *Comedam, inquit, f. n.*] Id est, per filios suos jurat, sic non eos comedat.

V. 85. *Pharioque m. aceto.*] Aegyptio, forti.

V. 86. *Sunt in fort.*] Dicit, quam ob causam homines perjurent, cùm dicant quòd non Diis agimur, sed fortunæ casibus. Quid ergo Dii nocebunt læsi, si fortuna disponente, vita hominum regitur?

V. 88. *Natura volvente.*] Ut natura disposuit.

V. 89. *Atque ideo intrepidi.*] Sine ullo timore pejerant.

V. 90. *Est alius metuens.*] Qui credit delictum posse puniri voluntate Deorum, sed veniam sperat.

V. 93. *Feriat mea lumina.*] Id est, cæcum etiam faciat.

V. 94. *Dummodo, vel cæcus.*] Id est, si pro ingenti pretio fe-renda est cæcitas, dummodo magnum sit quod negetur.

V. 96. *Sunt tanti.*] Melius est ægrotare (4) cum divitiis, quàm esse sanum pauperem.

V. 97. *Nec dubitet Ladas.*] Ladas fuit inter nobilissimos cursores Olympico certamine, cui æmulus Talaris eamdem gloriæ palmam tulit, sed apud Elidem coronatus est. Sensus autem ex persona perjuri est, melius est cum uno pede currere, quàm pauperem vivere, et si hoc sis in cursu quod Ladas.

V. 98. *Quid enim vel. g. p.*] Quid præstat coronari in Elida, ubi athletæ habent Olympiacum certamen.

V. 100. *Ut sit magna tamen.*] Concedo, inquit, ut delictum puniant Dii; tarde tamen.

V. 103. *Fortasse experiar.*] Fortasse, inquit, placabile numen, quòd omnia diversa sunt facta: usque adeo, ut in eodem crimine deprehensi, alter crucem mereatur, alter imperium.

V. 105. *Hic diadema.*] Ut Romulus pro commisso scelere non dedit pœnas, sed imperium adeptus est.

V. 107. *Sacra ad delubra vocantem.*] Vocantem eum ad templum, ut juret.

V. 109. *Nam cùm magna malæ.*] Nam cùm, inquit, homines*, qui malam causam habent, id est, qui denegant alienum, visa fuerit improba contentio, audacia creditur innocens, ut mimum urbani scurræ agere ac irrisione audaciæ videatur. Talis est enim mimus, ubi servus fugitivus dominum suum trahit. Catullus, mimographus fuit.

V. 112. *Tu miser exclamas.*] Præcones Græcorum: quia antiqui tubas non habebant.

V. 113. *Quan. Gra. Hom.*] Mars, cùm plagatus est a Diomede.

V. 115. *Vel marmoreus, vel æneus.*] Cujus statua vel marmorea, vel ænea sit.

V. 117. *Albaq. porci omenta.*] Ut quid sacrificamus, si vocem non redditis?

V. 119. *Statuamque Vagelli*] Ut video, inquit, inter vos et Vagellium, qui ut vos stultissimus accepit statuam.

V. 120. *Accipe quæ contra.*] Quæ valeat afferre solatia Juvenalis tibi.

V. 121. *Et qui nec Cynicos.*] Dicit Cynicorum et Stoicorum dogma convenire, tantum veste distare. Nam cynica mater heresis stoicæ. Cynici absque pallio exerto brachio.

V. 123. *Exigui lætum plantarib. horti.*] Qui in hortis de otio et voluptate disputat.

V. 124. *Curentur dubii.*] Per allegoriam sufficere se dicit in solatium amico damnum merenti.

V. 129. *Claudenda est janua.*] Quasi lugentes januas claudunt, cùm damnum pertulerunt.

V. 131. *Nemo dolorem fingit.*] Sed vere plangunt damna.

V. 133. *Humore coacto.*] Lacrymis extortis. Terentius, *una hercle falsa lacrymula.* Virgilius:

Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.

V. 136. *Si decies lectis.*] Si sæpius lectis cautionibus, negant suas esse manus.

V. 138. *Gemmaque princeps.*] Pretiosa, signum suum.

V. 139. *Loc. quæ cust. eburnis.*] Quia in locellis eburneis gemmas solent reponere.

V. 141. *Gallinæ fil. albæ.*] Proverbium vulgare, id est, nobilis.

V. 142. *Nos viles pulli.*] Virgilius : *Nos animæ viles.*

V. 143. *Et med. bile fer.*] Damnum, quod debeas contemnere.

V. 144. *Majora ad crimina confer.*] Hunc qui depositum tibi negavit, compara.

V. 146. *Primos c. janua.*] Sulphuratas esse januas ab incendio.

V. 147. *Qui tollunt grandia templi.*] Qui templum spoliant.

V. 148. *Pocula ador. rob.*] Antiquitatis merito adorandæ.

V. 151. *Radat inaurati femur.*] Dropacistas dicit, qui cera de inauratis statuis aurum tollunt.

V. 153. *An dubitet solitus.*] Id est, qui non dubitet etiam ipsius Jovis statuam conflare.

V. 154. *Merca. ven.*] Dubium, venditorem an emptorem dicit.

V. 155. *Et deducendum corio bovis in mare.*] Culeo nam insui consueverant, qui hæc scelera tentarent, id est, parricidæ cum simia et serpente, et in mare mitti. Innoxia, pro, innocens.

V. 157. *Quæ custos Gallicus.*] Nomen præfecti vigilûm, qui institutus est, postquam Galli Capitolium ceperunt.

V. 160. *Sufficit una domus.*] Gallici scilicet domus, ubi hæc omnia audiuntur quotidie.

V. 162. *Quis tumidum guttur.*] Quis potest, inquit, facta scelera suis in locis, ubi omnes tales sunt, mirari : tanquam si in Alpibus gutturosos homines admireris, ubi tales sunt plurimi scilicet : nam lata et inflata colla habent.

V. 164. *Cærula quis stupuit G. l. fl. cæs.*] Glaucos oculos, et capillos rubeos.

V. 166. *Nempe quòd.*] Ideo non est mirum.

V. 167. *Ad subitas Thracum volucres.*] Ad fluvium Strymonem.

V. 168. *Pygmæus parvis.*] Aut quis debet mirari pygmæos cum gruibus pugnantes, quorum hoc est studium semper ?

V. 169. *Mox impar hosti.*] Quia parvi sunt corpore.

V. 171. *Risu q.*] Id est, rideres, si hoc apud nos possis videre. At quia omnes tales sunt, nemo ibi de alio ridere potest.

V. 174. *Nullane perjuri capitis.*] Anthypophora, quasi objectio. Ergo nulla pœna manet eos, qui pejerant?

V. 175. *Abreptum crede hunc gr. c.*] Id est, puta quàm majoribus pœnis afficitur *, quanquam animus tuus exposcit. Quid tibi prodest? nec damnum ex hac re resarciri potest: puta igitur hunc continuo vinclis ligari.

V. 178. *Sed corpore trunco.*] Id est, etiam si decolletur, nihil inde lucri habebis, nisi invidiosam defensionem. Sed dicis, bona res est vindicari.

V. 181. *Nempe hoc indocti.*] Imperiti, qui nullis causis pœnas exposcunt. Sapientis est damnum qualecumque usque ad iracundiam ut procedat, non etiam ad vindictam debere reddi pœnam.

V. 184. *Chrysippus non dicet idem.*] Non hoc præcipit philosophia, ut rependantur malis vices.

V. 186. *Qui p. ac.*] Socrates philosophus Atheniensis, cùm argueretur proditionis, receptus est in carcere cum accusatore, qui cùm sibi daret venenum, accusatori petenti noluit dare.

V. 187. *Plurima felix.*] Generaliter: quicumque felix, id est, doctus et sapiens. Potior ergo est sapientia, quàm felicitas. Siquidem illa paulatim amittit, hæc statim purgat.

V. 188. *Atque e. exuit omnes.*] Sapientia.

V. 189. *Quippe minuti.*] Feminei dicit.

V. 192. *Nemo magis g.*] Quia vincitur animus sexûs iracundia.

V. 194. *Mens habet attonitos et.*] Id est, conscientia sua pœnis et verberibus afficit.

V. 197. *Quas et Cæditius.*] Cæditium aulicum Neronis crudelissimum fuisse vult intelligi satellitem.

V. 199. *Spartano.*] Glaucum dicit genere Spartanum, qui creditum fidei suæ thesaurum a Milesio quodam, et repetentibus hanc pecuniam heredibus filiis ejusdem Milesii, reddere dubitavit: cùm Apollinem consuluisset, quid sibi suaderet, fraudaretne perjurio quod ad sacramentum vocaretur, an sine sacramento fideicommissum redderet: cui Deus respondit, pœnas soluturum hoc ipso, quòd dubitavit creditum restituere. Quo responso Glaucus territus paravit se citra sacramentum reddere. Hæc narratio in VII historia Herodoti est. Reddidit

ergo Glaucus, quia timuit, non quia voluit: unde pœnas dignas sceleris non effugit. Hoc est apud Herodotum, ὁμνυ ἐπὶ θανατός γε καὶ εὐορκον μίμνει ἄνδρα.

V. 201. *Depositum retinere.*] Non reddere fideicommissum, sed pejerare.

V. 204. *Redd. er. me. n. mor.*] Timens pœnam, non pro voluntate.

V. 205. *Vocem adyti.*] Quæ illi Apollo fuerat minitatus.

V. 206. *Cum prole domoque.*] Cum omnibus suis vel propinquis eradicatus est.

V. 208. *Has patitur pœnas.*] Qui, inquit, animo scelus cogitat, tanquam commiserit, sic eum conscientia sua torquet.

V. 209. *Nam scelus.*] Id est, qui cogitaverit scelus admittere, reus est tanquam si cogitata perpetraverit.

V. 211. *Nec men. temp. cess.*] Nec edendi tempora concedit.

V. 213. *Sed v. misellus.*] Cùm apud conscientiam suam cogitat de admisso scelere.

V. 216. *Velut acri d. Falerno.*] Aceto Falerno.

V. 219. *Et violati numinis aras.*] Ubi pejeravit.

V. 220. *Sudoribus urget.*] Ex perturbatione somnii.

V. 221. *tua s. et m. im.*] Tu illi es pro sacris, cui fraudem fecit.

V. 222. *Cogitque fateri.*] Quod debetur reddat.

N. 223. *Hi sunt qui trepid.*] Physici nam asserunt ex conflictu ventorum vel nubium, tonitrua vel fulgura fieri: nam ex nimio flatu vel certamine ventorum nubes inter se collisæ tonitrua et coruscus* faciunt, ac veluti saxa inter se collisa ignem excutiunt.

V. 226. *Iratus cadat.*] Propter sua commissa.

V. 230. *Si cœpere pati.*] Si cœperit ægrotare.

V. 231. *Infesto c. a numine.*] Irato, læso numine.

V. 232. *Pecudem spondere sacello.*] Sacrificia promittere pro sanitate recuperanda, non audet tanquam reus.

V. 235. *Vel quæ non dignior hostia vita.*] Magis hostia, quàm ipse vivere meruit.

V. 237. *Cùm scelus admittunt.*] Cùm ad perpetrandum scelus venerint, in eadem constantia perstant, ut sperent etiam illicita

debere omni modo fieri : peracto facinore, ex ipsa conscientia animi eorum ab illa dejiciuntur constantia.

V. 239. *Tamen ad mores natura recurrit.*] Sentiunt se malefacere, et tamen faciunt. Nam ipsam consuetudinem verterunt in naturam.

V. 243. *Quisnam hominum est.*] Quis est hominum, qui cùm semel peccaverit, nŏn hoc frequenter desideret?

V. 244. *Dabit in laqueum.*] Ligabitur in carcerem.

V. 245. *Carceris uncum.*] Unco nam ferreo trahebantur a populo, qui merebantur sic puniri.

V. 247. *Exulibus magnis.*] Κατὰ κοινοῦ, id est, patietur exilium : in insulam exilio deputabitur.

V. 249. *Nec surdum, nec Tiresiam.*] Dicturus es et potentes et exaudibiles esse Deos.

IN SATIRAM DECIMAM QUARTAM.

DE INSTITUTIONIBUS.

V. 1. *Plurima sunt.*] Contraria mala institutio in naturam vertit. Horatius :

> . . . . . utcumque defecere mores,
> Dedecorant bene nata culpæ.

V. 3. *Pueris traduntque.*] Filiis ; ut Virgilius : *Tuque paterque tuus.*

V. 5. *Bullatus.*] Adhuc parvulus.

Ibid. *Parvoque eadem movet arma fritillo.*] Fritillus pyxis cornea, qui fimus dicitur Græce. Fritinnire aves dicuntur strepere, aut sonare. Apud antiquos in cornu mittebant tesseras, moventesque fundebant : aut fritillum, pyrgum dixit.

V. 9. *Mergere f. d. n. parente.*] Id est, a patre didicit luxuriosus et gulosus.

V. 10. *Et cana.*] Patris, id est, vetula.

V. 12. *Barbatos licet.*] Philosophum licet ad erudiendum adhibeas semel imbutum luxuria patris, non potest revocari.

V. 15. *Mitem animum.*] Interrogative pronunciari potest, sed melius, ironicos. Pro ironia dictus est sensus. Mitem animum

præcepit Rutilius. An putas eum sævire, qui gaudet plagarum strepitu. Ironicos, et mores modicis erroribus æquos, quia nemo sine vitio est, id est, tolerabilius indulgentem.

V. 19. *Et nullam Sirena flagellis.*] Dulciorem esse flagellorum strepitum, quàm cantum Sirenarum.

V. 20. *Antiphates trep. la. ac Polyph.*] Carnifex potius, et latro domûs suæ, quàm dominus. Læstrygonum rex Antiphates, et Polyphemus Cyclops, qui homines comedebant.

V. 22. *Duo propter lintea.*] Id est, sic servus cruciatur propter duo sabana (1).

V. 23. *Quid suadet juveni.*] Paterna crudelitate.

V. 24. *Afficiunt.*] Lætum faciunt, delectant.

Ibid. *Inscripta ergastula.*] Quanquam ibi * includuntur, inscripti sunt.

V. 25. *Exspectas ut non sit ad. L. filia.*] Speras, quòd filia meretricis casta possit esse: quæ non potest nomina mœchorum matris suæ continuo ac uno spiritu dicere.

V. 29. *Ceras nunc hac dictante.*] Dictante, ut hæc disceret: jucunde, pro ætate.

V. 30. *Ferre cinædis.*] Internuntiis ministris, qui matris suæ fuerunt.

V. 33. *Unus et alter.*] Pater et avus.

V. 34. *Forsitan hæc spernant.*] Id est, turpia.

V. 35. *Præcord. Titan.*] Prometheus filius Iapeti, qui fuit unus e Titanibus.

V. 36. *Fugienda patrum vestigia.*] Juvenibus scilicet, id est, multi filii inviti facta parentum sequuntur.

V. 40. *Quoniam dociles imitandis.*] Id est, ad mala imitanda faciles sumus: ut Terentius,

> Namque, ut est hominum ingenium proclive ad libidinem,
> Dehinc quæstum accepit.

V. 41. *Et Catilinam quocumque inp.*] Malum hominem ubique invenias.

V. 43. *Bruti nec avunculus unquam.*] Bonus, ut Cato Uticensis philosophus.

V. 45. *Intra quæ pater est.*] Ubi filios habet.

V. 46. *Puellæ lenonum.*] Meretrices.

V. 46. *Sed peccaturo obstet tibi.*] Impediat te, ne cùm viderit hæc, imitetur.

V. 50. *Censoris f. ira.*] Ut a Censore corrigi mereatur aut damnari, tamen filius patri non solum corpore, sed et moribus similavit.

V. 53. *Omnia deterius.*] Deterius quàm te, aut eo deterius quàm te magistro.

V. 54. *Corripies.*] Filium turpiter agentem.

V. 56. *Unde tibi frontem.*] Terentius: *Quo ore illum objurgabis? dic mihi.*

V. 58. *Jampridem cap. h. v. cucurbita.*] A medicis, quia sanus non est: cucurbita, σικύα.

V. 60. *Verre pavimentum.*] Hoc dicis tuis.

V. 61. *Arida cum tota.*] Mundentur parietes, vel camaræ.

V. 62. *Hic læve argentum.*] Anaglyfa (2) sigillis. Virgilius:

. . . . et aspera signis.

V. 63. *Vox domini furit.*] Virgilius:

. . . . urget præsentia Turni.

V. 67. *Semodio scobis.*] Non πρίσματος (3).

V. 68. *Illud non agitas.*] Illud non respicis, quemadmodum filio castam domum exhibeas.

V. 71. *Si facis, ut pat. s. id.*] Civem bonum si eum ita institueris, ut sit utilis patriæ.

V. 76. *Illi e. s. q. animalia p.*] Quæ a parentibus didicerunt.

V. 77. *Vultur jumento.*] Exemplis docet hoc servare filios, quod a parentibus acceperunt.

V. 78. *Partemque cadaveris.*] Hominum. Nam antiqui crucibus figebant (4).

V. 79. *Hic est ergo cibus.*] Quem parentes tradiderunt.

V. 80. *Cùm jam facit arb. n.*] Cùm cœperit volare.

V. 84. *Festinat ad ill.*] Id est, ad venationem unde nutrita est.

V. 86. *Aedificator erat Centronius.*] Cupidus fabricæ.

V. 87. *Littore Caietæ.*] In Campania Caieta.

V. 90. *Vincens For. atque Her. ædem.*] Apud Prænestе et Fortunæ, et Herculis habent ædes: aut certe, quòd, in Capitolio, post ædem Dianæ et Jovis, secundam de miraculo operis habent gloriam, Fortunæ atque Herculis ædes. Fortunæ apud (5) Præ-

neste ædem pulcherrimam ferunt fuisse : Herculis enim ædem Tiburis dicit.

V. 91. *Ut spado. v. c. n. Posides.*] Hic Posides spado, libertus Claudii Imperatoris, tantæ gratiæ et potentiæ fuit, ut eum Claudius in Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donaverit : cohortibus quoque et aliis provinciis Judææ præposuerit; et lecticæ per Urbem vectandi, spectacula quoque publice edendi jus tribuerit. Legitur in Suetonio (6).

V. 92. *Imminuit rem.*] Minuit patrimonium fabricando. Secutus patrem scilicet : et quod remanserat de patrimonio, filius omne in ædificiis impendit.

V. 97. *Cœli numen ad.*] Multa contemplatione colentes.

V. 98. *Nec distare putant.*] Tanquam humanam, porcinam putant.

V. 99. *Præputia ponunt.*] Id est, περιτομὴ.

V. 102. *Tradidit a. q. v. Moyses.*] Sacerdos, vel rex ejus gentis*, aut ipsius quidem religionis inventor : cujus Cornelius etiam Tacitus meminit.

V. 103. *Non monstrare vias.*] Id est, non confiteri religionis secreta.

V. 104. *Quæsitum ad fontem.*] Ubi baptisantur.

Ibid. *Deducere verpos.*] Judæos, qui sine pellicula sunt.

V. 105. *Sed pater in causa.*] Causa hujus metûs, pater est.

Ibid. *Cui septima quæque fuit lux.*] Quia semper sabbatis nihil faciunt.

V. 109. *Fallit enim vitium.*] Sæpius sub specie virtutis, avaritia tegitur. Multi enim avaros tanquam frugi laudant, sperantes quòd, frugalitate faciente, patrimonia sua custodiunt: et non sentiunt eos in causa avaritiæ facere. Frugalitas quippe avaritiam contemnit, et mediocritatem amat.

V. 113. *Certa magis, quàm si.*] Tanquam ille qui aut mala, aut pellem auream servabat.

V. 116. *Quippe h. c. patrimonia fabris.*] Fabris patrimoniorum, dum auram popularem captant, et patrimonii opinione delectantur.

V. 118. *Incude assidua.*] Metaphora a fabris ferrariis : quocumque casu.

Ibid. *Ardente camino.*] Avaritia operante.

V. 120. *Qui mir. opes.*] Qui patrimonio et divitiis gaudet.

Ibid. *Qui nulla exempla beati.*] Qualis Apollinis oraculo declaratus est felicissimus Aglas Areas, qui nunquam patrium agellum excesserat, cùm a Deo quæreretur, quis fidem veræ felicitatis (7) implesset.

V. 122. *Ire viam pergant.*] Perseverent in avaritia.

V. 124. *Et cogit minimas edis. s.*] Eum sequi in avaritia, quæ nullis satiatur divitiis.

V. 126. *Modio castigat iniquo.*] Prava mensura.

V. 127. *Neque enim omnia sustinet unquam.*] Id est, omnia sustinet. Duo negativa confirmativum faciunt.

V. 131. *Alterius conchem æstivam.*] Id est, fabam coctam, quæ illi remansit, in alium diem cum sardina servat.

Ibid. *Cum parte lacerti.*] Genus piscis salsi.

V. 133. *Filaque sectivi.*] Bene sectivi; quia quando ponitur cultoribus hortorum, tunc secatur.

V. 134. *Aliquis de pon.*] Qui amendici in pontis itinere sedent.

V. 135. *Sed quo divitias?*] Id est, ubi sunt divitiæ, si non ipsis uteris?

V. 137. *Ut locuples moriaris.*] Id est, cum egestate vitam tolerant, ut divites moriantur.

V. 139. *Crescit amor nummi.*] Id est, quanto plus adduntur divitiæ, tanto plus crescit avaritia.

V. 140. *Ergo paratur altera villa.*] Coëmuntur plures possessiones, quia una non sufficit.

V. 142. *Et proferre libet fines.*] Producere, protendere.

V. 143. *Et melior vicina seges.*] Semper avaris res alienæ meliores et ampliores videntur.

V. 144. *Et densa m. qui canet oliva.*] Hyperbole, id est, integrum montem Oliveti comparas.

V. 145. *Si pretio dominus.*] Non consentit ad distrahendum, id est, cùm vicinum agrum non poterit pretio elicere, ita agit, ut cogatur vicinus vendere, non patiens importunitatem animalium, quæ ille dimittit, ut segetes ipsius depascantur.

V. 148. *Quàm tota novalia.*] Agros seminatos.

V. 149. *Falcibus actum.*] Metitum.

V. 151. *Et quot venales injuria.*] Molestia confinii potentis.

V. 152. *Quàm fœdæ buccina famæ.*] Quàm mala fama est avaris potentibus.

V. 153. *Quid nocet hæc.*] Mala fama, quæ de me loquitur: avaritiam dicit.

V. 154. *Quàm si me t.*] Sine quæstu aliquo vilis est collaudatio.

V. 156. *Scilicet et morbis.*] Id est, si mediocriter possideas quod tibi ad vitam sufficiat, omnibus rebus malis carebis et quietus eris.

Ibid. *Debilitate carebis.*] Σχῆμα ὑπόνοια (8).

V. 157. *Et luctum et caram.*] Mala vitiosa.

V. 160. *Quantum sub Tatio.*] Si tantum possides solus, quantum populus Romanus possedit; Campum Martium.

V. 162. *Prælia, vel Pyrrhum.*] Epirotarum regem Pyrrhum dicit. Gladios Molossos, Epiroticos.

V. 164. *Merces ea sang.*] Deductis in colonia viris.

V. 165. *Nullis visa u. m. m.*] Id est, nunquam visa sunt dona minora meritis, in duobus jugeribus: id est, par merces laboribus visa est illis quibus dabatur.

V. 168. *Unus vernula, tres domini.*] Ante nam unum servum plures domini habebant, qui erant parvuli.

V. 170. *A scrobe, vel sulco.*] Qui colebant terram. Hoc nam dicit alios in bello * alios terram colere.

V. 171. *Amplior.*] Parabatur scilicet.

V. 172. *Nunc modus hic agri.*] Bene dixit plus nunc possideri in horto, quàm tunc in agro.

V. 173. *Inde fere scelerum causæ.*] Ex institutione avaritiæ, quæ interficit veneno aut ferro.

V. 175. *Sæva cupido.*] Avaritia.

V. 177. *Et cito vult fieri.*] Per scelera scilicet.

Ibid. *Sed quæ rever. legum.*] Exclamatio.

V. 180. *Et Hernicus olim.*] Virgilius: *Hernica saxa colunt.*

V. 181. *Vestinusque.*] Oppidum est Italiæ.

Ibid. *Panem quæramus aratro.*] Id est, hoc persuadebant: hoc tantum ex labore quæramus, quod nobis ad victum sufficiat: hoc enim et Diis placet.

V. 184. *Contingunt homini v. f. q.*] Quia ante, fraga et glandem homines comedebant.

V. 185. *Nil vetitum fecisse.*] Is nam non vult ea quæ illicita sunt admittere, sed sua paupertate contentus esse.

V. 186. *Per gl. perone tegi.*] Virgilius :

. . . . crurum tegit altera pero.

V. 187. *Ignotaque nobis.*] Quæ a nobis ignota, alios inducit ad scelus.

V. 189. *Hæc illi veteres.*] Posteris suis dabant.

V. 190. *Supinum.*] Dormientem.

V. 192. *Perlege rubras.*] Rubricas juris.

V. 193. *Aut vitem posce libello.*] Ut centurio fias, da libellos, id est, milita : vitis nam insigne centurionum est, a Libero patre inventum, qui primus triumphavit, et inventor vitis fuit.

V. 194. *Sed caput intactum buxo.*] Sensus hic est : sic age, ut te sordidum pueri mirentur, et virtutem tuam imitentur, si vis centurio militare.

V. 195. *Miretur Lælius alas.*] Comes Lælius centurio, sub quo militabis, ut evertas casas et attegias Maurorum.

V. 196. *Brigantum.*] Gallorum.

V. 197. *Ut locupletem aquilam.*] Ut signifer sis stipendiis emeritus anno sexagesimo, quo stipendia deponebant sua.

V. 199. *Cornua ventrem.*] Si pavore cornuum, aut lituorum, venter tibi solvitur.

V. 200. *Vendere possis.*] Esto negotiator.

V. 201. *Pluris dimidio.*] Plus media parte.

V. 202. *Abl. Tiberim ultra.*] Transportandæ ultra Tiberim.

V. 203. *Neu credas p.*] Ne contemnas viliorem mercem, aut quæ puteat, id est, caria (9).

V. 206. *Atque ipso Jove digna.*] Id est, Jovis dictum est.

V. 208. *Vetulæ p. r. assæ.*] Assa nutrix dicitur, quæ lac non præstat infantibus, sed solum diligentiam et munditiam adhibet : nutricula sicca, vetusta infantibus monstrat.

V. 209. *Ante alpha et béta.*] Ante ætatem discendi.

V. 213. *Vinceris ut Ajax.*] Id est, ut illi in virtute parentes suos superaverunt, sic et iste te in avaritia.

V. 217. *Admittere cultri.*] Id est, tondere barbam (10).

V. 218. *Summa exigua.*] Ut in minima mercede avaritia exprimatur.

V. 219. *Cer. tang. aramque.*] Ut perjurus erit.

V. 220. *Elatam jam c. nurum.*] Mortuam, quæ cum dote sibi afferat mortem.

V. 222. *Per somn. dig.*] Id est, quæ per somnum effocabitur propter dotem.

V. 223. *Brevior via conferet illi.*] Id est, homicidium.

V. 224. *Nullus enim magni scel. lab.*] Id est, in perpetrando scelere nunquam difficultas est.

V. 226. *Mentis causa malæ.*] Exordium sceleratæ mentis tuæ, quæ jubet ei avaritiam sequi.

V. 228. *Et lævo monitu.*] Subtili monitu.

Ibid. *Prod. avaros.*] Sceleratos.

V. 230. *Dat l. et t. eff. ha.*] Auctoritatem et nequitiam permittit.

V. 231. *Quem si rev. sub. nescit.*] Virgilius: *Fertur equis auriga.*

V. 232. *Et te contempto.*] Patre vel rectore. Qui jam fuerit deditus avaritiæ, revocari non potest.

V. 233. *Nemo sat. cr.*] Nemo se putat satis fecisse, nisi amplius delinquant, quàm non permittas, adeo plus peccare cupiunt.

V. 235. *Cùm dicis juv.*] Si reprehendas eum benefacientem, quid illi suadeas, nisi ut criminosus sit.

V. 238. *Quarum amor in te.*] Divitiarum et avaritiæ tantum amoris habes, quàm Decii habuerunt civitatis suæ.

V. 240. *Menœceus.*] Qui pro civibus suis mortem elegerunt.

V. 241. *Legiones d. an.*] Virgilius:

> . . . . satis immanis dentibus hydri,
> Nec galeis, densisque. . . .

V. 243. *Tanq. et tub. surr. una.*] Qui eos excitet ad prælium. Irridet Græcorum audaciam paratam in omni mendacio.

V. 247. *Tollet alumnus.*] Filius, allegoricos: hoc est, et in te malitiam cum scelere exercebit.

V. 249. *Exspectare colus.*] Calatos.

V. 251. *Jam torquet juvenem.*] Odiosus est filio.

Ibid. *Cervina senectus.*] Quos usque ad nongentos annos vivere dicunt. Longivivax.

V. 252. *Ocius Archigenem.*] Medicum. Nam pater qui perniciosum filium habet, æque debet timere saluti suæ; sicut rex.

V. 253. *Si vis al. d. fic.*] Id est, antidotum, quod veneno obstet.

V. 256. *Monstro voluptatem.*] Nulla theatra tibi talem voluptatem dabunt, nullam promotionem dabit cuiquam, quod accipiet hic de tua pecunia.

V. 258. *Discrimine.*] Periculo.

V. 260. *Fiscus.*] Pecunia sacculi.

Ibid. *Et ad v. p. Castora n.*] Ad templum Castoris.

V. 261. *Ex quo Mars ultor.*] Ex illo pecuniam amat, ex quo Mars a furibus spoliatus est. Antea solebant arcas æratas facere, et ibi mittere pecuniam suam senatores, et sic in foro Martis ponere. Verum per noctem a furibus exspoliatæ sunt arcæ, et cœperunt ex eo ad templum Castoris ponere. Ideo dicit, Mars ultor galeam perdidit.

V. 262. *Omnia Fl. et Cer.*] Ludos theatrales, qui in honorem Dearum exhibentur.

V. 264. *Tanto majores.*] Negotia hominum majores ludos habent, quàm votiva solemnitas.

V. 266. *Quique solet r. d. f.*] Funambulum.

V. 267. *Quàm tu Corycia.*] Corycus civitas Isauriæ: id est, negotiator qui omni tempore navigas.

V. 269. *Ac vilis s. merc. ol.*] Opobalsamum, aut malabatrum fœtidæ alicujus mercis: ut ex sententia tali, tu fœtide.

V. 271. *Et mun. Jovis. a. lagenas.*] Geticas (11), quia Jupiter ibi nutritus est.

V. 272. *Hic tam. ancipiti.*] Funambulus ex hac arte victum sibi comparat.

V. 273. *Brumamque fam.*] Horatius:

> Frigus, quo duramque famem depellere possit.

V. 274. *Illa reste cavet.*] Supra quam ambulat scilicet.

V. 276. *Plus h. est jam in p.*] Id est, qui naufragium pertulerunt.

V. 279. *Sed longe Cal. rel.*] Urnæ similis mons, inde Calpe in extrema Spania.

V. 280. *Audiet Her. st. g. solem.*] Gaditano Oceano sol mergens stridet, ut si ferrum candens in aqua tingas : ultra Herculis columnas dicit ad mare mortuum, ultra quod navigare non conceditur. Nam sic subjungit :

Oceani monstra, et juvenes vidisse marinos.

V. 281. *Ut tenso f. reverti.*] Ut pleno sacculo revertaris.

V. 282. *Tumidaq. s. al.*] Manticula, id est, mercibus.

V. 283. *Oceani m. et juv.*] Tritones et Nereides.

V. 284. *Ille sororis.*] Furens Orestes. Ifigenia soror Orestis.

V. 286. *Hic bove percusso.*] Ajax, quia et ipse insanit.

V. 287. *Aut Ithacum.*] Ulyxem.

Ibid. *Parcat tun. licet.*] Quamvis se non conscendit (12), tamen insanit.

V. 291. *Concis. arg.*] In argenteolos, sive nummos.

V. 292. *Occurrunt nubes.*] Ergo hoc dicit, non insanit.

V. 294. *Nil fascia nigra.*] Nubes ductæ per cœlum.

V. 295. *Aestivum tonat.*] Naturaliter hæc dicit negotiator.

V. 297. *Et zonam læva.*] In qua fert solidos.

V. 299. *Quod Tagus et r. v. Pactolus.*] Fluvii, unus Spaniæ, alter Asiæ.

V. 300. *Frigida sufficient.*] Uda, aut nuda.

V. 302. *Et p. se temp. t.*] Dum picturam naufragii sui portat in tabula, ferens casûs sui historiam.

V. 304. *Misera est magni cust. c.*] Misera est custodia magni patrimonii.

V. 305. *Dispositis præd. hamis.*] Per translationem disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis et cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis (13).

V. 306. *Servorum noctu Licinus jubet.*] Licinus ille ex liberto Claudii, de quo superius dixit : *Ego possideo plus Pallante et Licinis.*

V. 307. *Phryg. columna.*] Marmorea.

V. 309. *Non ardent Cynici.*] Id est, Diogenis, qui in dolio dormiebat.

V. 311. *Sensit Alexander.*] Macedo.

V. 313. *Quàm qui to. s. p. o.*] Id est, Alexander.

V. 314. *Gestis æquanda p. r.*] Cum magnis periculis magna res efficitur.

V. 316. *Mensura t. quæ.*] Si vis nosse, patrimonii modus quantus debet esse.

V. 321. *Aliud sapientia dicit.*] Poscit philosophia.

V. 322. *Acribus exemplis.*] Id est, video te nolle consentire ad philosophorum patrimonia.

V. 324. *Bis septem ordinibus.*] Id est, gradibus equitum Romanorum.

V. 325. *Si rugam trahit.*] Si displicet, et tristem facit, duorum equitum patrimonium fac.

V. 328. *Nec Cræsi.*] Crœsus ille est, cui Solon dixit, ὅρα τέλος μακροῦ βίου : cujus filius, cùm ipse Trallibus victus esset a Cyro rege Persarum, adolescens usque id mutus, intentum jugulo patris gladium cùm vidisset, subito exclamavit : *Homo Cyre, parce homini.*

V. 329. *Nec divitiæ Narcissi.*] Narcissus libertus Claudii potentissimus, idemque ditissimus eunuchus.

IN SATIRAM DECIMAM QUINTAM.

DE RELIGIONIBUS AEGYPTI.

Ad Volusium scribit de Aegyptiorum sacris; odio Crispini qui Aegyptius erat, egens, et modo magister peditum atque equitum factus est.

V. 2. *Crocodilon adorat.*] Qui ab ichneumone perit dormiens.

V. 3. *Illa pavet saturam serpentibus Ibin.*] Ibin propterea Aegyptii colunt, quod illi naturale cum serpentibus bellum est. Nam cùm Aegyptum Nilus etiam serpentibus inundaverit, illa eos omnes devorat simul et aspides. De hujuscemodi animalium genere Cicero, in libro de natura Deorum primo, sic ait : ipsi qui irridentur Aegyptii nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt : veluti Ibin.

Ibes maximam vim serpentûm conficiunt, quasi aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Aegypto, cùm volucres angues ex Libyæ vastitate vento Africano invectas interficiunt, atque consumunt: atque fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore.

V. 5. *Dimidio magicæ r. u. M. c.*] Memnonis ex ære statua, citharam tenens, certis horis canebat. Hanc Canbis (1) rex jussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse quod intra statuam lateret: nihilominus tamen aperta statua, quæ erat magice (2) consecrata, horis statutis sonum reddidit. Ideo dimidio dixit, id est, aperto et diviso.

V. 6. *Atque vetus Thebe.*] Thebas dicitur trans Aegyptum Liber condidisse.

V. 13. *Carnibus humanis.*] Usque adeo de Aegyptiis vanum aut incredibile est, hi Ulyxi* similia de Læstrygonibus referenti credi jam fuit in mensa Alcinoi: hæc cum exclamatione legenda sunt.

V. 15. *Fortasse quibusdam.*] Simul discumbentibus.

V. 16. *Ut mendax aretalogus.*] Virgilius, *Artificis scelus.*

Ibid. *In mare nemo.*] Dicebant Phæaces.

V. 18. *Læstrygonas atque Cyclopas.*] Quos perhibent hominibus pastis exstinctos.

V. 19. *Vel concurrentia saxa.*] Symplegadas, inter quas Argo evasit; quæ in Ponto cucurrisse dicuntur: numquid et ad hæc Ulyxes accessit?

V. 22. *Et c. r. g. Elpenora porcis.*] Unum de sociis Ulyxis porcis a Circe factis.

V. 23. *Tam vacui capitis.*] Inani capitis, κενεγκράνιος.

V. 25. *De Corcyræa temetum.*] Vinum de insula Phæacum.

V. 26. *Nullo sub teste can.*] Qui eum redargueret mendacio. Merito ergo non credebatur illi, qui ea sine teste narrabat.

V. 27. *Nos miranda quidem.*] De se dicit Juvenalis, quia in Aegypto militem (3) tenuit, et ea promittit se relaturum quæ ipse vidit.

V. 29. *Nos vulgi scelus.*] Referimus.

Ibid. *Et cunctis grav.*] Non Cyclopis, sed (4) tragœdiæ narrationis.

V. 30. *Quanquam omnia syrm.*] Vestes tragicas. Tragœdias.

V. 32. *Dira quod ex.*] Quod apud Aegyptum factum est a populo.

V. 35. *Ombos et Tentyra.*] Inter hos Ombos et Tentyra, accusativus pluralis, ut Mænala, civitas Aegypti.

V. 36. *Quod numina vicinorum.*] Quòd illi alios Deos colunt vicini.

V. 38. *Sed tempore festo.*] Cùm diem festum habeant.

V. 44. *Septimus interea.*] Festivitas sacrorum per septem dies solet celebrari.

V. 46. *Barbara f. n. c. turba.*] Alexandria.

Ibid. *Canopo.*] Latina ripa.

V. 48. *Blæsis atque m. t.*] Ex parte ebriosum. Terentius :

Nam neque pes, neque mens satis suum officium facit.

V. 49. *Nigro tibicine.*] Aethiope neque delectarent.

V. 51. *Hinc jejunum odium.*] Ab inimicis infesta sobrietas.

V. 52. *Hæc tuba rixæ.*] Tuba rixæ, inquit, convitia, fiunt.

V. 54. *Sine vulnere malæ.*] Sine pugnis genæ.

V. 55. *Ac nulli toto c. nasus.*] Subauditur, est.

V. 57. *Alias facies.*] Mutatas ex cruore.

V. 59. *Ludere se credunt.*] Cùm adhuc manibus res agitur, lusum putant.

V. 60. *Quòd nulla cadavera.*] Mortuorum.

V. 61. *Rixantis millia turbæ.*] Bene scilicet credunt se ludere, ubi tot rixantibus nullus moritur.

V. 64. *Domestica seditione tela.*] Competentia vicini furori : nulla nam sic sunt domestica rixantibus tela, ut saxa.

V. 65. *Nec hunc* (5) *lapidem.*] Id est, non tam magna saxa jactant, qualia antiqui.

V. 72. *A deverticulo rep.*] Propter excessum.

V. 74. *Pugnam instaurare sagittis.*] Commoveri et a sagitta.

V. 77. *Labitur hinc q.*] Cadit fugiens.

V. 79. *Frusta et particulas.*] Cruda membra hominis capti.

V. 81. *Nec ardenti decoxit aheno.*] Id est, tanta insania est illorum, ut nec in caccabis cocta, nec in verubus fixa coquant : sed cruda consumant.

V. 84. *Hic gaudere libet, quòd.*] Id est, præstitit, inquit,

nobis, quod exta hominis focum communem immolarunt (6).

V. 86. *Elemento gratulor.*] Gratulari te ipsum elemento, igni scilicet.

V. 90. *Ultimus autem.*] Qui venit jam novissimus.

V. 91. *Qui stetit absumpto.*] Si ulterius senserit voluptatem.

V. 93. *Vascones ut fama est.*] Obsessi Saguntini ab Annibale, coacti sunt cadaveribus suorum pasci. Lucanus:

Obsessum Pœno gessit quæ Marte Saguntum.

Cæsis scilicet imbellibus. Alii nam non ab Annibale, sed a Metello obsessos dicunt.

V. 95. *Fortunæ invidia est.*] Quæ ad hoc eos deduxit.

Ibid. *Bellorumq. ultima.*] Cùm obsiderentur a Metello.

V. 97. *Hujus enim, quod nunc ag.*] De quo loquebar modo.

V. 98. *Sicut modo dicta mihi gens.*] Vascones Saguntini, quorum dictum sit ut si * major invidia facti exemplum, quod soleas, non quod horreas.

V. 100. *Ventris furor.*] Famis inopia.

V. 104. *Dira at. i. passis.*] Saguntinis.

V. 107. *Zenonis præcepta.*] Zeno stoicæ sectæ (7) ab eorum quique homines tum esse id summum, ut solum bonum esse dicebat.

V. 108. *Pro vita facienda p.*] Sed per honestatem, sicut Stoici dicunt, melius erat mori, quàm cadaveribus pasci.

V. 109. *Stoicus antiqui præ. Metelli.*] Unde poterat tantum sapere quantum Zeno, ut cadaveribus abstineret, scelus putando committere pro vitæ cupiditate?

V. 110. *Graias nostrasque h. o. A.*] Romanas litteras et Græcas.

V. 112. *De conducendo.*] De adhibendo negotiis suis oratore.

Ibid. *Thule.*] Civitas in Oceano, insula in qua brumæ tempore dies nulli: perinde solstitiali æstivo nox nulla.

V. 115. *Tale quid excusat. Mæotide sævior ara.*] Juxta Mæotim paludem Taurici sunt, quorum rex Thæas (8) advenas immolare consuerat usque in adventum Orestis et Pyladis; quibus agnitis, Ifigenia, quæ erat templi sacerdos, ablato inde Dianæ signo, aufugit; idque Ariciæ consecravit. Et Sallustius: namque omnium ferocissimi ad hoc tempus Achæi atque Taurici sunt, quòd, quantum conjicio, locorum egestate, rapto vivere coacti.

V. 120. *Quæ tanta fames.*] Id est, quomodo Saguntinos coëgit obsessio.

V. 122. *Anne aliam terrà M. sicca?*] Quam, inquit, invidiam facerent Nilo cessanti defluere aliam, quàm hanc, quam fecerunt, *cùm* cadavera devorarent, tanquam fame coacti?

V. 123. *Surgere Nilo.*] Irrigare Aegyptum.

V. 124. *Cimbri nec Britones.*] Gentes diversæ barbarorum.

V. 125. *Sauromatæ.*] Sarmatæ.

V. 126. *Imbelle et inutile vulgus.*] Aegyptiorum.

V. 127. *Dare vela phaselis.*] Testeis navigiis: talibus enim navigiis in Nilo utuntur.

V. 131. *Ira atque fames.*] Eorum scilicet, qui hoc compulsi fecerunt, id est, Vascones et Sagantini.

Ibid. *Mollissima corda.*] Humanitatem et misericordiam natura hominibus non negavit.

V. 133. *Hæc nostri pars optima sensûs.*] Pars optima est naturæ vel mentis nostræ, miserum flere.

V. 136. *Circumscriptorem.*] Curatorem suum.

V. 137. *Ora puellares.*] Puellares capilli, tristitia et squalore longiores. Cùm enim rei tenemur, et capillos demittimus; qui faciunt nos interdum vultum habere tanquam puellæ.

V. 138. *Cùm funus adultæ.*] Ora maturæ (9).

V. 139. *Vel terra clauditur.*] Sepelitur infans mortuus.

V. 141. *Et face dignus arcana, qualem* (10).] Face arcana, dignus sacerdotii, ac per hoc justus. Arcana, imbutum sacris dicit pontificem: aut arcana, dicit mystica, cùm in templo Cereris sibi invicem facem cursores tradunt.

V. 143. *A grege mutorum.*] Animalium, pecorum.

V. 145. *Atque exercendis.*] Discendi artificii faciles.

V. 146. *Sensum a cœlesti.*] Quem animum esse dicunt (11) partem cœlicæ divinitatis.

V. 147. *Prona et terram spect.*] Animalia.

V. 148. *Conditor illis.*] Deus.

V. 150. *Et præstare juberet.*] Homines.

V. 151. *Dispersos trahere.*] In unum colligere in civitate.

V. 154. *Tutos vicino limite.*] Securos, vicinitate aliorum confidentes.

V. 155. *Protegere armis.*] Defendere bello.

V. 156. *Vulnere civem.*] Pro, cives.

V. 158. *Portarum clave teneri.*] Custodia portarum.

V. 159. *Sed jam serpentûm.*] Id est, nec serpens serpentem comedit, nec fera sui generis feram. Varro, canis caninam non est.

V. 162. *Majoris dentibus apri.*] A sua gente.

V. 163. *Indica tigris agit.*] De India, ut Terentius: *Elephantis quem Indicis præfecerat.*

V. 166. *Produxisse parum est.*] Nam et invicem se absumunt dentibus, non tantum ferro.

V. 168. *Nescierint primi gladios.*] Primo tempore qui fuerunt, regnante Saturno.

V. 169. *Aspicimus populos.*] Aegyptios.

V. 173. *Pythagoras, cunctis a.*] Samius philosophus (12) propter cognitionem inter se mundi, omnibus abstinuit animalibus, aversatus et fama* quæ ex sanguine humano orta esset. Nam flores ejus in sanguinem vertuntur, si sic ponatur *.

V. 74. *Et ventri indulsit non omne legumen.*] Qui et legumina timeret edere. Antistrophe, qui abstinuit.

IN SATIRAM DECIMAM SEXTAM.

DE FELICITATE MILITUM.

Ista a plerisque exploditur (1), et dicitur non esse Juvenalis.

V. 1. *Felicis præmia, Galle, militiæ.*] Quanta in se habeat bona militia.

V. 2. *Nam si subeantur prosp. cast.*] Ut nihil periculi patiatur in bello, vel non intersit prœliis: vel si sint pericula (2) quamvis timidus sim, tamen eo ad militandum.

V. 6. *Et Samia genetrix, q. d. a.*] Id est, Juno.

V. 11. *Et nigram i. f. t. l. offam.*] Panis.

V. 12. *Medico nil promittente.*] Desperante.

V. 13. *Bardaicus judex.*] Centurio, qui quasi inter illos milites militavit habentibus stationem apud Bardos. Est autem gens Galliæ: vel qualis fuit Bardas.

V. 14. *Calceus et grandes m. a. s. suræ.*] Darupsis militibus (3) calceamenta dixit.

V. 15. *Legibus antiq. castrorum.*] Castra intra Urbem erant militum, quæ Tiberius fecit.

V. 19. *Si justæ defertur causa qu.*] Si justam causam habueris.

V. 21. *Curabilis ut sit vindicta.*] Ut satis cures quemadmodum effugiat illos.

V. 23. *Mulino corde Vagelli.*] In alio, Mutinensis. Rhetor aliquis de Mutina : ignavus de mulino (4).

V. 29. *Da testem.*] Fortasse dicis, habeo testes.

V. 31. *Et credam dignum barba.*] Si audebit dicere: dico illum ex illis esse antiquis si testimonium (5) tibi præbeat.

V. 36. *Sacramentorum.*] Id est, militiæ : quia jurabant.

V. 37. *Improbus.*] Militaris.

Ibid. *Campum.*] Terminum, id est, si egeris contra aliquem, quòd terminos effoderit, et transtulerit.

V. 43. *Mille ferenda tædia.*] Odia.

V. 44. *Subsellia tantum sternuntur.*] Substernuntur, ponuntur aut parantur.

V. 52. *Nam quæ sunt parta labore militiæ.*] Castrense peculium liberum habent.

FINIS VETER. COMMENT. IN JUVENALEM.

P. PITHOEI JURISCONSULTI

IN VET. COMMENTARIOS JUVENALIS

EMENDATIONES.

N. B. *Notæ asterisco et littera A insignitæ ab editore fuerunt concinnatæ.*

Sat. I.

(1) *Demetrium causidicum.*] Cynicum. Tacit. Ann. XVI, Hist. IV. P.

(2) *Decius dicitur, sine litis æstimatione.*] Forte *melius* dicitur. Litis æstimatio in criminibus repetundarum et de vi legitima fuit, ut ex quadam Ciceronis ad Att. epistola colligitur. Sunt et de hac litis æstimatione apud Plin. lib. II, IV, et VI epist. loci plures, qui ad hunc quoque pertinent. P.

(3) *Sive a Venusio.*] Est hoc ex Probo G. Vallæ. P.

(4) *Ex qua Cæs.*] Apud Vallam sic hi versus referuntur :

> Ex quo Cæsareas soboles Locusta cecidit
> Horrendum curas dum liberat atra Neronis.

Utroque loco corruptissime ! P.

* Ibid. *N. B.* Non adeo corruptus iste locus ex Valla : sic enim interpungendo, facile intelligitur :

> Ex quo Cæsareas soboles Locusta cecidit;
> Horrendum ! curas dum liberat atra Neronis.

A.

(5) *Laticlavium.*] In uno vet. cod. additur major, i. scutulata. Et infra, major abolla. Est et angusticlavium. P.

* (Ad not. 109.) AITIΩTAI.] Lege ΑΓΙΩΤΑΤΗ, ex Grævio; vel ΑΙΤΙΩΤΑΤΗ. A.

(6) *Cassii opes.*] Crassi. Et paulo post, fundos pro nummos. Hæc vero annotatio ex Vallæ exemplari, vereor ne non sit veteris interpretis. P.

(7) *Pedornis.*] An, pedurnos, vel udones. P.

(8) *Cicero : nam una.*] Ciceronis locus ex Act. II, in Verrem, lib. I,

sive de suppliciis, sic habet : Nam, ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octaphoro ferebatur. P.

(9) *Devia.*] An dubia, λοξὰ. Est et hæc postrema interpretatio ex Vallæ Probo. P.

(10) *C. Fulcinius.*] Dio et Tacitus, *Sofonius*. Apud Vall. *Offonius :* et paulo post : piscatoriam in Achaia exercuit; et, ut conspectu Claudii abstineret. P.

(11) *Stipites fiebant.*] Figebant. P.

(12) *Lectica plumis strata.*] Plin. lib. XXVI, cap. 3. P.

(13) *Vitia carpit.*] An potius vitia carpi vetat. P.

II.

* *Sauromatibus.*] Lego *Sauromatides*, cum Henninio. A.

(1) *Sacra Bacchan. ex iis cond.*] Lego, ex S. C. Livius, lib. XXXIX, vel etiam, ex XII. Quod idem mendum fuit apud Cic. II, de legib. Nam et in eas tabulas translata videtur lex Numæ de nocturnis externisque sacris. P.

(2) *Publice perpessus..*] Valla, *professus.* P.

* *Sed et Clodius.*] Lego : *Sed et Domit. Titi fratris sui filiam, etc.* A.

(3) *Quæ noverat eum corrumpi.*] Vall. Quæ dominum suum novit præcidi. P.

(4) *Substamine.*] Subtemine. P.

(5) *Salutantes* (lege *saltantes*, ex Pith.)] Valla, *calcantes.* P.

(6) *Magni gestamen.*] Vet. gloss. *gestamen*, σκῆπτρον, ὡς Ιουβενάλτος. Servius tamen in illud VII Aen. hoc Priami gestamen erat. Diadema, inquit, dicit : nam sceptrum dicturus est. P.

* *Qui infra tectum, etc.*] Emendo : *Hoc homine; quia infra tectum,* (tegmen, tunicam) *multum seminis creditur contraxisse, ob fecundit. dandam.* A.

(7) *Catomus.*] An *Catomis?* et inde, currentes per tecta *Catomis*, quod Francisco fratri visum est; cujus ingenio judicioque multum tribuo. Victor Uticensis, Hist. Afr. Venerabilem senem in publica facie *Catomis* ceciderunt. Illud vero catorogare, quod hic etiam in mentem venit, mihi quidem apud unum Arbitrum lectum est. P.

* Ibid. *Lætabantur.*] Forte *cædebantur.* A.

* *Equabat.*] Intelligo : *cæteros gladiatores infamia æquabat.* Henninius contra emendat *equabat*, fugiebat. A.

III.

(1) *Cumenas.*] Camœnas. P.

(2) *Aricino lacu.*] Luco. P.

(3) *Popularium amabiliter.*] Forte *pop. autem*, id est, favente populo. P.

(4) *Non foras.*] Lege, onus foras. Non in foriolus. P.

(5) *Peregrinas victis.*] An victoribus, et infra, *philacteriis*, et *philacteria*. P.

* *Et Romæ togæ erubescendus.*] Male, et absque sensu. Legeretur melius : *nam Romæ togas erubescendas, et in capitium, etc.* A.

(6) *Nunc doti.*] Malim, non doti. P.

* *Dulcium.*] Scil. crustulorum, aliorumque id genus, quæ nos vocamus *pâtisseries*, quæque *fermentum* creant in stomacho, atque ideo indigestum præstant. A.

(7) *Quod nos Delphicam.*] Vet. gloss. Abaci Delphicæ, μηνισίριον, ὡς Ιουβενάλιος. P.

(8) Ὀπίζειν.] Eædem glossæ, *Opicus*, ὀπτικιστὴς, ὡς Ιουβενάλιος, et *Opicus*, ἀῤῥητοποιός. P.

(9) *Aut panem.*] Lego, aut frusta, id est, panem. P.

* *Non incendium.*] Lege, *non ob incendium*, ex Rutgers. A.

(10) *Qui mercedes.*] Vall. quia. P.

(11) *Amite lecti.*] Vet. gloss. asseres, δοκίδες, ὡς Ιουβενάλιος. P.

(12) *Apparatione.*] Sénec. Epist. LXXIX. P.

(13) *Gutto autem.*] Eædem gloss. guttum, ληκύθιον Ιουβεναλίῳ. P.

(14) *Carinam.*] Lego, Charontem : et, quod addit, non angustum trajectum, id est, non πόρθμον. P.

* *Amphimallum.*] Idem forte ac ἀμφίβαλον, seu ἀμφίβολον, quòd utrinque hominem circumvolveret. A.

(15) *Namque apud Aquinum.*] Videtur interpres legisse, vestramque. Et Umbricius igitur Gallus. P.

IV.

* *Sesenus.*] An *Serenus* poëta, an Sisenna historicus? nescio. A.

* *Non ea objiciens.*] Hæc et sequentia referri debent ad versum 11, hoc modo : *Sed nunc de factis levioribus.* Non ea objiciemus, quæ in eum turpissima sunt. A.

(1) *Apulia Curios.*] Lego, carius. Huc pertinet illud Senecæ : *Suburbani agri tantum possidet, quantum invidiose in desertis Apuliæ possideret.* P.

(2) *Hoc convicium.*] Auson. de eodem Domitiano :

Quem calvum dixit sua Roma Neronem.

(3) *His vero sibi.*] An, his versibus? P.

(4) *Piscis magnitudo.*] Imitatus videtur Nasonis illud ex halieutico :

. . . . et Adriaco mirandus littore rhombus.

P.

(5) *Ponto erupit.*] Refertur et hoc Sallustii fragmentum a Servio in IV Aeneid. Expressit, ut et alia plura ejus scriptoris, Tacitus, lib. XII Annal. cui ex hoc loco remedium petendum est. — Ibid. *Palfŭrius.* Repone ex vet. Palfurius Sura consularis viri filius. P.

* *Supra.*] Supple, penetrale. — *Memor pond.* Id est, ingentis ponderis. A.

(6) *Ex quibus Liburnæ parasia.*] Lego, ex cujus Liburnæ parasia; et parasiam intelligo quod παράσημον B. Lucas appellat, act. ult. et a tutelæ navis paternæ signo Pegasum dictum. Quod sequitur (scilicet jus) non abs re quis putaverit scriptum pro, SC. quanquam et jus Pegasianum ferri potest, ut Papyrianum: et de Orfitiano SC. Symmachus, *quique dedit leges Orfitus Aeneadis.*

Cæterum post hanc annotationem omissa est, nescio quomodo, illa veteris ex. quæ mihi usque adeo placet, ut eam hic inseri velim. P.

(7) *Urbis c. administravit.*] Eleganter sub Nerone Urbis præfecturam jacuisse dicit: quasi scil. Urbs ipsa jam tum esset villa principis; et de villico urbano, sat. III. P.

(8) *Viselliensis.*] Versellensis. Tacit. Dialog. de Orat. M. Fabius Quintil. Crispi jucunditatem commendat, lib. XII, et hujus illud in Tyrannum: *Ne musca quidem.* P.

(9) *Simul oratione.*] Forte simulatione. Et paulo post: bis millies sestertium. P.

(10) *Sed præcipue Cæsaris.*] Valla addit, Tiberii nomen, nescio quàm bene. P.

(11) *Aut negantem.*] An, ne aut negans eum argueret, aut assentiens semet mend. dehon. P.

(12) *Periit per fraudem Agrippinæ.*] Ergo sub Nerone. Et exstat de Crispi morte carmen, quod Annæo Senecæ tribuitur: non idem igitur sub Domitiano. P.

(13) *Servilius.*] Servius, ut et sat. VI. P.

(14) *Tibiam.*] F. Liviam. P.

(15) *Mane sumpto.*] Servius in II, Aeneid. P.

(16) *Sapientiæ rigidiorem.*] Malim, rigorem. P.

(17) *Qui ad portam Aric.*] Senec. de Vita Beata. P.

* *Falcatis nam curribus rex Arbila.*] Manifesta est, hoc loco, codicis corruptio. Lego igitur: *falcatis nam curribus* (utebatur) *rex Arviragus,* (arbila pro *arvira*, per compend. et corrupt.) A.

* *Libidinis oris perverum.*] Verissimum hoc de libidine oris, i. de gula, non de fellatione. A.

(18) *Fiebatur.*] An, ferebatur. P.

V.

(1) *Ut per equitem Romanum.*] F. pro equite Romano. P.

* *Qui ibi primus.*] Lege, *quibus primis*, ex Pithoeo. A.

(2) *Ne nihil agitis.*] Aut interrogationis nota addenda, aut potius legendum, *agatis.* Quod sequitur valde corruptum est. Hæc tamen remedia pro tempore occurrunt. *Dum autem causam usurpatæ dignitatis agit, precibus et gratia summoto accusatore, dimissus est, cùm apud judices nihil aliud tentaret, quàm concessam sibi libertatem a Mæcenate, ad quem sectio bonorum Favonii pertinuerat. Jam autem senex, etc. Cur scriptum quoque censorium venderet, etc.* P.

* *Dum ut causam.*] Vid. sup. notam Pithoei. A.

* *Bonæ se memoriæ esse perdita.*] Lege, *bonæ se esse memoriæ prædicavit.* A.

(3) *Gabba.*] Puto rectius, *Galba*, si modo idem ille est, quem Martialis ob sales et jocos laudat. P.

(4) *Elvidius.*] Hæc ex Probo Vallæ: ac dubito ne ipsius potius sint, quàm Probi. P.

(5) *Manicasti.*] Delenda mendi nota. Est enim hoc posterioris sæculi verbum. Manicare est ὀρθρίζειν, Luc. XXI, quod memini notasse me apud Augustinum in lib. Judicum, et epistola quadam, quæ nunc properanti non succurrit. P.

(6) *Hic sub Claudio.*] Et hæc a Valla, ut Probi, relata: et sunt fortassis ipsius Vallæ. P.

(7) *In latrunculatorum jussu.*] Lego, *latrunculorum lusu:* et paulo post, *repente etiam.* P.

* *C. Cæsari.*] Caligulæ. A.

* *Armilausiam.*] De hac videbis Ferrar. in Origin. linguæ Ital. A.

(8) *Capella campidoctore.*] Hæc fuit interlinearis glossa, quæ conjecturam eorum non nihil adjuvat, qui *hirsuto* malunt; quanquam et illud ferri posse videatur: et quod ex Homero et Eustathio aliqui tradunt, longius petitum videri potest. P.

(9) *Bullas aureas.*] Ἥρπη χρύση, I Machab. XI. P.

VI.

(1) *Nanctum.*] An, *nectum*, ut ap. Hieronymum ad Demetriadem; an, *nexum.* Conopei etiam mentio est in lib. Judith, cap. X. P.

(2) *Quam Lagus tenuit pater Cleopat. et Ptol. p. magni Alex.*] An, post mortem magni Alexandri occupavit Ptolemæus Lagus, a quo deinceps? P.

* *Sergiolum nomine, etc.*] Legendum puto: *Sergiolum amavit, qui et ludor dictus est, ex gladiatoris nomine, quia, etc.* A.

(3) *Quo utebantur.*] Distingue, quo utebantur meretrices flavo. Nigro nam crine matronæ utebantur. P.

(4) *Et non sensurum.*] Locus est, ex Horatii lib. III carmin. mire hîc deturpatus :

Sed jussa coram, non sine conscio
Surgit marito.

P.

(5) *Picturam obstant.*] Vel leg. *picturæ*, vel *abdant.* P.

* *Religatus est.*] Leg. *relegatus est.* A.

(6) *A barbaro.*] Forte *ab avo:* et illud, *supplicio*, superesse videtur. P.

* *cti et positi.*] Lege, *picti et positi*, ex Rutgersio. A.

(7) *Commicturum.*] Lege, committunt. P.

* *Hiacessant.*] Forte, *flaccescunt.* A.

(8) *Cùm magis et.*] Forte, *cùm agit.* P.

(9) *Jactationibus luteis.*] Sequitur, luteum calcas : unde et quidam versu 427 hujus satiræ, luteo, legendum putarunt. P.

(10) *fluctum.*] Sic in obsceno carmine, fluctuante lumbo. P.

(11) *Ad quas non Clodius aras.*] Valla ex suo Probo, Lodius pro Ludius. P.

* *Sumit.*] Forte, *fuit in ;* et infra, *varicosi haruspicis*, lege *varicoso haruspice.* A.

(12) *Sallustius.*] Vet. ex. sallos ejus. P.

(13) *Quid Seres.*] Martial. IX, de eadem re :

Scit quid in Arsacia Pacorus deliberet aula.

P.

(14) *Alteras.*] Mendi nota tollenda, et scribendum, Halteras. P.

(15) *Non cogit exclamare.*] Senec. epist. LVII. P.

(16) *Nam duo negativi.*] Donatus in illud Andriæ, *neque tu aut dicas tibi non prædictum*, duæ, inquit negativæ faciunt unam confessivam. Sic habet. vet. ex. P.

(17) *Poppæa uxor.*] Plin. lib. XI, et XXVIII. P.

(18) *Lanipendia.*] Paul. in L. XXXI. D. de donat. inter vir. et ux. vet. gloss. Lanipendius ϛαθμοῦχος. Ornatrix, κομητρία. P.

(19) *Auro clavas.*] Malim, clavatas. P.

* *In lumentis.*] Lumentum, a λούω, balnei genus. A.

(20) *Tarquinii Superbi.*] Vet. ex. additum habuit, eoci : quo quid significetur, nescio : annotatum tamen hîc volui. P.

* *N. B.* Pro *eoci*, lege *ejecti*, ex Rutgers. V. L. i, 16. A.

* *Minaret.*] A *mino-as-avi*, verbum infimæ latinitatis, idem ac *agere, persequi*, Gall. *chasser, poursuivre.* A.

* *Dilexit, petit.*] Hoc loco, lacuna exstat, quam sic expleo : Jupiter

Junonem dilexit, *et ab ea veniam Iús* petiit : *Juno* indulsit pellici, *quæ* reversa, etc. A.

(21) *Legem Moysi.*] Vet. ex. Moysei. Et inf. an magis, pro *nam.* P.

* *Et eplocea.*] Quid sit hoc verbum, nescio. Henninius emendat *pellucens.* A.

(22) *Præmissæ dominat.*] Malim, promissæ. P.

* *Qua lætitia prædicere mala, etc.*] Emendo : *Quo læta prædici, mala adsolent vitari vota.* A.

(23) *In unum rediit.*] Apud Vallam est, redigit, et ignorata quadam tacita prece locum aggestione consecrat. Cic. II, de Legibus. P.

* *Nescit quis alter.*] Forte : *nescio, quis alter.*—*Nobis.* Forte, *novit.* A.

(24) *Caligulam significat.*] Hæc potius pertinent ad illa, ut avunculus ille Neronis. P.

(25) *Ut Virgilius.*] IV Aeneid. ubi et hunc locum Servius citat. Quod præcedit de Probo, est ex Vallæ exemplari. P.

(26) *Defuncto marito.*] Addit Vall. Drymione : et paulo post, vino, melius quàm veneno. Pertinet vero ad hunc locum Romanus lapis. (Vid. hujusce nostræ editionis T. I, p. 251.) P.

* *Parapallium.*] Forte ita scribendum : παρὰ pallium. *Pallium* Græcis usitatum; unde tragœdiæ Græcæ dicuntur palliatæ. A.

VII.

* *Condiderunt.*] Forte, *in Græcia constiterunt.* A.

* *Alii sordibus dixit.*] Lego, *sordidas.* A.

(1) *Lucanus.*] Huc pertinet illa vetus inscriptio. (Vid. hujusce nostræ editionis T. I, p. 268.) P.

(2) *At Serrano vas fictile, in quo at Serr.*] An potius, aut Serranum vas fictile, in quo Atilius Serranus solebat manducare. Atilium Serranum agri paterni jugera quatuor sedulo coluisse legimus : mendicasse non legimus. P.

* *Xymam.*] Lege, XVmam, ex Rutg. A.

(3) *Propter fascinum.*] Addit Valla, quia homines sibi non promittunt prospera propter fascinum : nos potius vetustiss. exemplaris nostri auctoritatem sequimur. P.

* *Ictilius temporius.*] Lege, *IC. illius temporis*, ex Hennin. A.

(4) *Epimenia.*] Hoc etiam verbi exstare in eclogis Polybii de legationibus, Scaliger noster admonuit. Illud miror non animadversum apud Jo. Cassianum, lib. IV Institut. cap. 22. Eadem forma Menemenia, sive Menomenia dicta, quæ in singulos menses, aut potius, de mense in mensem, ut ita dixerim, parantur. Epimenia, quæ ad

mensem unum. Quod sequitur de solido et quintis valde notandum meliore otio eget. P.

(5) *Proverbium de cambra.*] Scio hæc a Politiano derisa quondam, nec tamen contemnenda putavi. P.

* *N. B.* Angelus Politianus, Misc. c. XXXIII, et post hunc interpretes nonnulli, et quidem eruditissimi, textum vet. schol. correxerunt, et quæ Latinis characteribus delineabantur in Græcum proverbium verterunt (Δὶς κράμβη θάνατος); quæ quidem emendatio præstantissima videbitur ei qui codd. attentius perlegerit, et noverit quàm mire scripturam Græcam deformaverunt librarii posteriorum sæculorum, quod nos quoque in recensendis codicibus multoties agnovimus, parum etenim distat lectio Latina valde corrupta *de cambra et anatho* a Græca Δὶς κράμβη θάνατος, quæ forte fuit lectio veteris scholiastæ illius, cui hæ notæ adscribuntur. His de causis, eorum emendationi arrisimus in notis nostris, et versionem Calderini rejecimus. (Vid. nostræ edit. T. I, p. 283.) A.

(6) *Maritus recipiat.*] An potius, marito, ut recipiat oculos. P.

* *Esse nam Academiam sectam, etc.*] Forte legendum : *Isse* (dicitur) *ad Academiam sectam, quæ in se rhetoricam contemnit militiam.* A.

* *Sic mola medium.*] Lege, *summula modium*, ex Rutg. A.

(7) *Ventidius ex munitione.*] An, ex mulione? et paulo post, Antonio et Augusto. Ventidii hujus mentionem reperio in epistola quadam Bruti ad Ciceronem. P.

* *Dixisse.*] Lege, *poëtam dixisse contendunt.* A.

VIII.

* *Multa contingere virga.*] Hic versus in nostra editione omittitur. Cur eum expunxerimus, vid. si placet, nostræ edit. T. I, p. 304. A.

(1) *Oste senex, Catinæque puer, cuna meretrix.*] An potius :

Oste senex, catinæque puer, Cumana meretrix.

Quem versum, aut ego fallor, aut memini me legisse inter meliores Servii reliquias, quas P. Daniel, amicus noster, vir opt. et erud. ex suis nostrisque exemplaribus pridem collegit, et publico debet P.

(2) *Populus Aegypti.*] Jul. Firmicus in libello de errore profan. reliq. et alii. P.

* *In iutio Sabinis Hirpinus, etc.*] Lege, *in vicinio Sabinis Hirpinus mons est.* A.

* *Coryfe posteritas.*] Hæc nota cum textu vet. schol. non concordat. A.

(3) *Ornamenta rhedarum.*] Vet. habuit, redarion. P.

* *Antonius trium Antoniorum.*] Lege, *trium Antoniorum Coss. pater ille*,

qui oræ maritimæ, quà esset Imperium Romanum, præfecit, contrarius piratis. Sallustius. Ex Rutg. A.

(4) *Furtus.*] *Furæ.* P.

(5) *Non sunt nuda verba.*] Petron. Sententiarum vanissimus strepitus: et, auditem sententias, id est, vitream fractam, et somniorum interpretamenta. Item, fabulosum sententiarum commentum. P.

(6) *Si e rebus.*] An, ephœbus. P.

(7) *Quod inter radios mittitur.*] Adde ex vet. ex. in catabathmo. P.

(8) *Epona Deæ matronarum.*] Huc referenda est antiqui lapidis inscriptio ad Helvetica balnea, quæ nunc quidem ad manum non est. (vid. nostræ edit. T. I, p. 324.) P.

* *Cabsariciis.*] Lege, Carbasineis. *Carbasus*, inquit, Nonius, de vestimentis, *est pallium quo Flavii amiciuntur, vel opulentiæ causa, ut sericum, aut lino tenui.* Almel. A.

(9) *Inter Alamannium.*] Spartian. sub Proculo Alamannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur. P.

* *Sarnafallo.*] Forte Sardanapalus. A.

* *Eorum.*] Lege, lectorum. A.

(10) *Siparium.*] Conferam Donati verba, sed emendatiora ex vet. ex. Aulæa quoque in scena intexta sternuntur, pro quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem mimicum velum, quod populo obsistat, dum fabularum actus commutantur. P.

(11) *Hic Lentulus.*] Meminerunt Tertull. in Apologetico, et in lib. de pallio. Hieronymus ad Sabinianum, et alii: Laureoli etiam Joseph. XIX Antiq. P.

* *Locos tres.*] Hunc locum ita restituit Henninius: *Jocos: tres scurras nobilium fabulas agentes: dictum, quia tres simul exeant, quasi aliquid quærentes.* A.

* *Quam fibulam, etc.*] Corruptissima lectio, quam sic restituit Ferrarius, de R. V. III, 15: *quam fibula mordet faucibus pugnaturi.* A.

(12) *Decrescentibus.*] Vet. *Descrentibus.* P.

(13) *Pro harum morte.*] Post h. mortem. P.

* *Missaria.*] Forte *missa.* Philoxeni glossarium: ἄθλον missum dixit. Almel. A.

* *Quia alia armatus.*] Forte: *quia alius armatus occupaverit, alius pacatus defenderit, etc.* A.

(14) *Asylum in loco.*] An, *in luco.* P.

IX.

(1) *Nebulo*] Nævolus, φιλοπυγιστής. P.

(2) *Sumpsit pœna.*] Melius, poëta. P.

(3) *Lucullus : crustavi, etc.*] Lege, *Lucillius :* gustavi crustula solus, id est, placentam. Refertur et a vet. interprete. Horat. ad lib. I, sat. 1. P.

(4) *Accurare.*] Vet. ex. habuit, accusare. P.

(5) *Qui divites.*] Melius, qui divitibus se incl. viris. P.

* *Clypticis.*] Scribe, *Dyptichis*, ex Isidoro in glossis : *Dypticha, tabellæ quas ferimus.* A.

(6) *Incultu.*] Scribe, en cui tu. P.

* *Ac per hoc Gallo inquit, dixit.*] Lego : *ac per hoc Gallum dixit.* A.

(7) *Palinrothion.*] Apud Apollodorum, III, Biblioth. Alirrhothion. P.

(8) *Qui inlata carpunt.*] Hinc ille apud Petronium carpus. P.

(9) *Virgo Vestæ.*] An quæ Damiatrix Festo? P.

(10) *Laturus.*] Puto mendi notam delendam, et leg. spectem. Fuerunt suo cuique sæculo ut vitia, sic verba sua. Hujus generis sunt illa in his glossis, maltare, manicare, minare, plagare, lenare, similare, acrum, coruscus, sabana, armilausia, catomum, desipes, luteum, consiliator, glutto, matta, armaria, concubium, calcearium, retrior, manciparius, gutturosus; et illud nam secundo tertioque loco positum : sed et scribendi forma, thensaurus, formonsus, Spania, aliaque quorum nonnulla et apud antiquiores scriptores notari possunt. P.

X.

(1) *Usque ad Cerealem.*] De arca senatûs locus est in Aureliani ad eum epist. apud Fl. Vopiscum. Est præterea (inquit) vestræ auctoritatis arca publica, quam magis refertam esse reperio, quàm cupio. P.

(2) *Vinum coloratum.*] Vet. ex. habuit, coleratum. P.

* *In signis insignare.*] Vid. Rutgers. V. L. v. 5. A.

(3) *Tabulam patronatûs.*] Hujusmodi plures exhibent hodieque veteres lapides, quorum aliquos retulit Onufr. in comment. Fastor. P.

(4) *Conflari eum fuerunt.*] Vet. ex. cùm inimicorum, ut fortasse legendum sit, conflari cum iis quorum fuerunt. P.

* *Eum fuerunt.*] Lege, *cùm, qui fecerunt.* Ex Rutg. A.

(5) *Præfectus Urbis.*] Immo potius P. P. et quod mox de eodem Sejano tutorem haberi principis, ad patriciatûs dignitatem refert, Constantini magis sæculo congruit, quo primum cœpere patricii dici patres Imperatorum, novo honoris titulo, ut Zosimus auctor est. P.

(6) *Sedentis, etc.*] Lege, *sedentis :* significat diu turpiter vixisse Capreis. P.

(7) *Hic versus, etc.*] In vet. ex. hæc sunt posterioris manûs. P.

(8) *Lorica et fram., etc.*] Ser. in XI Aeneid. P.

(9) *Duæ sunt.*] Lego, duo sunt, Aethiopes scilicet, Orientes et Occidentes. In occasum, etc. Stat. X, Thebaid. Aethiopesque alios. In vetustiss. tamen ex. hoc loco scriptum fuit, altosque elephantos, non alios. P.

(10) *A fulmine ictum.*] Aut hæc alterius sunt interpretis, aut legendum, frigore. P.

* *Urcynia.*] Forte, *Bithynia.* A.

(11) *Insulæ angustæ.*] Inde et satir. I, breves Gyaræ, quod qui emendare conati sunt, saltem Senecam legant in consolatione ad Marciam. P.

* *Manabat.*] Lege, *manaret*, ex opt. edd. et codd. A.

(12) *Ne maculam inferrent secundum jus.*] Pertinent hæc ad legem Aeliam, de qua et nos ante viginti annos plura. P.

(13) *Quod desides.*] Vet. ex. habuit, desipes, quod retinendum censeo; ut sint desipes, infruniti. P.

* *Urbis uti.*] Legitur jam, Aeneid. II, v. 507:

Urbis ubi captæ casum, convulsaque vidit.

Almel. A.

(14) *Apud cæteros.*] Forte, sicut. P.

(15) *Cùm Sylla.*] Hæc ego aliquando sumpta putavi ex opusculo Julii cujusdam Exuperantii de Mario, cujus exemplar habeo, sane non tanti, ut a nostris majore desiderio expeti debeat, quàm aut Eugrafii integer in Terentium commentarius, aut alterius, et fortean Probi nostri, sane non Vulcatii, in orationes aliquot Ciceronis fragmenta, quorum tamen bonam copiam bonis viris, si cui usui esse possunt, ultro offero. Sed postea comperi esse alterius æque tenuis ac jejuni scriptoris, ut illa de Euriphyle et Telepho. P.

* *Et latuit in Galliis.*] *Forte in calamis:* nam nec Minturnæ erant in Gallia. Vid. Plutarch. in vita Marii. A.

* *Sylla posito in bello, qui, etc.*] Lego: *Sylla posito in bello*, id est, sumptis armis adversus eum, *Marius*, *ante adventum ejus, fato suo mortuus est.* A.

XI.

(1) ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.] Citatur hic locus a Macrobio, comment. I, in Somnium Scipionis. P.

* *Annum.*] Loco asterisci, præpone ex v. 53: *caruisse anno Circensibus uno*, ex Rutgers. A.

(2) *Sed nedum.*] Lege: *cœnæ dum ego parsimoniam*, utroque loco. P.

(3) *Qui cibus primus antiquorum fuit.*] Latinorum scilicet et Roma-

norum, ut Plinius scripsit lib. XVIII, c. 7 et 8. Primus hominum cibus fraga et glandes: quod cùm vel grammaticorum pueris notum sit, mirari satis non possum, cur in illa Saturnim ætatis descriptione, sat. XIII, etiam critici tam diu farra tulerint. P.

* *Sacerdotum more fugientibus.*] Forsan : *sacerdotibus timore fugientibus.* A.

* *Tur et alvum Argo navis.*] Forte, *dicitur et allatus ab Argo navi.* A.

(4) *Ad cituras proficit.*] Emendo cætras : scutum loreum, quo utuntur Afri, inquit Servius. P.

* *Quidam hæc non erat.*] Emendat Henninius, *quoniam tunc non erat, etc.* A.

(5) *Unus est missus qui ordinarius.*] An non potius, ordearius? quod ex sequentibus videtur : et, sat. VIII, *infundit jumentis hordea lassis.* In veteribus etiam glossis hordearias quadrigas legimus dictas, quia victori agitatori hordeum præmium dabatur. Hordearios gladiatores a cibo vocatos Plinius scribit lib. XVIII, cap. 7; et Festo, hordearium æs, quod pro hordeo equiti Romano dabatur. P.

(6) *Quoniam multi equi frangebantur.*] Hinc illa Boëtii querela, III de Consolat. Prætura, magna olim potestas; nunc inane nomen et senatorii censùs gravis sarcina. Est et de hac re Zosimi locus, II Novæ Hist. P.

XII.

(1) *Spanas veticas.*] Scribe ex usu sæculi, Spaniæ Bæticæ. P.

(2) *Adde et bascaudas.*] Vet. ex. habuit mascaudas. P.

(3) *Inter sitarchiam et securem.*] Deleatur mendi nota. P.

(4) *Quod dicunt artemonem.*] Act. XXVII, 40. P.

(5) *Molles focos.*] In vet. cod. sunt hæc recentioris scripturæ. Et paulo post, scribe, mirum est nam, ut amico habenti aliquis a. jam impensius. P.

* *Ipsud.*] Lege, *istud*, vel *ipsum*. Forte quoque temporibus ultimis Imp. Rom. dictum fuit *ipse, ipsa, ipsud*, ut *ille, illa, illud.* A.

(6) *Veluti filia ptatoris.*] Repone, captatoris. P.

XIII.

(1) Παῖδες δὶς γέροντες.] In vet. ex. παῖδες οἱ γέροντες. P.

* *Minaris.*] Lege, *miraris*, ex Rutgers. A.

* *Ut pueris majoribus, etc.*] Ita emendo : *ut pueris majoribus se quatuor annis deferre affectarent, sicuti prima lanugo*, id est, juventus, (erat) *deferens senibus.* A.

(2) *Quæ residem fœdes sacrificiis lustrari debet.*] An potius, quæ res ideo fordis sacrificiis lustrari debet. Sed de agna loquitur satiricus.

De bove Festus, Naso. Vet. glossæ *forda* (sic enim lego) θυσία ἐγκύμονος βοός. P.

(3) *Monstris.*] Videtur respexisse ad illud Cic. II, de Divinat. Si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est, sæpius enim mulam peperisse arbitror, quàm sapientem fuisse. P.

(4) *Melius est ægrotare.*] Eadem fere sententia apud Syracidem Ecclesiastic. XXX, 14; utraque sensus communis, ut et illa in satir. VI, homo sum nata, ut peccem. P.

* *Nam, cùm homines, etc.*] Lege: *Hominis, q. m. c. habet, id est, qui denegat al. etc.* A.

* *Afficitur; quanquam.*] Lege, *afficitur, quàm quas*, ex Rutg. A.

* *Coruscus.*] Henninius emendat, *coruscas*, et intelligit fulgura: an bene, an male? nescio. A.

XIV.

(1) *Duo sabana.*] Recte. Male quidam sabaria inter instrumenta ecclesiastica retulerunt, pro sabanis, quorum usum in baptism. Victoris Uticensis historia indicat, lib. III. P.

* *Quanquam ibi.*] Lege ex Henninio: *quoniam, qui ibi, etc.* A.

(2) *Anaglyfa sigillis.*] Explicat illud, vasa aspera, non leve argentum, quod cælato et anaglyfo opponitur: unde et leves lances Scævolæ nostro in L. pen. §. pater. D. de Legat. lib. III, et idem purum, sat. X, nisi quis ex Sex. Pompeio interpretari malit, quod in usu spurco non fuerit. P.

(3) *Non* πρίσματος.] Vet. ex. ρίσματος. Meminit Eutychius grammaticus, sive is Siccensis Proculus fuit, sive Eutyches alius, in arte. P.

(4) *Nam antiqui cruribus figebant.*] S. Augustin. Quæst. in vet. testam. Antea homines cruci figebantur, quod postea edicto prohibitum manet. Hoc vero edictum Constantino tribuunt Ecclesiasticæ historiæ scriptores. P.

(5) *Fortunæ apud.*] Et hæc manifesto sunt diversorum interpretum. P.

